24

XL

Ex legato D: Equitis Antonij
Francisci Marmij

TRACTATUS
DE SCRIPTURA SACRA,

IN QUO

Ex ipsius Revelatione, Inspiratione, & Antiquitate evincitur

CONTRA ETHNICOS

JESUM CHRISTUM
ESSE VERUM MESSIAM,

Et omnium Librorum cùm Veteris, tùm Novi Testamenti, quos Sacro Canoni accensuit Concilium Tridentinum, Divina Auctoritas contrà Hæreticos asseritur, ac vindicatur.

Exhibentur sacrorum Librorum primigenii Textus, Versiones, sensus, Auctores, Idioma, Analysis, & Oracula, quæ ad JESUM *Christum verum Messiam referuntur.*


AUCTORE

R. P. F. IGNATIO HYACINTHO AMAT DE GRAVESON

ORDINIS PRÆDICATORUM,

Facultatis Parisiensis Doctore, & Collegii Casanatensis Theologo.





ROMÆ,

Apud FRANCISCUM GONZAGAM, MDCCXV.

SUPERIORUM FACULTATE.



Adspice quem Generis splendor, vultusque Lepores
exornant, melius moribus ille nitet.

C. F. Poerson Eques pinxit — Hierony. Rossi delin. et Sculp.

Illustriss. & Excellentiss. Principi

D. FRANCISCO BURGHESIO

Adolescenti summâ spe & animi, & ingenii prædito.



UM primùm tui nunquàm sine laude nominandi Avus, & Pater, Excellentissimi Principes JOANNES BAPTISTA, & MARCUS ANTONIUS BURGHESII, me licèt immeritum hoc honore dignàri voluerunt, ut animum tuum fingerem, ac Philosophicis excolerem disciplinis; cæpi, ut candidè fatear, mihi impensè gratulari, quòd nactus essem discipulum, cui

omnia, quæ ad perfectam virtutem cælitùs dari possunt, sic affatim sunt suppeditata, ut certò confidam futurum aliquando, ut corporis, & ingenii dotibus copiosissimè cumulatus Illustrissimo generi, Patriæ, Tuisque Majoribus per literas, & literis invicem per amplissimam Dignitatem ingens sis tùm decus, tùm præsidium allaturus. Hanc præclaram de Te conceptam expectationem, AMABILISSIME PRINCEPS, jam ratam, exploratamque reddunt tùm præstantium, quæ in tenerâ adhùc ætate exhibes in[illegible]cia virtutum, quibus ad dignum Principe decus sensim tuus adolescit, perficitur, & ad majora in dies attollitur animus, tùm etiam eximia illa fortunæ, naturæque bona, queis cùm sis abundè locupletatus, omnia summa præstare, nullamque sollicitudinem non adhibere debes, quò sorti à Deo tibi creditæ, omniumque expectationi valeas respondere.

Primùm enim quid ego referam fortunæ miram, raramque indulgentiam, quæ tibi Parentes largita est utrinque imaginibus, & superbissimis stemmatis clarissimos, quorum non nudam magni nominis umbram præfers, sed vivam repræsentas imaginem, & ex quibus sortitus es animam bonam, mediamque, ut ità loquar, indolem, è paternâ animi sublimitate, atque è matris mansuetudine temperatam. At enim, quod in tua fronte sublucet nescio quid sublime, & augustum, quodque, ut sæpiùs ipse non sine admiratione conspexi, ferocientis equi nunc in gyrum circumacti, & ad saltum extimulati, nunc ardua scandentis, nunc æquore campi præcipiti volantis cursu habenas non minùs scitè, quàm ani-

animosè modereris, paternæ, avitæque virtutis simulachrum agnosco. Rursùm, ubi vultum tuum considero omnibus gratiarum muneribus copiosissimè perpolitum, & candidos tuos, amabilissimosque mores; ipsissimam Excellentissimæ Matris tuæ imaginem videor intueri. Jàm verò ex utraque Stirpe quanta tibi sese offerunt incitamenta virtutis, quàm multa domestica suppetunt exempla, quæ imiteris; tùm in primis lectissimæ Sororis tuæ FLAMINIÆ BURGHESIÆ, quæ multiplici exoticarum linguarum, variarumque disciplinarum genere apprimè exculta parem in suo sexu habere haud videtur, tùm tuorum germanorum Fratrum, quorum primum videlicet CAMILLUM ingenii maturitas cum absoluta prudentia & acerrimo judicio conjuncta, alterum, seu JACOBUM, ingens animi fortitudo, & ad difficilia quæque adgredienda infracti pectoris robur; postremum, scilicet PAULUM, ingenua, & ad bonarum literarum studia felicissimè nata indoles maximoperè commendant, & illustrant. Nec mirum sanè, nàm sicut fructus arborum naturam sequuntur, sic ferè liberi Parentum mores imitari, & non vultum tantùm, sed indolem quoque simillimam referre solent.

His fortunæ, naturæque, quibus polles, dotibus, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, accedunt alia, multò præstantiora dona tibi cælitùs concessa, quæ omnium amorem tibi optimo jure conciliant, & cunctorum in te oculos atque ora convertunt, Religionis videlicet amor, hauriendæ ex ipsis fontibus antiquitatis vetustissimorum temporum, pulcherrimarum-

que

que rerum Hiſtoriæ cùm ſacræ, tùm prophanæ laudabile ſtudium, animus honeſtæ laudis, ac veræ gloriæ incitatus ſtimulis, flos integritatis nullis vitiorum maculis oblitus, docilis natura, & ad fingentis arbitrium flexibilis; ſapiens, ſibique ſemper conſtans vivendi ratio, in agendo ſolertia, in loquendo modeſtia, tamque eximia affabilitas, ut totus ad benè de omnibus merendum natus eſſe videaris.

Quæ cùm ità ſint, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, tot donorum, quæ in te Deus largâ manu effudit, uberrimum fructum à tuo autumno expectant viri ſanæ doctrinæ, veræque pietatis cultores; neque falles, opinor, expectantes, quandò quidem in tuo florentiſſimo verè jàm benè multa præbuiſti excellentis ingenii tui ſpecimina, quæ ſunt quidem ad præſentem ætatis tuæ laudem magna, ad expectationem verò, & quaſi prædivinationem futurorum maxima. Vidit quippè jàm Roma, totius, quà latè patet, Orbis Chriſtiani Caput, tua in palæſtra Philoſophiæ certamina, neque certaminibus rariores palmas, ac victorias, quibus præludere viſus es his triumphis, quos maturâ poſt ætate ex hoſtibus Eccleſiæ feliciter reportabis. Vidit, inquam, Roma te juvenem Principem omnigenâ virtutum ſuppellectili exornatum in Lyceo Thomiſtico ſine ſupercilio diſputantem, arcana cùm veteris, tùm novæ Philoſophiæ mirâ facilitate, tamque ſingulari modeſtiâ referantem, ut omnes qui te in his exercitationibus ſenili planè judicio de rebus gravioribus ediſſerentem auſcultabant, tantùm non admiratione defixi plaudere, gratulari, teque certatim

tatim rapere, complectique vehementer desiderarent; dùm tu tamen, ob eam, quæ in te eminet, tuumque consecrat ingenium, pietatem, tot inter acclamantium laudes, non tuæ industriæ, sed primùm Deo Optimo Maximo, dein Sancto Thomæ Doctori Angelico, quo Magistro gloriaris, quidquid scires, referres acceptum, palàmque omnibus faceres, tam arcto vinculo virtutes alioqui dissimiles in te sociari, ut nec de modestia nobilitas, nec de candore prudentia, nec de comitate grauitas, nec Philosophiæ studium de pietatis amore quidpiam decerperet.

Verùm, Dilectissime Princeps, cùm post egregiam, quam philosophicis disciplinis hactenùs satis superque operam navasti, animum tuum ad sacræ Theologiæ studium appellere nunc gestias, illud velim menti tuæ quàm penitissimè insideat, ut persuasissimum habeas, nihil modò te sacræ Theologiæ Candidato tam dignum esse, quam JESU Christi Servatoris nostri, ad quem omnes studiorum conatus, ceù ad scopum rectà collineare debent, doctrinam, undè vera proficiscitur sapientia, perfectè callere; sacrasque literas nosse, quas cæleste numen inspiravit, Sancti Prophetæ prodiderunt, miracula testantur, sanguis Martyrum illustravit, & piorum hominum consensus tot jàm sæculis comprobavit. Nolo ut pro auro plumbum, pro fulgore fumum, pro desponsâ formosâ *Rachele*, lippam, & deformem *Liam* accipias. Nolo, inquam, ut vanis, frugisque expertibus otiosorum hominum commentis pascaris, & pro solida, expressaque germanæ Theologiæ formâ, umbrâ tantùm, & imagi-

nibus

nibus illudaris, sed potiùs auctor tibi sum ut obviis, quod ajunt, ulnis puriorem ac defæcatiorem amplectaris Theologiam, quæ ad eruditæ vetustatis speciem expressa, ad Sanctorum Patrum directa normam, ad Historiæ Ecclesiasticæ veritatem exacta, sacrarum Literarum notitiam tibi instillare potest. Ex his siquidem sacris Literis, in quibus Deus vivas, & æternas doctrinæ suæ venas reliquit, addisces, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, compendiariam quamdam vivendi rationem, quâ semel instructus, poteris ad mentem Christo dignam pervenire, salutaria hauries documenta ad institutionem simplicium, efficaces adhortationes ad correctionem improborum, invicta argumenta ad redarguendos Judæos, Ethnicos, & Hæreticos, uno verbo, in sacris Literis invenies, ubi vestigium facias, ubi tutò figas pedem, ubi citrà fastidium acquiescas, ubi sacram Historiam perlustrando sitim tuam ad satietatem usque nullo negotio explere, & animum tuum castis deliciis oblectare poteris.

Quocircà operæ pretium me facturum esse duxi, si ad promovenda studia tua, quibus secundùm Deum nihil antiquiùs habeo, hunc Scripturæ sacræ ederem Tractatum, in quo breviter adstruo omnium sacrorum Librorum Revelationem, Inspirationem, Antiquitatem, & Auctoritatem; eorum itidem exhibeo primigenios Textus, Versiones, varios sensus, Auctores, Idiomata, Argumenta, & Prophetarum Oracula, quæ in Christo Domino vero Messia fuerunt adamussim completa. Hoc pacto, AMABILISSIME PRINCEPS, duplicis lege officii, quo me teneri sentio, utcumque per-

persungar. Primùm siquidem Excellentissimis Avo, & Patri tuo JOANNI BAPTISTÆ BURGHESIO, & MARCO ANTONIO DE ROSANO, omnium existimatione, virtute, magnificentiâ, ac præclaris charitatis officiis, quæ in publicam omnium, sed præcipuè Domesticorum utilitatem extant, verè Principibus, qui tuæ institutionis curas in me contulerunt, debitum honorem, cultum, meique perennem grati animi sensum hac qualicumque nominis tui commendatione persolvam. Deindè, eadem operâ, liberabo fidem, quâ me obstrinxi, tua omnibus, quibus potero, rationibus juvandi, ac provocandi studia. Hoc potissimùm fine illectus hunc de Scriptura sacra Tractatum elucubravi, quem si interdùm lectitare haud graveris, nullus dubito quin tibi novos addat stimulos ad universam legendam, & sedulò meditandam Scripturam sacram. Quod si feceris, & in benè cæptis constanter pergas, votis meis abundè factum esse satis autumabo, Deumque supplex obnixè precabor, ut velit quasi jàm herbescentem virtutem tuam sui syderis afflatu ad maturam segetem provehere, teque istis dotibus parem reddere, parem votis tuorum, parem imaginibus Majorum, præsertim Patrui tui PAULI V. Pontificis Maximi, qui, quamdiù vixit, omnes suas cogitationes, curas, & labores ad Religionis ornamentum, ad Ecclesiæ splendorem, ad veræ; avitæque doctrinæ Sanctorum Patrum AUGUSTINI Aquilini Doctoris, & THOMÆ omnium Theologorum facilè Principis contulit incrementum.

Hoc illuſtri, & domeſtico excitatus exemplo debes, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, totum te obſequio Eccleſiæ conſecrare, ad caſtra virtutis, & eruditionis te conferre, viros literatos benevolentia complecti, officiis proſequi, virtute tua concitare, florentes literas patrocinio tuo conſervare, jacentes erigere, doctrinam Auguſtino Thomiſticam, quâ jàm imbutus es, pro aris ac focis propugnare, & ab ea nunquàm deflectere, ut omnes facilè intelligant te eſſe clariſſimum PAULI V. Nepotem, cujus virtutes, & doctrinam æmularis. Sic nomen tuum in ore famæ, omniumque gentium commendatione verſabitur, nulla unquàm vetuſtas obruet, nulla delebit oblivio, ſed potiùs ut cum Horatio Poeta tibi familiariſſimo loquar, illud *aget pennâ metuente ſolvi fama ſuperſtes*. Lib. 2. Ode 2.

Læto igitur animo, ſerenâque fronte excipe, AMABILISSIME PRINCEPS, hoc munuſculum literarium, quod etiamſi ſplendori tuo parùm reſpondeat, ſi illud tamen ex ſtudio, affectu & voluntate dantis extimes, non exiguum, me hercle, tibi videbitur. Illud ſiquidem ex animo, & ex totis præcordiorum affectibus tibi offero, eximiæ felicitatis, & ſummo honoris loco ducens præclaram tuam indolem; quantulacumque ex parte, meâ induſtriâ excolere, meamque in omnibus, quas nanciſcar, occaſionibus tibi gratificandi ſinceram prodere voluntatem: Vale, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, & quo pede cæpiſti, perge. Tuos ad immortalitatem aſſequendam egregios conatus fortunet Deus, tuique ho-

honesti propositi incrementa felicia largiatur. Eò collimat summa votorum, quæ supremo numini nuncupat.

EXCELLENTIÆ TUÆ

Humillimus, & Obsequentiss. Servus

Fr. Ignatius Hyacinthus Amat de Graveson
Ord. Prædicat.

NOS FR. ANTONINUS
C L O C H E
SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSOR,

Ac totius Ordinis Fratrum Prædicatorum humilis Magister Generalis, & Servus salutem.

TEnore præsentium nostrique auctoritate Officii licentiam facimus Reverendo admod. Patri Fr.Hyacintho Amat de Graveson, in sacra Facultate Parisiensi Doctori, ac in Collegio Casanatensi Conventus Sanctæ Mariæ super Minervam de Urbe Theologo, Provinciæ nostræ Provinciæ Alumno, typis edendi Opus, cui titulus est: *Tractatus de Scriptura Sacra, in quo ex ipsius Revelatione, Inspiratione, & Antiquitate evincitur contrà Ethnicos JESUM Christum esse verum Messiam, & omnium Librorum cùm Veteris, tùm Novi Testamenti, quos sacro Canoni accensuit Synodus Tridentina asseritur, ac vindicatur auctoritas.* Dummodò priùs approbatum fuerit à duobus Ordinis nostri in Theologia Magistris, & aliis servatis de jure servandis. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Conventu nostro S.Mariæ super Minervam die 10. Junii 1714.

Fr. Antoninus Cloche
Magister Ordinis.

Fr. Bernardus d'Arcet Magister, & Socius.

Loco † Sigilli.

Registr. fol. 189.

Quam

Quam sibi doctrinæ, ac singularis eruditionis famam comparavit Auctor Tractatus, qui inscribitur De Mysteriis, & Annis Christi *hanc de die in diem clariorem, ac illustriorem sibi efficit, dùm aliis Operibus adornandis, ac publicæ luci committendis totus, & indefessè incumbit. Tractatum ab ipso recens elaboratum, jubente Reverendissimo Patre totius Ordinis nostri Magistro Generali* Antonino Cloche, *legi, ac discussi. De quo hocce judicium, omni semota adulatione, ausim proferre. Certant in eo pro palma, eruditio profunda, stylus nitidior, methodus facilis, materiei nobilitas, quæstionum delectus, in rebus abstrusioribus explicandis mira claritas, conjuncta brevitati copia, ac tandem ad fidei, morumque regulas exacta conclusionum, ac sententiarum multitudo, itaut de ipso videatur licitum dicere, quod in laudem Sancti* Thomæ *Angelici nostri Præceptoris scriptum habemus in Breviario nostro*, stylus brevis, grata facundia, celsa, clara, firma sententia, *quanti porrò in rempublicam Litterariam emolumenti futurum sit Opus aliundè tot titulis singulare, coniice ex titulo ei præfixo:* Tractatus de Scriptura Sacra, in quo ex ipsius Revelatione, Inspiratione, & Antiquitate, evincitur contrà Ethnicos JESUM Christum esse verum Messiam, & omnium Librorum, quos sacro Canoni accensuit Concilium Tridentinum, Divina Auctoritas contrà Hæreticos asseritur, ac vindicatur, exhibentur sacrorum Librorum primigenii Textus, Versiones, Sensus, Auctores, Idioma, Analysis, & Oracula, quæ ad JESUM Christum verum Messiam referuntur. *Librum igitur censeo dignissimum, qui imprimatur, & opto vehementissimè, ut omnium, præsertim Theologiæ candidatorum manibus noctu, diùque teratur, quippè, ut ait Apostolus Epist. 2. ad Timoth. cap. 3.* Scriptura Divinitùs inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum in justitia, *sed nisi eam ab Hæreticorum calumniis, cavillis, argutiis, atque sinistris interpretationibus vindicare noverit Theologus, parum prodesse, nocere ei multum potest. Datum Romæ in Conventu Sanctæ Mariæ super Minervam die 12. Julii anni 1714.*

Fr. Henricus Thiriar sacræ Theologiæ Doctor, ac Collegii Casanatensis Theologus, Ordinis Prædicatorum.

Jussu

J*Ussu Reverendiss. Patris* Antonini Cloche *Magistri Ordinis Fratrum Prædicatorum Generalis, Opus, cui titulus* : Tractatus de Scriptura Sacra, in quo ex ipsius Revelatione, Inspiratione, & Antiquitate, evincitur contrà Ethnicos JESUM Christum esse verum Messiam, & omnium Librorum, quos sacro Canoni accensuit Concilium Tridentinum, Divina Auctoritas contrà Hæreticos asseritur, ac vindicatur. Exhibentur sacrorum Librorum primigenii Textus, Versiones, Sensus, Auctores, Idioma, Analysis, & Oracula, quæ ad JESUM Christum verum Messiam referuntur. *Opus, inquam, istud ab admodum Reverendo Patre Hyacintho Amat de Graveson, Doctore Sorbonico, & Collegii Casanatensis Theologo elaboratum, haud maxima, quam potui, diligentia modo, sed & maxima animi cum voluptate legi, perlegique. In eo quippè nihil non ad sanæ doctrinæ trutinam exactum, nihil non variæ, singularisque eruditionis plenum, offendi. Præclarum deindè ordinem, splendidum prætereà stylum, majorem in modum sum demiratus. Quid, quòd stulta Atheorum, Infidelium, aliarumque id genus farinæ pestium deliramenta, figmentaque, quibus Religionis existentiam, atque sacrorum Librorum Revelationem, & Inspirationem pernegare, elevare, pessumdare moliuntur, peremptoriis certè momentis ibidem exsufflari: tùm vana Hæterodoxorum adversus nonnullorum utriusque fœderis Librorum authenticitatem tentamina, dextro Marte frangi, non semel observavi. Quamobrem, Auctor sim, ut Opus adeò nobile, doctum, jucundum, multisque nominibus proficuum : cujus clarissimus Concinnator Orbi jàm Literario longè latèque notus est, prælo quantocyùs committatur. Datum Romæ in Conventu S. Mariæ supra Minervam die 27. Julii anni reparatæ Salutis* 1714.

Fr. Patricius Plonket, Doctor Sorbonicus,
Theologus Casanatensis, Ord. Prædic.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

N. Archiep. Capuæ Vicesger.

Cum summa Orbis Literarii gratulatione non ità pridem exceptus fuerit Tractatus de Mysteriis, & Annis Christi, *in quo pari ad eruditionem diligentia, exquisitoque Argumentorum delectu contrà pervicaces, & in ipsis Solaribus radiis cæcutientes Judæos invictè ostenditur, omnia Prophetarum de adventu Justi Vaticinia, suum adamussim in Christo Salvatore nostro eventum habuisse, multaque alia Christianæ Religionis, & Antiquitatis Ecclesiasticæ capita doctè pertractantur: publicæ videbatur interesse utilitatis, ut idem sapientissimus Auctor, bono Literarum, & studiosæ Juventutis natus, qui rem contrà Judæos ex veritate Divinationis, quæ idoneum est testimonium veritatis, feliciter confecerat, calamum verteret, suamque rursùs navaret operam adversùs Gentiles, & Atheos, qui intellectum suum in obsequium Fidei captivare detrectantes, fundamentum veræ Religionis, quod est Christus* JESUS*, præfractè negant, Divinam Scripturarum Auctoritatem explodunt, buccisque crepantibus Mysteria nostra, & quæ de illis piè narrantur, ut fabulas otiosè confictas tantùm non irrident. Quod igitur hac in parte multorum votis expectabatur, cumulatè perfecit Rever. admod. Pater Hyacinthus Amat de Graveson, dùm ex variis, & omnium calculo probatis Scriptoribus, amplissimam veluti messem collegit, ac in manipulos ità scitè concinnavit, ut ad plenam Ethnicorum convictionem, ad proterendam recentium Hæreticorum perfidiam, ad Catholicorum fidem confirmandam, & pro re nata castigandam quorumdam Criticorum temeritatem, exoptari ferè nihil possit, quod primo intuitu non repræsentet recens iste, suisque numeris absolutus* Tractatus de Scriptura Sacra &c., *quem ex commissione Reverendissimi Patris Magistri sacri Palatii Apostolici, attentè, & magna animi oblectatione perlegi. Quidquid complectitur, fidei regulæ, bonisque moribus apprimè consentit, nec in eo vel apicem habent tetrici, ac morosi Scriptorum Censores, quem arrodant. Ipsi potiùs, mea quidem opinione, materiei dignitas, venerationem; styli nitor, & elegantia, gratiam; prudens sententiarum delectus, suffragium; accurata rerum Tractatio, admirationem; illustre demùm, quod Operis fronti præfixit nomen, pretium apud omnes, modò fuerint æqui rerum æstimatores, & celebritatem conciliа-*

liabunt. Hunc itaque Tractatum paucis multa, quæ facilè discent Theologiæ Candidati, complectentem, censeo dignissimum, qui luce publica fruatur.

Fr. Joseph Roma Ordinis Minimorum, Philosophiæ, & sacræ Theologiæ Lector.

C*Eleberrimum est Apostoli Oraculum, quòd* omnis Scriptura divinitùs inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. *Præclarè etiam scripsit Magnus Basilius ad Gregorium Theologum, quòd* maxima viarum ad veri investigationem ferentium meditatio est Scripturarum divinitùs inspiratarum: *hìc reperimus videlicet* thesaurum cognitionis Dei, *ut inquit Chrysostomus, hìc* Sapientiæ carceres, *ut observat Clemens Alexandrinus, hìc demùm, ut Augustini phrasim adhibeam*, literas de Cæli melle melleas, & de lumine Dei luminosas. *Exquisitè hæc novit, ut sentio, Adm. Rev. P.M. Ignatius de Graveson Sorbonicus Doctor, necnon Collegii Casanatensis Theologus, qui ad veritatis studia, egregiæ indolis Procerum felicissima instituturus ingenia, in suo Tractatu* De Sacra Scriptura &c., *has cælestes utriusque fœderis tabulas, & meditandas obtulit, & contrà hæreseon furores strenuè vindicavit. Plurimùm quidèm hoc in labore commendandus est Auctor clarissimus, nàm præter Romanæ Fidei sanctiones, quas ut Ecclesiæ filius illibatas semper custodit, tùm eruditione congrua, & locuplete doctiorum hominum animos recreat, tùm latini sermonis ingenuo quodam pudore delicatiorum gustum delectat. Sententiam meam postulante Reverendiss. P. Magistro sacri Palatii Apostolici, crediderim Opus dignissimum, ut publicæ luci excudatur, & ità censeo. Romæ in Conventu S. Marcelli 8. Decembris 1714.*

Fr. Petrus Maria Pieri Ord. Serv. B.M.V., sac. Theol. Magist., Emi Corsini Theol., sac. Congreg. Indicis Consultor, & sanctæ Romanæ Univers. Inquisit. Qualific.

IMPRIMATUR,

Fr. Gregorius Selleri Ordinis Prædicatorum sacri Palatii Apostolici Magister.

INDEX

INDEX

Paragraphorum, Assertionum, & Quæstionum,

Quæ hocce in Tractatu continentur.



cta vocalia addiderunt, quâ de causâ dicti sunt *Masoretha*, & opus ab illis conflatum *Masora* est appellatum 116.

Assertio secunda: Libri Veteris Testamenti, quos in suo Canone recipiunt Judæi fuerunt Hebraicè conscripti 117.

Assertio tertia: Textus primigenius Librorum Novi Testamenti est Textus Græcus, ac subindè novi fœderis Libri si unum, aut alterum excipias, fuerunt Græcè exarati 118.

Assertio quarta: Textus Hebræus Librorum Veteris Testamenti nunquàm fuit à Judæis de industria mutilatus, neque Textus Græcus Librorum Novi Testamenti fuit unquàm interpolatus in his, quæ fidem, & mores spectant; quamvis tamen illi Textus non sint ità puri, ut nulla levis momenti errata, nulla menda in eos invecta sint 119.

Assertio quinta: Non caret probabilitate quorumdam hujus temporis Scriptorum, qui asserunt Vetus Testamentum ab antiquissimis temporibus, hoc est, antè expeditionem Alexandri Magni in Asiam, in linguam Græcam fuisse conversum, aut saltèm quantùm ad aliquas partes linguâ Græca esse donatum 123.

Quæstio prima: Sub quo Rege Ægypti adornata fuerit Versio Lxx. Interpretum? 124.

Quæstio secunda: An Lxx. Interpretes suam ediderint Versionem seorsim, & totidem in cellulis inclusi? 125.

Quæstio tertia: An Lxx. Interpretes solos legis Libros, seu Pentateuchum transtulerint, vel universam Scripturam sacram in Græcum sermonem verterint? 126.

Quæstio quarta: Utrùm Lxx. Interpretes Versionem suam ex turbidis rivulorum lacunis, seu ex vulgatis, & popularibus Libris Chaldaicis, Syriacis, & Samaritanis Codicibus, qui plebis injuriâ corrupti erant, confecerint; vel potiùs eam ex Hebræis fontibus expresserint? 128.

Quæstio quinta: Quotuplex fuerit apud Judæos antè tempora Christi Domini Versio Græca Scripturæ sacræ? 129.

Quæstio sexta: An Historia, quam referunt Aristeas, Aristobulus, Hecatæus, Clearcus, Josephus, & Philo de numero Lxx. Interpretum, & de modo, quo Scripturam sacram interpretati sunt, vera sit, vel potiùs inter nugas à Judæis Hellenistis excogitatas sit referenda? 130.


Quæstio septima: Quot Versiones Græcæ Scripturæ sacræ prodierint post Versionem Lxx. Interpretum? 132.

SECUNDA PARS.

Di-

Di-

TERTIA PARS,



PRÆ-

PRÆFATIO.

Tractatum de Mysteriis, & Annis Christi Servatoris nostri contrà Judæos, Infideles, & Hæreticos variis Dissertationibus illustratum paucis abhinc annis in rem Sacræ Theologiæ Candidatorum publica luce donavi, in quo omni argumentorum genere, & potissimùm ex benè multis locupletissimis Prophetarum oraculis tàm luculenter, ni mea me fallat mens, evici Jesum Christum esse verum Messiam, ut nullus, nisi palàm obduratus, & execæcatus Judæus, in tanta luce caligare, aut cæcutire possit. Nunc ad ejusdem Tractatus complementum duxi, omninò necessarium esse, disserere in hocce Tractatu de Scripturæ Sacræ divina Revelatione, Inspiratione, Auctoritate, & Antiquitate, ad retundendam penitùs pervicaciam Atheorum, & Infidelium, qui Jesum Christum tanquàm verum Messiam eo solo nomine agnoscere detrectant, quod diffitent, sibique falsò persuadeant, hæc Prophetarum oracula, quæ in Jesu Christo fuisse adamussim completa, Sole clariùs demonstrant Christiani, non esse vera, sincera, & genuina, sed potiùs illa à Christianis de industria ficta, consarcinata, atque excogitata esse, temerè effutiant.

At enim Infideles, perindè ac Judæi, inficiantur, Jesum Christum esse verum Messiam, cum hoc tamen discrimine, quòd Judæi negent, Christum esse verum Messiam, quia obstinatis animis pertendunt oracula, quæ Sacri Vates de venturo Messia cecinerunt, suum in Jesu Christo exitum nacta non fuisse. Ex adversò autem Infideles ultrò fatentur negari haud posse Jesum Christum esse verum Messiam, si semèl hæc Prophetarum oracula, quæ laudant Christiani, vera sint, & non ficta, quia eventus planissimè comprobavit omnia illa, quæ de venturo Messia oracula ediderunt Prophetæ, videlicet de Messiæ Familia, Tribu, Nativitatis loco, Doctrina, Vita, Miraculis, Morte, Resurrectione, Ascensione, optimè in Jesu Christo quadrare, & in illo fuisse omni-

nò completa. Ast Infideles, & Athei contendunt, Libros, è quibus Christiani hæc depromunt oracula, non fuisse à Deo revelatos, nec divinitùs inspiratos, ac subindè divinà illos non pollere auctoritate. Quò fit, ut ejusmodi oracula, quasi à Christianis fuissent perperàm attributa Prophetis, tanquàm supposititia, & pura putaque hominum commenta repudient, sugillent, & explodant.

Hæc sanè immanis calumnia, quam Infideles important Christianis, satis superque refelli posset ex perpetuo consensu, & ex publico, ac constanti Judæorum testimonio, quippè qui omnes ad unum candidè profitentur, & pro aris ac focis defendunt, hæc omnia Prophetarum oracula, quæ proferunt Christiani, vera esse, eaque omni ævo in sacris suis Codicibus sarta tecta fuisse conservata. Porrò testimonium Judæorum non potest Infidelibus esse suspectum, tùm quia Judaica Natio longè ante Christianam Religionem extitit, tùm quia etiam Judæi infensissimi sunt Christianæ Religionis hostes, utpotè qui, teste S. Justino in Dialogo cum Tryphone Judæo, in suis Synagogis diris devovent credentes in Christum, &, ut ait S. Hieronymus Comment. in cap. 5. Isaiæ : Ter per singulas dies in Synagogis, sub nomine Nazaræorum anathematizant vocabulum Christianum. *Et tamèn, ut inquit S. Augustinus, ad invictum, & perenne Christianæ Religionis veritatis præsidium, ac monumentum :* Inimicus homo habet Codicem, *ad quem Christiani remittunt Infideles, ut in eo eadem inspiciant Prophetarum oracula, quibus etiamnùm utitur Christiana Religio, sicque tandèm ipsa rei veritate, suorumque oculorum testimoniis convicti agnoscant, velint, nolint, hæc oracula non à Christianis assuta, intrusa, aut conficta fuisse; sed fuisse reverà edita à Prophetis. Sed præstat auscultare Aquilinum illum Doctorem, qui Concione 1. in Psalmum 58. sic loquitur :* Dispersi sunt Judæi Testes iniquitatis suæ, & veritatis nostræ . . . . Si aliquandò Paganus dubitaverit, cùm ei dixerimus Prophetias de Christo, quarum evidentiam obstupescit, & admirans, putaverit à nobis esse conscriptas, de Codicibus Hebræorum probamus,

mus, quia hoc totum ante prædictum est. Videte quomodò de inimicis nostris alios confundimus inimicos.

Certè hoc argumentum convincendis Infidelibus est aptissimum, illosque præparare, ac disponere potest, ut ad Fidem Christianam amplectendam sint dociliores. Si enim Infideles abdicatis, ut par est, omnibus præjudiciis, tantisper advertere velint, quòd Judæi, qui à prima sui origine Deum Cœli & Terræ Conditorem agnoscunt, primæva Religionis suæ monumenta semper conservarunt, & nunc in omnes Orbis partes dispersi sacros Libros, atque Vaticinia Prophetarum circumferunt, quibus nituntur Christiani ad probandum Christum esse verum Messiam, dùm tamen alii Libri, qui olim ab Ægyptiis, à Romanis, & ab aliis Nationibus tenebris Idololatriæ immersis, tanquàm divini habebantur, temporis rerum omnium edacis diuturnitate perierunt; facilè, inquàm, adducentur Infideles, ut credant, hæc Prophetarum oracula non fuisse à Christianis conficta, maximè cùm eorum antiquitatem, sinceritatem, ac divinam authoritatem ultrò agnoscant Judæi capitales Christianorum hostes. Secundò, Infideles hanc sacrorum Librorum apud Judæos conservationem acceptam referre cogentur non industriæ humanæ, sed speciali beneficio divinæ providentiæ, quæ ejusmodi Libros in tàm longa sæculorum serie interire haùd permisit. Denique, Infideles Vaticinia Prophetarum, qui Messiæ adventum, vocationem Gentium, & reprobationem Judæorum prædixerunt, completa omninò fuisse inficias ire non poterunt, præsertim cùm videant Ecclesiam Christi nunc longè latèque per omnes gentes propagatam, & universalem ruinam Judæorum, qui Christum à Prophetis prædictum obstinatis animis ceù verum Messiam agnoscere detrectantes, extorres, miseri, & omnibus Nationibus exosi facti sunt, sicut in pœnam illorum incredulitatis non solùm ipsis prædixit Christus cap.24. Matth., cap. 13. Marci, cap.19. Lucæ, & alibì, sed etiam ejus Apostoli Petrus, & Paulus, dùm ad supplicium ducerentur, Judæis prænunciarunt, quippè qui, teste Lactantio lib. 4. Divin. Institut. cap.21. Futurum esse dixerunt, ut post breve tem-

pus immitteret Deus Regem, qui expugnaret Judæos, & Civitates eorum solo adæquaret, ipsos autem & fame, & siti confectos obsideret; tùm fore ut corporibus suorum vescerentur, & consumerent se invicem. Postremò, ut capti venirent in manus hostium, & in conspectu suo vexari acerbissimè conjuges suas cernerent; violari, ac prostitui virgines; diripi pueros; allidi parvulos; omnia denique igni, ferroque vastari, captivos in perpetuum terris suis exterminari, eò quòd exultaverint super amantissimum, & probatissimum Dei filium: itaquè post illorum obitum, cùm eos Nero interemisset, Judæorum nomen, & gentem Vespasianus extinxit, fecitque omnia, quæ illi futura prædixerant.

Hoc igitur irrefragabili testimonio Judæorum, qui sacros Codices ut genuinos agnoscunt, eosque toto Orbe, velut Custodes, & Capsarii nostri, eicumferunt, venerantur, & tantùm non adorant, quamvis abundè difflari possit hæc putida Infidelium, & Atheorum calumnia; nihilò seciùs, ut magis ac magis elucescat veritas, postquàm latè contra Judæos in Tractatu de Mysteriis & Annis Christi *probavi, Christum esse verum Messiam Prophetarum oraculis prædictum, nunc superest, ut contra Infideles, & Atheos ostendam, hæc Prophetarum oracula, quibus Christiani demonstrant, Jesum Christum esse verum Messiam, non esse falsa, spuria, aut à Christianis procusa, sed esse vera, sincera, & excerpta ex Libris, quæ complectuntur cœlestem doctrinam à Deo revelatam, inspiratam, & ab antiquissimis Scriptoribus Spiritu Sancto afflatis, sine ullo prorsùs errore conscriptam. Ubi enim semèl liquidò fuerit ostensum, Scripturam, in qua continentur oracula, quibus à Christianis probatur, Christum esse verum Messiam, fuisse à Deo revelatam, inspiratam, citrà ullum vel minimum errorem exaratam, ac demùm antiquissimam esse, è vestigio in auras, fumumque evanescet calumnia Infidelium, & Atheorum, quos non pudet asserere, prædicta illa oracula esse commentitia, & à Christianis ad fucum faciendum obtrusa. Hic erit igitur præcipuus scopus, in quem in hoc Opere collimabimus.*

Ve-

Verùm quia non solùm Athei, & Infideles, sed etiam Hæretici auctoritatem Scripturæ Sacræ pro viribus elevare, & labefactare moliuntur, dùm quosdam Libros, quibus sacram, & divinam auctoritatem asseruit, ac vindicavit Synodus Tridentina, è Canone Scripturæ Sac. pro suo arbitrio expungunt, ideò ut ora obstruantur Hæreticorum, eorumque comprimatur audacia, operæ pretium est Librorum tàm veteris, quàm novi fœderis, quos canonicos esse solemni decreto declaravit Sacro-sancta Oecumenica Synodus Tridentina, divinam Auctoritatem propugnare, omnesque dissipare tenebras, quas huic constanti Ecclesiæ traditioni offundere Heterodoxi conantur.

Porrò, in hocce tractando argumento, in eam facilè erigor spem, fore ut his, qui ad Theologiæ studium appellunt animum, labor, sudorque meus non sit infructuosus. Quamvis enim non me lateat, benè multos hujus tempestatis Viros omnigena literaturà prædítos de eodem argumento ità perdoctè disseruisse, ut omnes palmas promeriti, nihil novi mihi dicendum reliquisse videantur: Licebit tamen mihi, velut advenæ Ruth, post vestigia messorum, spicas, quæ illorum manus effugerint, colligere, & ea in medium proferre, quæ ab illis Viris eruditis didici, excerpsi, ac prælibavi, ipsisque quasi digitum ad fontem intendentibus, adinvenire, & in bono lumine collocare studui. Quamobrem, si quis sit, cui meus non probetur labor, & dicat, me actum agere, lignaque in sylvam deferre, sufficiet mihi ad Instituti mei reddendam rationem huic Censori opponere hæc verba S. Augustini lib. 1. de Trinitate cap. 3. Videat ergo cui hoc in sermone meo displicet, utrùm alios in talibus rebus, quæstionibusque versatos intelligat?.... Et si ità est, ponat Librum meum, vel etiam, si hoc videatur, abjiciat, & eis potiùs, quos intelligit, operam, & tempus impendat. Non tamen propterea putet me tacere debuisse, quia non tam expeditè, ac dilucidè, quàm illi, quos intelligit, eloqui potui. Neque enim omnia, quæ ab omnibus conscribuntur, in omnium manus veniunt. Et fieri potest, ut nonulli, qui etiam hæc nostra intelligere valent, il-

los planiores non inveniant Libros, & in istos saltèm incidant. Ideòque utile est, plures à pluribus fieri diverso stylo, non diversa fide etiam de quæstionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsas perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic. *Cęterùm, omnia, quæ scripsi, Sanctæ Matris Romanæ Ecclesiæ infallibili judicio lubentissimè subjicio, à cujus doctrina nulli errori obnoxià, & perpetua sæculorum serie ad nos usquè per Apostolos, & Sanctos Patres propagata mihi semper summa erit Religio nè latum quidèm unguem desciscere, ejusque decretis maxima, qua par est, veneratione obtemperare.*

Hic Theologiæ Candidatum, in cujus gratiam brevem istum Scripturæ Sacræ Tractatum adornavi, obiter monitum velim, neminem posse evadere, & audire Theologum suis omnibus numeris absolutum, nisi sacros Libros legerit, & ex his Divinæ Scripturæ venis cœlestis doctrinæ Christi thesauros improbo labore effoderit. At enim, sicut Peripateticus non est, qui Aristotelis libros non legerit, ità, meherclè, Theologorum albo accenseri haud debet is, qui sacras Christi litteras non lectitarit unquàm, sed in studio humanarum disciplinarum oleum & operam perdiderit. Absit tamen, ut disciplinarum humanarum utilitatem elevare, vel Theologiæ Scholasticæ necessitatem, sicut Hæretici sibi malè conscii perperàm factitare solent, aliqua ex parte labefactare velim; immò potiùs judico illos legendis, atque explanandis voluminibus arcanis longè magis esse idoneos, qui ingenium afferunt humanis disciplinis exercitatum. Sed tantùm Theologiæ Candidatis author sum, ut ejusmodi disciplinas sobriè per ætatem, & cum grano salis attingant, nec in frigidis, & spinosis quæstionibus, quæ à studio Scripturæ Sacræ Theologis apprimè necessario animum avocant, nihilque planè ad salutem conferunt, totam penè ætatem non solùm nullo fructu, sed etiam magno temporis dispendio conterant. Proh dolor! insurgunt undiquè in Christianam Religionem acerrimi hostes, qui nullam non movent lapidem, ut eam ab imis fundamentis subruant. Ethnici, & Athei, rationem supra fidem temerè extol-

tollunt; Hæretici sacra fidei dogmata aperto marte impetunt. Sunt qui ludicra Poetarum amplectuntur figmenta, & cælestia fastidiunt Mysteria. Sunt qui Ethices christianæ integritatem corrumpunt. Uno verbo, in ea infausta, & calamitosa incidimus tempora, in quibus, velut effractis omnibus Religionis repagulis, longè latèque grassantur vitia, exulant virtutes, periclitatur fides, mutatus est Christianismi color optimus: Undè igitur, quæsò, ad tot propellendum irrumpentium hostium impetum arma sumet Theologus? Undè tot filucescentibus malis præsentissimum arcesset remedium? nisi ex Scriptura Sacra, quæ arx est munitissima, ex qua mille clypei pendent, & quæ, ut ait Apostolus cap.3. Epist.2. ad Timoth. Divinitùs inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. *Felix igitur Theologus ille, qui post degustatas humanas disciplinas, & emensum Theologiæ Scholasticæ stadium, sacros Libros in sinu suo jugiter circumfert, & in deliciis habet, hos nocturna versat manu, versatque diurna, singula in his pià curiositate cognoscere, disquirere, & excutere avet, atque in his sedulò meditantem placida mors occupat. Si hanc fortunatam sortem nancisci desideres, amice Lector, sacrorum voluminum lectione nihil antiquiùs habeas:* Hæc meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus, attende tibi, & doctrinæ, insta in illis. Hoc enim faciens, & te ipsum salvum facies, & eos, qui te audiunt. *Verba sunt Sancti Pauli in Epist. 1. ad Timoth. cap.4.*

Postremò, Lectorem circa duo, quæ in hocce Tractatu occurrunt, præmonitum velim. Primum est, quòd Codices Hebræos & Græcos quandòq; in medium profero, non quod illos Editioni Vulgatæ præferendos, aut æquandos esse ducam, sed eorum dumtaxàt lectione utor ad efficaciùs oppugnandos Heterodoxos, qui perperàm authoritate Editionis Vulgatæ spreta, solis Codicibus Hebræis, & Græcis divinam, & infallibilem asserunt Authoritatem. Alterum est, quòd, dùm aliquos Authores vel ob Hæresim proscriptos, vel qui malè audiunt in Ec-

Ecclesia, tanquàm Viros doctissimos compello, non eorum doctrinam, & dogmata, sed eruditionem tantùm, & Linguarum exoticarum, in quibus versati sunt, notitiam in ipsis commendo.



TRA-

TRACTATUS
DE SCRIPTURA SACRA;

IN QUO

Ex ipsius Revelatione, Inspiratione, & Antiquitate evincitur

CONTRA ETHNICOS

JESUM CHRISTUM
ESSE VERUM MESSIAM,

Et omnium Librorum cùm Veteris, tùm Novi Testamenti, quos Sacro Canoni accensuit Concilium Tridentinum, asseritur, ac vindicatur Auctoritas.

PROLUDIUM,

Et Oeconomia hujus Operis.



UT expeditiori, quoad ejus fieri poterit, methodo & ad usum Scholæ accommodata procedam, hunc Tractatum in tres omninò Partes distribuam. In prima Parte agam de Divina Scripturæ Sacræ Revelatione, Inspiratione, Auctoritate, & Antiquitate: Dein expendam præcipuas difficultates, quæ de Textibus primigeniis Scripturæ Sacræ, & de variis Versionibus, præsertim Græcis, & Latinis, ventilari solenne est. In altera Parte, quosdam

bros veteris Testamenti, quos malè feriati Hæretici in dubium præposterè vocant, verè canonicos esse commonstrabo; omnes frigidas, ac sæpiùs decantatas, quibus nituntur, conjecturas refellam; Synopsim omnium veteris Testamenti Librorum attexam, Auctores indicabo, & Vaticinia, quæ in illis extant, & ad Jesum Christum verum Messiam referuntur, perstringam. In postrema Parte disseram de Auctoritate quatuor Evangeliorum, faciam satis argumentis, queis sacrorum novi Fœderis librorum ab Hæreticis impetitur Auctoritas, eorum Synopsim exhibebo, & opera, quæ falsò Apostolis sunt adscripta, ad Apocryphorum classem ablegabo.

PRIMA PARS.

De Revelatione, Inspiratione, Antiquitate Scripturæ Sacræ, de illius Textibus primigeniis, & de Versionibus cùm Græcis, tùm Latinis à variis Auctoribus concinnatis.

HÆc prima Pars sex complectetur Paragraphos. In primo, disseram de Divina Scripturæ Sacræ Revelatione, & ostendam contra Infideles & Atheos, Divinam Revelationem, quæ est totius Religionis basis ac fundamentum, Libris sacris tàm veteris, quàm novi Testamenti contineri. In altero, diluam objectiones Infidelium & Atheorum. In tertio, adstruam Inspirationem sacrorum Librorum, & evincam, sacros Auctores Librorum tàm veteris, quàm novi Testamenti ità speciali afflatu ac directione Spiritus Sancti scripsisse, ut in Libris, quos ediderunt, nulla omninò sit falsitas, non solùm illa, quæ mentiendo profertur, sed nec ea, quæ vel memoriæ lapsu, vel alio quovis humano defectu inter scribendum obrepere potest. In quarto, dissolvam objectiones, quæ proponuntur con-

contrà Inspirationem sacrorum Librorum. In quinto, agam de Antiquitate Scripturæ Sacræ, & potissimùm Pentateuchi, quem Moysis genuinum fœtum esse certissimis rebus addicam. In sexto, inquiram quinam sit primigenius Scripturæ Sacræ Textus, & an fuerit à Judæis aliquandò interpolatus? Ibidemque varias recensebo Scripturæ Sacræ Versiones, præcipuè Græcas, & Latinas, ac summatim attingam nonnullas difficultates, quæ spectant Versionem LXX. Virûm, & Editionem vulgatam, quæ à Concilio Tridentino authentica fuit declarata.

PARAGRAPHUS PRIMUS,

In quo adversùs Infideles, & Atheos probatur Religionis existentia, & necessitas Divinæ Revelationis, quæ Libris tàm veteris, quàm novi Testamenti manifestò continetur.

ATHei, Infideles, aliiq; increduli, & projectæ conscientiæ viri eò impudentiæ prorumpunt, ut tanquàm filii noctis & tenebrarum, primam ipsam Religionis auroram in naturæ instinctu, ac rationis discursu splendentem refugiant, divinam Revelationem non agnoscant, ac subindè omnes libros, qui apud Christianos, *sacra Scriptura*, dicuntur perfrictæ frontis audacia rejiciant, atque in nullo pretio habeant. Ut igitur eorum revincatur temeritas, tria hoc in paragrapho probanda suscipio. Primò, ostendam contrà Atheos, necessariò Religionem esse admittendam. Secundò, contrà Infideles necessariam esse divinam Revelationem, quæ genus humanum circà Religionem instruat. Denique, invictis momentis palàm faciam, divinam Revelationem, quæ est totius Religionis basis, ac fundamentum, his libris contineri, qui apud Christianos *sacra Scriptura* appellantur.

Dico igitur primò, necessariò Religionem esse admittendam.

Ad hanc probandam assertionem adducere possem quinque peremptorias Divi Thomæ rationes, & alias tam physicas, quàm morales, & metaphysicas demonstrationes, quibus Theologi adversùs Atheos supremi numinis adstruunt existentiam. Demonstratâ siquidem semèl Dei existentia, necessariò sequitur, insita esse, omniumque hominum animis, ac sensibus altiùs infixa à natura Religionis semina, & fundamenta, Deumque à nobis religioso obsequio esse colendum. Quod etiam palàm colligitur ex consensu omnium nationum in hanc veritatem, quam natura ipsa docet, certatìm conspirantium. Nulla quippè gens tam barbara est, cui non insit aliquis Religionis cultus. Certum autem est, ea, in quibus singuli omninò homines conveniunt, à naturæ, & rationis lumine prodire, cùm nullum alium habeamus communem Magistrum. Negari igitur non potest indita esse omnibus hominibus Religionis semina, ac fundamenta, quæ ipsi non ab educatione, non à consuetudine, sed ab ipsa natura hauserunt, traxerunt, arripuerunt. Verùm, quia hæc, & alia hujusmodi argumenta omnibus obvia sunt, his referendis lubens supersedebo, unumque dumtaxat, brevitatis ergò, proponam, quod ex ipsa Religionis notione, quæ medullitùs omnium mortalium animis insidet, elicitur.

At enim, Religionis nomine, ut in confesso est apud omnes, nihil aliud intelligitur, quàm impressum quoddam lumen, quo supremum Numen agnoscitur, & colitur; atquì experientiâ constat nos naturâ duce, & solâ præeunte rationis face ad Dei existentiam, ejusque cultum assurgere. Omnis siquidèm homo, dùm ipsi affulgere incipit rationis aurora, confestim, & sine ullo externo adminiculo, experitur, & percipit impressam suo animo æternæ cujusdam Legis Auctoritatem, sibi, & omni homini dominantem, quâ honesta sectari, turpia, injustaque fugere jubetur, hæc autem suprema Auctoritas omni humanæ menti præeminens, & dominans est ipsissima Dei Auctoritas, quia Dei nomine nihil aliud intelligitur, quàm mens suprema animis no-

nostris præeminens, & dominans, cui obsequium exhibere omnis homo obstringitur. Cùm igitur singuli homines, ubi primùm rationis lumine illustrantur, agnoscant menti suæ auctoritatem cujusdam eternæ Legis dominari, necesse est, ut naturâ duce, & rationis præfulgente lumine perspectam habeant notitiam Dei, seque ei cultum, ac reverentiam debere, & fortunas suas à suprema ipsius voluntate pendere intelligant.

Hujus argumenti efficacia perspicua magis redditur ex illis motibus, qui hominibus naturaliter accidere solent: nam, exempli gratiâ, quilibet homo, dùm transgreditur æternam illam Legem, quam scit menti suæ dominari, naturaliter timet, & perturbatur, quia pertimescit Auctoritatem, & potestatem Legislatoris, à quo vim Lex habet. Similiter, quilibet homo, dùm insigniori aliquâ injustitiâ ab aliis afficitur, omnique humanâ ope se se destitutum sentit, illicò provocat ad Tribunal illius supremæ Auctoritatis omnibus dominantis, dùm videt sceleſtissimos quosdam homines improvisâ, & insolitâ clade perculsos, id divinæ ultioni deputat. Deniquè, in prodigiosis eventibus rudes etiam homines hanc supremam auctoritatem vel inviti agnoscunt, dùm in periculis extremis oculos ac manus ad Cœlos tendunt, Deiq; opem implorant. Hi siquidèm motus, qui, ut eleganter ait Tertullianus, singulis hominibus communes sunt, & à primævo naturæ instinctu erumpunt, palàm testantur humano cordi naturaliter impressam esse divinæ Auctoritatis reverentiam, ac religionem, cujus conservandæ studio omnes Populi nihil antiquiùs habent, atque augustiùs. Hanc quippè non tàm rerum suarum, quàm sui partem reputant hærentem in ipsa natura, intimisque sensibus admirabiliter insculptam, ad quam strenuè propugnandam, eorum vehementer inflammantur studia, & sicut nihil habent Religione cariùs, ità nihil est, quòd hujus retinendæ causâ magnis animis aggredi non audeant, nullaque præsentissima licèt pertimescant pericula, quandò aliquâ Religionis specie fucata ac velata sunt.

His

His omnibus addo, nullum esse hominem, etiamsi in in summa rerum omnium ignoratione versetur, qui statim non intelligat supremam mentem, seù intelligentiam huic Mundo præsidere; nam sicut ex ordinato motu aliorum hominum, ex legibus, quas condiderunt Legislatores, ex artibus, quas adinvenerunt, vel excoluerunt Opifices, mentem ratione præditam illis inesse ità manifestè percipiunt rudes, & plumbei homines, ut eum, qui hoc inficias ire, vel in dubium vellet revocare, omnes, ut furentem & amentem, ex hominum societate exturbarent; ità omnes homines etiam rustici, si ad hanc Mundi fabricam tàm affabrè elaboratam, tàm sapienter gubernatam, animum tantisper adverterint, non subtili, non contorto, & longiùs accersito ratiocinio, sed naturali quodam usu & impetu intelligent supremam mentem totius hujusce aspectabilis Mundi gubernationi & conservationi præsidere, eique reverentiam & religionem, seù cultum & obsequium impendi debere.

Ex his ergò fontibus, & clarissimis notionibus omni homini inditis, & pro cujusque captu se se infundentibus palàm orta est Religio, cujus proindè semina, ac fundamenta penitioribus naturæ ac menti humanæ recessibus impressa convelli nequeunt, quin eàdem operâ omnis humanitas & ratio radicitùs extirpentur, & penitùs aboleatur societas humana, quæ, de medio semèl Religione sublatâ, stare haud potest ob innumera & nefandissima scelera, in quæ proruerent impii & scelesti homines. Nam Athei Religionem pessundare, & exterminare eo solo fine nituntur, ut, semèl excusso Religionis jugo, genio faciliùs indulgere, cupiditatibus suis habenas impunè laxare, justos, pauperes, & viduas injustè opprimere possint, nullamque præter fortitudinem suam sibi præscribant justitiæ legem: *Dixerunt enim* (impii) inquit Scriptura Sacra cap.2. Lib. Sapientiæ, *cogitantes apud se non rectè: Exiguum & cum tędio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reversus ab inferis, quia ex nihilo nati sumus,*

ſumus, & poſt hoc erimus tanquàm non fuerimus; quoniam fumus flatus eſt in naribus noſtris, & ſermo ſcintilla ad commovendum cor noſtrum, quà extinctà, cinis erit corpus noſtrum, & ſpiritus diffundetur tanquàm mollis aër, & tranſibit vita noſtra tanquàm veſtigium nubis. En graphicè deſcriptam doctrinam Impiorum, & Atheorum, qui nec Religionem, nec Providentiam Dei, nec immortalitatem animæ agnoſcunt, ſed quàm funeſtas ſocietati humanæ conſequentias ex hac peſtilenti doctrina deducant, docet eodem in capite Scriptura ſic impios loquentes inducens: *Venite ergò, & fruamur bonis, quæ ſunt, & utamur creaturà tanquàm in juventute celeriter: vino pretioſo, & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis .... nemo noſtrum exors ſit luxuriæ noſtræ .... opprimamus pauperem juſtum, & non parcamus viduæ, nec veterani revereamur canos multi temporis. Sit autem fortitudo noſtra lex juſtitiæ &c.* Quæ cùm ità ſint, nemo eſt qui non videat neceſſariò admittendam eſſe Religionem, quæ eſt Regnorum, ac Rerumpublicarum fundamentum, vinculumque humanæ ſocietatis, quo ſemèl ſublato, nec ad coërcenda ſcelera leges valeant, nec prudentia ulla Sapientum.

Jacto igitur hoc ſolidiſſimo principio, quo Atheorum & Impiorum proteritur error, nunc contra Infideles ſtatuendum eſt primò, neceſſariam eſſe, & reverà exiſtere Divinam Revelationem. Secundò, Divinam Revelationem his Libris, qui apud Chriſtianos *Sacra Scriptura* dicuntur, manifeſtò contineri.

Dico itaque ſecundò: neceſſariam eſſe, ac ſubindè exiſtere Divinam Revelationem, quæ genus hominum circà Religionem inſtruat.

Suppono Revelationis nomine intelligi omnia, quæ Deus variis temporibus homines circa cultum, ſeù Religionem edocere dignatus eſt, & quæ ſacris Libris cùm veteris, tùm novi Fœderis continentur. Ad duo autem tempora potiſſimùm referri poſſunt omnes Revelationes, quibus Deus genus humanum circà Religionem inſtruxit. Primò, ad tempus,

pus, quod præcessit adventum Messiæ, & illæ Revelationes factæ sunt Patriarchis, Moysi, Prophetis, & aliis Scriptoribus sacris, extantque in Libris veteris Testamenti. Aliæ verò Revelationes pertinent ad tempus Messiæ, seù Jesu Christi Servatoris nostri, qui benè multa ad cultum, & Religionem spectantia sive immediatè per se ipsum docendo, sive per ministerium suorum Discipulorum nobis in sacris Libris novi Testamenti revelavit. Has omnes Revelationes hominibus à Deo factas complexus est Apostolus Paulus paucis hisce verbis, quibus ad Hebræos suam auspicatur Epistolam: *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula.*

Hac præmissâ observatione, proclive est necessitatem & existentiam Divinæ Revelationis evidenti isto argumento contra Infideles demonstrare. Quamvis enim, ut mox probatum est, naturæ instinctus, & rationis discursus omni homini inspirent Dei reverentiam & cultum, attamen quem Deus à nobis affectum, cultumve exigat, qualis sit Dei ergà nos affectus, nec natura satis determinat, nec ratio satis certò investigare potest: immò ratio suggerit, hunc cultum non ex nostro arbitrio, sed ex divina quadam determinatione pendere. Obsequia siquidèm, quæ Subditi exhibent Principi, non ex Subditorum arbitrio, sed ex Principis præscripto determinari ac præfigi debent. Quapropter necessaria omninò est Divina Revelatio nobis explicans & Dei ergà nos affectum & cultum, quem Deus à nobis exigit, cæteraque omnia ad Religionem spectantia. Quæ, si semèl desit, Divina Revelatio, ut plurimùm cœcutit, hallucinatur humana ratio sibi permissa, in turpissimos errores & absurdissimas superstitiones sæpe sæpiùs impingit Divinæ Revelationis face destituta, sicut patet inspicienti varias gentium pro suo nutu Religiones sibi confingentium opiniones, seù potiùs deliramenta. Planum itaquè ac expeditum est, necessariam esse Divinam Revelationem, ac subindè eam actu exi-

existere, quia nullus sapiens in necessariis deest his, quibus providet, si ergò existat Deus, & rebus humanis provideat, non potest Deus in re tàm necessaria, qualis est Divina Revelatio, quæ Religionem, seù cultum determinat, generi humano deesse. Undè eleganter ait Lactantius cap. 1. lib. 1. Divin. Institut. *Quod quia fieri non potuit, ut homini per se ipsum ratio divina innotesceret, non est passus hominem Deus lumen sapientiæ requirentem, diutiùs oberrare, ac sine ullo laboris affectu vagari per tenebras inextricabiles. Aperuit oculos ejus aliquandò, & notionem veritatis munus suum fecit, ut & humanam sapientiam nullam esse monstraret, & erranti ac vago viam consequendæ immortalitatis ostenderet.*

Dico ultimo: Divinam Revelationem, quæ est totius Religionis basis ac fundamentum, Libris sacris tàm veteris, quàm novi Testamenti manifestò contineri.

Hujus assertionis veritas, quam pervicaciter negant Infideles, multis, iisque invictis argumentis demonstrari potest. Primò, quia hi soli Libri, qui apud Christianos *Sacra Scriptura* appellantur, nobis exhibent Divinam Revelationem humano generi coævam, ab ipso Mundi exordio congruis instrumentis dispensatam, & ad nos usque mirabili providentiâ tot inter ac tantas rerum perturbationes & vicissitudines temporum integram ac illibatam jugiter conservatam, purioribus naturæ & rationis circa Religionem principiis egregiè consonantem, omni humanâ inventione sublimiorem, quæ declarat Dei erga homines affectus, & ineffabilia summæ ejus charitatis viscera, æterna indicat bona, quæ Deus colentibus se præparavit, ac postremò docet quali cultu Deus à nobis colendus sit, nempè in Fide, in Spe, in Charitate, in Sanctitate, in Justitia, & in omni bonitate, adeo ùt homines, qui ad hanc vivendi normam mores suos exigere satagunt, divinam quamdam vitæ formam in se ipsis exprimant, Deo digna sentientes, proprios affectus ad omnem virtutis regulam componentes, erga alios æquitatis exactæ, & perfectæ benignitatis documenta

servantes, modestiæ, prudentiæ, continentiæ, cæterarumque id genus virtutum præbentes exempla. Hæc autem doctrinæ, præceptorum, & legis sanctitas, quâ sola Scriptura Sacra præfulget, luculenter probat, eam fuisse à Deo revelatam, divinisque characteribus esse munitam.

Hinc nullo negotio confutari potest insignis impostura Infidelium, qui asserunt, Revelationem contentam his Libris, qui apud Christianos *Sacra Scriptura* appellantur, aut ab hominibus inventam esse, aut à malo quodam genio inspiratam. Facilè, inquam, hæc Infidelium impostura refelli potest. Primò namque dici nequit,Revelationem, quæ sacris Christianorum Libris continetur, fuisse ab hominibus excogitatam, quia speciali Divinæ Providentiæ beneficio fuit hæc Revelatio his infusa Ministris, qui Viri boni ac simplices erant, & ob id à mendacio abhorrentes alios fallere non volebant, quia boni erant & ingenui, quibus nihil execrabiliùs, quàm fraudes texere, & mendacia proferre. Immò etiam, si voluissent alios decipere, id tamen præstare minimè potuissent, utpotè nec astuti, nec tantæ nectendæ atque concinnandæ fraudis capaces. Eorum quippè simplicitas & candor tùm in moribus, & perpetuo vitæ tenore se se prodit, tùm etiam in ipso scribendi stylo palàm elucet. Siquidèm illorum elocutio non exquisita est & affectata, non in verborum delectu, & in apta eorum collocatione posita, sed potiùs rudis est & impolita, in qua verba non ornant res, sed ipsa rerum magnitudo Scriptoris mentem, & verba supra humanum modulum rapit, ita ut vel ipso scribendi modo satis constet eos instrumenta quædam & organa impolita fuisse à quadam superiori mente mota & adhibita, eo pacto, ut eloquii simplicitas respondeat quidèm instrumento, sed rerum magnitudo & doctrinæ sublimitas asseri debeat superiori menti infirmo utenti instrumento. Ecquis, sodes, sibi persuadeat Prophetas, Evangelistas, Apostolos viros, ut certissimè constat, magna ex parte rudes & illiteratos, à pueritia aut Agricolas, aut Pastores, aut Artifices, aut Piscatores tàm sublimem & admirabi-

rabilem doctrinam cœlitùs non accepisse, sed eam proprio marte, & de cerebro suo confinxisse, ad quam comparata præstantiorum Philosophorum doctrina puerilis apparet? Quis tàm bonus, ut credat hujusmodi homines adeò simplices contra auctoritatem Principum, contra superstitiones Sacerdotum & Populorum, contra argumenta Philosophorum, eloquentiam Oratorum, corruptionem passionum ubique grassantem, potuisse nullâ divinâ virtute adjutos tàm felici exitu eamdem doctrinam, quam litteris mandarunt, defendere, propugnare, stabilire, ut tandèm omnem potentiam humanam reluctantem, & ferro flammâque atrociter sævientem devicerint, eique doctrinæ, quam oppugnabant, subjugarint? Malè igitur obstrepunt Infideles, Revelationem, quæ continetur his Libris, qui apud Christianos *Sacra Scriptura* appellantur, ab hominibus inventam fuisse.

Secundò, falsò itidèm asserunt Infideles, Revelationem, quæ sacris Christianorum Libris comprehenditur, fuisse à malo quodam genio inspiratam; tùm quia hæc Revelatio, quæ sacris Christianorum Libris continetur, nihil aliud spirat, sicut jam diximus, quàm sanctitatem, justitiam, pietatem, innocentiam, charitatem, uno verbo, exprimit quidquid purioris ac sublimioris virtutis nomine continetur; tùm quia etiam hæc Revelatio, ut mox ostendemus, fuit in veteri Testamento à Moyse Judæorum Legislatore, & in novo Testamento à Christo Domino, & ab ejus Apostolis innumerâ prodigiorum multitudine confirmata; quæ cùm publica fuerint, & in oculis totius Judææ peracta, falsi insimulari haud possunt, alioquì Ethnici, & Judæi, quorum plurimi intererat, procùl omni dubio reclamassent, eaque palàm falsi convicissent, quod tamèn nunquam factitarunt. Hæc autem prodigia Deum authorem habuisse, patet primò, quia tot ac tanta sunt illa prodigia, ut nonnisi à supremo totius naturæ Domino edi potuissent. Secundò, quia hæc prodigia ad unius Dei cultum instituendum, & ad abolendam sacrilegam Dæmoniorum superstitio-

tionem patrata sunt ab his Viris, quorum mores innocentissimi erant, & quorum sibi semper constans vitæ tenor summam erga unum Deum reverentiam, erga homines benevolentiam, erga magicas artes maximam execrationem omnium oculis ingerebat. Revelatio igitur, quæ sacris Christianorum Libris continetur, non fuit à quodam malo genio facta, ut calumniantur Infideles, sed facta fuit à Deo Optimo Maximo, qui nec falli, nec fallere potest, sed est verax & fidelis in omnibus verbis suis. Undè sicut in cognitionibus, quas habemus de rebus naturalibus, ideò certi sumus nos non errare in his, quæ clarè ac distinctè percipimus, quia scimus Deum esse summè bonum, & summè veracem, qui noluisset nos condere, ut deciperemur in his, quæ clarè ac distinctè percipimus, tunc enim error refunderetur in Deum naturæ nostræ conditorem, ita non absimili, immò & potiori ratione, incunctanter affirmare debemus, nos non decipi assentiendo his, quæ scripta sunt in sacris Christianorum Libris, quia certi sumus, Deum, qui est prima bonitatis & veritatis Regula, noluisse nos decipere in his, quæ vel per se, vel per aliorum ministerium nobis in illis Libris sacris revelare dignatus est.

Alterum argumentum, quo adversùs Infideles probatur Scripturæ Sacræ tàm veteris, quàm novi Testamenti Divinam esse Revelationem, petitur ex innumeris miraculis, ac stupendis prodigiis, quibus Deus per Moysem, & Josue, per Jesum Christum, ejusque Discipulos, velut auctoritatis suæ sigillo Divinam Revelationem sacris Litteris contentam obsignavit. Quæ prodigia tanta, tàmque evidentia sunt, ut nullâ tergiversatione celari, ac nullâ cavillatione eludi possint. Cujusmodi sunt: mirabilis Israelitarum ex Ægypto liberatio per Moysem facta: conversæ aquę fluminum in sanguinem: tenebræ Ægyptiis omnibus offusæ, vastati grandine, & locustis eorum Agri: occisa ab Angelo in Ægypto omnia primogenita tàm hominum, quàm pecudum: Mare rubrum virgâ Moysis divisum, Populi per medium ejus trajectio, Pharaonis Exercitus submersio: colum-

lumna nubis, & ignis, quæ viæ dux esset: Manna per annos quadraginta delapsum: *Core*, *Dathanis*, *&* *Abironis*, quos coram universo Populo Israëlitico dehiscens terra vivos absorbuit, terribilis mors. Hæc & alia quamplurima, quæ Deus per Moysem edidit, prodigia apertè probant, Libros ab ipso exaratos Divinam continere Revelationem. Idem argumentum probat Divinam Revelationem contineri Libris sacris novi Testamenti. At enim Jesus Christus Servator noster doctrinam suam, quâ totum Mundum imbuit, non solùm dictis, & factis, sed etiam multis prodigiis comprobavit, ejusque Apostoli ac Discipuli eamdem doctrinam in Libris novi Testamenti descriptam, licèt rationi humanæ imperviam, & carni sensibusque adversam per totum Orbem infractis animis prædicarunt, ac sine eloquentia, sine armis, sine ullis humanis adminiculis de Oratoribus, de Philosophis, de Principibus conjuratis Christianæ Religionis hostibus, solâ virtute miraculorum, quæ patrabant, gloriosum reportarunt triumphum, ac extirpatâ idololatriâ tot annorum diuturnitate roboratâ, tot locis longè latèque diffusâ, veri Numinis cultum & splendidissimam Evangelii lucem omnibus Nationibus intulerunt.

Respondent Infideles: omnia miracula, quæ à Moyse, à Jesu Christo, ejusque Discipulis facta perhibentur, fuisse vel de industria conficta, vel causis naturalibus esse adscribenda, quæ tamen Viris simplicibus, quibus arcanæ illæ causæ exploratæ non erant, videbantur miracula, quamvis reverà non essent.

Verùm hæc Infidelium responsio multis momentis refelli potest. Primò, quia Moyses non clanculùm, sed in propatulo hæc edidit miracula, Testesque appellat Israëlitas, qui ea propriis oculis inspexerant. Quâ fronte autem potuisset Moyses ejusmodi miraculorum, quæ Deus per ipsum facere dignatus est, Testes appellare Israëlitas, si fictitia fuissent? Quo pacto etiam Moyses sexcentis & ampliùs Israëlitarum millibus persuadere potuisset, ipsos vidisse quod non viderant, maximè cùm Israëlitæ, teste Scripturâ Sacrâ, es-

essent homines duræ admodùm cervicis, quorum crimina, obmurmurationes adversùs Deum, Vituli aurei cultum, incredulitatem ac diffidentiam, blasphemias, seditiones, perduelliones, libidines, cæteraque nefanda peccata, quibus iram Dei provocabant, ingenuè refert, & accuratè describit Moyses? Credibile ne est, hunc Populum, qui contra Moysem frequenter rebellabat, ejusque imperio subesse detrectabat, tàm facilè adduci potuisse, ut illa miracula à Moyse planè conficta, tanquàm vera religiosè susciperet, & ad eorum perpetuam memoriam posterorum animis altiùs infigendam institueret Sacramenta, Sacrificia, Cæremonias, Solemnitates, & alia id genus monumenta, quæ etiamnùm Judæi diligenter custodiunt, & observant? Prætereà, si aliquis Historicus Annales Romanorum scribens, diceret, sub initium Pontificatûs CLEMENTIS XI. maxima Romæ edita fuisse prodigia, quibus Christiani ab oppressione Turcarum, qui Italiam invaserant, erepti, in pristinam libertatem fuerunt asserti, horumque prodigiorum testes adhiberet omnes Italos, numquid ille Historicus dictis suis fidem conciliare posset, & non potiùs se se tanquàm effrontem impostorem omnibus deridendum propinaret, cùm ab omnibus Italis falsi coargui, & convinci posset. Ita similiter Moyses fuisset post homines natos imprudentissimus, si jaciendo Reipublicæ Judaicæ fundamenta persuadere voluisset, Israëlitas fuisse è captivitate Ægyptiaca liberatos stupendis prodigiis, quorum falsitatis non solùm Israëlitæ sibi conscii fuissent, sed etiam Ægyptii, apud quos prædicta prodigia edita fuisse, narrat Moyses. Profectò, si quis attentè consideret Moysis vitæ integritatem, candorem, modestiam, mansuetudinem, styli, orationisque simplicitatem, eventum Vaticiniis, quæ edidit, omni ex parte respondentem, continuò fatebitur, eum non fuisse ita comparatum, ut fictitia venditaret miracula, quorum falsitas non amorem & fidem Israëlitarum ipsi devinxisset, sed potiùs odium, invidiam, & indignationem conflasset, omnem ipsi fidem apud Israëlitas abrogasset, nullumque Reipublicæ, quam fundabat,

bat, incrementum, sed ultimam cladem ac ruinam attulisset.

Quod autem spectat ad miracula, quæ Christus Dominus edidit, certum est, Judæos ultrò confessos fuisse miracula à Jesu Christo Servatore nostro patrata fuisse, quamvis tamen odio & livore cœcati, Christi Domini miracula arti magicæ accepta referrent, quam putidam Judæorum calumniam abundè confutavimus in Tractatu *De Misteriis, & Annis Christi Servatoris nostri*, ubi etiam ex testimonio Josephi, auctoris magni apud Judæos nominis, & ex consensu Ethnicorum Imperatorum, præsertim *Juliani* Apostatæ probavimus, vera à Christo patrata esse miracula, quæ etiam *Mahumetes*, insignis impostor, negare non ausus est. Præterquamquòd miracula Christi referunt Apostoli, & Evangelistæ, quorum in scribendo fidem ac sinceritatem commendant, eorum vitæ probitas, simplex oratio, totius Mundi per ipsorum prædicationem innovatio, gravissimæ toleratę persecutiones, mors ipsa constanter oppetita pro defensione doctrinæ Christi, & ejus miraculorum. Quis autem suum inducat in animum, Discipulos Christi adeò insaniisse, ut exilia, tormenta, carceres, & probrosam mortem subire voluerint pro defensione miraculorum Christi, si ea falsa esse intellexissent, & ad decipiendos homines conficta? Fieri ne potuit, ut Judæi, qui extabant Hierosolymis, ac subindè certò scire poterant, an prodigia, quæ tempore Passionis Christi acta fuisse narrant Sacri Evangelistæ, reverà contigissent, nec ne? Nunquam reclamaverint ad propalandam fraudem Evangelistarum, sed potiùs benè multi ex illis Judæis, qui illorum prodigiorum testes potuerant esse oculati, Christianæ Religioni nomen dederint, adeò ut, teste Eusebio lib.3. Hist.Eccl. cap.31., universa Hierosolymitana Ecclesia ex solis Hebræis, qui ad Fidem Christianam conversi erant, tunc temporis fuerit conflata, usque ad tempora Adriani Imperatoris, qui Judæos, & Christianos Hierosolymis expulit. Patet itaque, vera miracula edita fuisse tùm à Moyse Judæorum Legislatore, tùm à Jesu Chri-

Christo Servatore nostro, quæ occultis causis naturalibus adscribi non debent, ut blaterant Infideles. Stultum siquidèm est asserere, Moysem potuisse per causas naturales repentinam procurare mortem omnium Primogenitorum in Ægypto tàm hominum, quàm pecudum, & Christum per causas itidèm naturales ad vitam revocasse mortuos.

Tertium argumentum, quo adversùs Infideles Librorum tàm veteris, quàm novi Testamenti Divina probatur Revelatio, desumitur ex Vaticiniis Prophetarum, & ex mira illa consensione, quæ reperitur inter Libros veteris Testamenti & novi Fœderis libros. Enimverò in Libris Prophetarum prædicitur adventus Messiæ, qui ex stirpe Abrahami & Jacob, ex Tribu Juda, & ex familia David proditurus est, eo tempore, quo à Tribu Juda, seù à Natione judaica Regnum deficere debebat, post quatuor Monarchias à Daniele in somnio Nabuchodonosoris explicatas, post Hebdomades septuaginta ab eodem Daniele memoratas. Adduntur insuper hujus adventus Messiæ impleti temporis notæ toto Orbe conspicuæ, nimirùm ruina Regni Judaici, cessatio Sacrificiorum, Gentium vocatio &c. Describuntur etiam circumstantiæ loci Nativitatis Messiæ in Bethleem, Educationis in Nazareth, Prædicationis, Doctrinæ, Miraculorum, Mortis, Resurrectionis, & Ascensionis in Cœlum. Hæc sunt divina promissa, & oracula, quæ extant in Libris Prophetarum, cum quibus perfectissimè consentiunt novi Fœderis Libri, quippè qui ita clarè ostendunt omnia sacrorum Vatum de venturo Messia oracula fuisse in Jesu Christo Servatore nostro completa, ut eorum eventus omnium oculis sit perspicuus, & coruscante meridiano Sole clarior, ut latè commonstravimus in Tractatu *De Mysteriis, & Annis Christi*. Hinc Apostolus Paulus ad Coloss. cap. 2. ait, omnia, quæ gesta sunt in veteri Testamento, esse *umbram futurorum*, idest, omnia Mysteria, quæ in novo Testamento, semotâ omni obscuritate, completa sunt, fuisse in veteri Testamento quasi delineata, & variis figurarum involucris adumbrata. Idem confirmat Apostolus 1. ad Corinth. cap. 10.

his verbis: *Nolo vos ignorare, fratres, quoniam Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes Mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in Mari; & omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eumdem potum spiritualem biberunt (bibebant autem de spirituali, consequente eos petrà, petra autem erat Christus)..... hæc omnia in figuris contingebant illis: scripta autem sunt ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt.* Admirabilis igitur illa consensio, quæ est inter Libros veteris Testamenti & novi Fœderis Libros, luculentissimum suppeditat argumentum ad probandum, Divinam Revelationem sacris Christianorum Libris esse contentam.

Respondent Infideles, se suos itidèm habere Vates, sua oracula, quorum historias proferunt, adeòque nihil Judæis ac Christianis causæ esse cur suis Vaticiniis tantoperè glorientur.

Sed hæc Infidelium responsio facili negotio eliditur. Primò, quia ipsimet Gentiles tantisper eruditi ingenuè profitentur, Historias Deorum fabulosas esse. Quò fit, ut tempora, quibus Dii gentium floruisse dicuntur, fabulosa nuncupare soleant, Deorumque gesta tot laudibus exornata à Poetis, quibus quælibet fingendi semper fuit summa potestas, nullus unquàm prudens vera esse sibi persuaserit. Deindè Gentilium Historia, tota quanta est, crassis scatet erroribus, innumeris antilogiis, næniis, anilibus fabulis, vitiis, turpissimisque Deorum moribus & obscœnis amoribus conspurcatur, quibus ad flagitiosam vitam, & ad effrænem explendam libidinem excitantur mortales, quæ omnia certè ejus falsitatem, & inspirationem à malo quodam genio factam apertissimè produnt. Prætereà, omnis Historia Gentilium longè posterior est sacrâ Judęorum, & Christianorum Historia, quandoquidèm Moyses, sicut disertè docent Sancti Patres, fuit primus Scriptor omnium gentium, non solùm Persarum, & Græcorum, sed etiam Ægyptiorum, Chaldæorum, & Assyriorum, ex cujus postea Libris Gentiles Oratores, Poëtæ, Legumlatores benè multa hauserunt,

C de-

defloraruat, excerpferunt, fuifque Libris inferuerunt. Addo etiam, nullam effe in toto Orbe Nationem, præter Judæos, & Chriftianos, quæ Revelationem Mundo coævam habeat, & res adeò mirabiles referat, quales facra Judæorum, & Chriftianorum Hiftoria narrat de fummo omnium Conditore Deo, de Religione, de origine, natura, ftatu, conditione, miferiis, ultimo fine hominis, de modo fanandi ejus infirmitates, ac paffiones refrænandi per gratiam medicinalem Jefu Chrifti Servatoris noftri, quorum omnium, quibus antiqua & vera internofcitur Religio, nullum in Hiftoria Gentilium vel minimum apparet veftigium.

Quantùm ad Vates & oracula, quæ jactant Gentiles, refpondeo, ejufmodi oracula edita effe circa minutos, obfcuros, nulliufque planè momenti eventus, circa quos nullus eft adeò mendax Vates, qui confidenter & impunè non garriat, immò itentidèm mentiendo, in verum quandoquè non incidat. Undè *Cicero* lib.2. de Divinatione, hæc, quæ fuâ ætate circumferebantur, oracula deridet, partim ut falsò conficta, partim ut cafu vera, partim ut ambigua refponfa Sacerdotum incautam & fimplicem plebem decipientium. Deindè, quid, amabo, funt hæc Gentilium oracula, fi comparentur cum Scripturæ Sacræ Prophetiis tot & tantis de rebus adeò illuftribus, publicis monumentis, tot fæculis ante eventum oculis omnium expofitis, ut fuo tempore implendis; ficut reverà omnes completas effe tàm clarè in præfentia videmus, quàm radii folares in meridie cernuntur. Tertiò, hæc Gentilium oracula collimabant partim ad lucrum, in commemorationem alicujus Templi, putà *Delphici*. Hac quippè arte infigniter locupletati, & auri facrâ fame inefcati callidiffimi Sacerdotes fuis commodis inferviebant, & Populi, cujus divitiis inhiabant, ora obliniebant, atq; marfupia mille fraudulentis artibus emungebant. Tendebant etiam hæc Gentilium oracula ad bella, & negotia fæcularia feliciùs adminiftranda, ut nimirùm devios ac tumultuantes populos à gerendis bellis vel avocarent, vel fpeciofo divinæ promiffionis obtentu ad bella rede-

derent alacriores. Sed præsertim hæc Gentilium oracula tendebant ad nefariam superstitionem populorum animis instillandam, ac magis magisque confirmandam, & ad alios pessimos fines, quos sibi præstituebant nefarii illi Sacerdotes, qui populo plùs æquo credulo, ut fucum facerent, nullum lapidem non movebant. Ast sacra Prophetarum nostrorum oracula ab illis pravis finibus sunt penitùs aliena. Omnia quippe tendunt ad unum Dei cultum propagandum, ad excitandos homines ad amorem veræ virtutis, & ad genuinam pietatem, ad eos à sensibilibus & caducis bonis ad spiritualia & æterna promovendos, ad expectationem, seù adventum Jesu Christi veri Messiæ Servatoris nostri. Denique, oracula Gentilium nihil aliud erant, quàm illusiones & fallaciæ Dæmonum, qui, sicut eleganter ait Lactantius lib.2. Divin.Institut. cap.17. *In oraculis vel maximè fallunt, quorum præstigias prophani à veritate intelligere non possunt, ideòque ab illis attribui putant & imperia, & victorias, & opes, & eventus prosperos rerum, denique ipsorum nutu sæpè Rempublicam periculis imminentibus liberatam, quæ periculo & responsis denuntiaverunt, & sacrificiis placati averterunt. Sed omnia ista fallaciæ sunt; nam cùm dispositiones Dei præsentiant, quippe qui Ministri ejus fuerunt, interponunt se in his rebus, ut quæcumque à Deo vel facta sunt, vel fiunt, ipsi potissimùm facere, aut fecisse videantur; & quotiès alicui populo, vel Urbi secundùm Dei statum boni quid impendet, illi se id facturos vel prodigiis, vel somniis, vel oraculis pollicentur, si sibi templa, si honores, si sacrificia tribuantur: quibus datis, cùm illud acciderit, quod necesse est, summam sibi pariunt venerationem. Hinc Templa devoventur, & novæ Imagines consecrantur, mactantur greges hostiarum.* Hactenùs Lactantius, ex cujus testimonio facilè dignoscitur quantùm falsa, ambigua, & obscura Gentilium oracula (quæ Plutarchus suo tempore jam desiisse scribit) distent à veris, clarissimoque eventu comprobatis sacrorum Vatum nostrorum Prophetiis.

Hæc, quæ jam adduximus, momenta abundè sufficere

possent ad probandam Divinam Scripturæ Sacræ Revelationem, sed, ut efficaciùs convincantur Infideles, non pigebit in eos intorquere argumentum desumptum ex ipsamet confessione Scriptorum Ethnicorum, qui testimonium perhibent veritati Historiæ Jesu Christi Servatoris nostri, quæ fuit à Sacris Evangelistis descripta. Enimverò Sacri Evangelistæ in primis referunt, Jesum vixisse in Judæa. Idem etiam confitentur Ethnici Scriptores, scilicet *Suetonius*, *Tacitus*, *Plinius junior*, *Porphyrius*, *Phlegon*, *Celsus*, *Numenius*, *Lucianus*, necnon Imperatores *Trajanus*, *Antoninus Pius*, & *Marcus* Philosophus, ut nihil dicam de Josepho Hebræo, qui lib.18.antiqu. cap.4. perhonorificum de Jesu Christo reliquit testimonium.

Secundò, Sacri Evangelistæ perhibent, Jesum natum esse in Bethleem, ex matre paupercula, eumque in Ægyptum profugisse. Id etiam agnoscit Ethnicus Scriptor *Celsus*, acerrimus christiani nominis insectator. Quin ex tabulis censualibus Romanorum, ad quas provocant *Justinus*, *Tertullianus*, & *Chrysostomus*, ex censu etiam illo, quem, nascente Christo, indixit Imperator *Augustus*, apertissimè constat, Jesum natum esse in Bethleem. Fatetur etiam *Mahumetes*, Jesum natum esse ex Virgine.

Tertiò, Sacri Evangelistæ scribunt, Stellam in ortu Jesu in Cœlis micantem apparuisse, Magos ex Oriente ad cunas Christi accessisse, & Herodem regnantem in Judæa necem Jesu Christo recens nato inferre meditantem, crudelitate plusquàm scythicâ maximam Infantium stragem edidisse. Hæc autem vera, & extra omnem dubitationis aleam posita esse constat ex testimoniis Ethnicorum, nam novum sydus post Christum natum præfulsisse in Cœlo, ad eumque Magos venisse fatetur *Julianus* Apostata, quamvis odio in Christum percitus hujus stellæ ortum ad causas naturales referat. *Macrobius* verò Scriptor Ethnicus lib.2. Saturnalium cap.4. disertam mentionem facit illius cladis, seù carnificinæ, quâ Herodes infantulos obtruncavit: *Cùm audisset Augustus, inter pueros, quos in Syria Herodes Rex Judæorum in-*

intra biennium occidi jussit, filium quoque ejus occisum, ait: Melius esse Herodis porcum esse, quàm filium.

Quartò, Sacri Evangelistæ litteris consignarunt miracula, quæ Christus Dominus potenti virtute edidit. Huic autem Evangelistarum narrationi non refragantur Infideles; nam *Celsus* apud Origenem lib. 2. contra hunc Ethnicum, *Julianus* apud S. Cyrillum lib. 6. contra hunc Apostatam, fatentur aliqua à Jesu Christo patrata fuisse miracula, idemque affirmat *Mahumetes* in suo Alcorano.

Denique, ut cætera alia missa faciam, Sacri Evangelistæ referunt mirabilem illam Solis defectionem, & ingentem terræ motum, quæ, moriente Jesu Christo, contigerunt. Idem autem narratur à Phlegonte Ethnico Scriptore lib. 13. Olympicorum Chronicorum. Cùm igitur Ethnici Scriptores suo calculo ac suffragio comprobent veritatem Historiæ Jesu Christi à Sacris Evangelistis descriptæ, nulla omninò Infidelibus suppetit ratio de ea Historia dubitandi.

Quòd si reponant Infideles, non potiorem esse rationem, cùr credatur Historiæ Jesu Christi ab ejus Discipulis descriptæ, quàm ut fides adhibeatur Historiæ Mahumetis exaratæ ab ejus Discipulis, qui testantur, ipsius doctrinam fuisse à Deo revelatam, illum fuisse Virum divinitùs afflatum, multis miraculis ac prodigiis conspicuum, & Religionis ab eo institutæ gloriam, amplitudinem, propagationem, aliaque id genus maxima beneficia ei à Deo concessa, oculis omnium patentia ostentant. Si illud, inquam, regerant Infideles, facilè admodùm revinci poterùnt ex maximo illo discrimine, quo doctrina Jesu Christi, ejusque Historia à Sacris Evangelistis concinnata, longè lateque discrepant à doctrina flagitiosissimi Mahumetis, ejusque Historia ab illius Discipulis adornatâ. Nam primò, doctrina Jesu Christi, ut suprà ostensum est, multos præ se fert, sibique vendicat sanctitatis characteres, quibus divina probetur, & à Deo profecta: at doctrina impostoris Mahumetis nititur principiis, quæ intestinâ quasi pugnâ se se collidunt atque refellunt. Secundò, quidquid Mahumetes suo in Alcorano du-

docuit pium, rectum, & puriori naturæ lumini consonum, id totum à Judaica, & Christiana Revelatione suffuratus est, nec de suo aliud egit, quàm ut purissimi hujus fontis aquas in suos alveolos derivans, eas partim corrumperet, partim putidissimis fabulis rationi pariter ac Divinæ Majestati repugnantibus commacularet, partim multis erroribus, qui adversùs judaicam, & Christianam Religionem emerserant, inficeret. Magno siquidem studio Mahumetes collegit in suo Alcorano ineptissimas Rabbinorum fabulas, inseruitque errores Sabellianorum, Arrianorum, Manichæorum, aliorumque hujus furfuris Hæreticorum. Ex quo perfacilè intelligitur, hunc Alcorani librum malè consarcinatum novam non exhibere à Deo factam Revelationem, sed potiùs veteris ac novæ Revelationis corruptelam esse, seù, ut meliùs dicam, errorum ac fabularum centonem. Idque liquidò patet legenti Alcoranum, in quo Mahumetes asserit, Abrahamum templum Mechæ erexisse, ibique cultum Dei, juxtà Alcoranum instituisse. Item Ismaelem adæquat Isaaco, penèque præfert, velut Prophetam divini pacti ac promissionis hæredem, quo uno solo, ut nemo non videt, tota fermè convellitur ac dissipatur veteris Testamenti Revelatio. Nec minùs ille Impostor Divinam novi Fœderis Revelationem corrumpit, dùm Mariam, quæ Christum Dominum peperit, eamdem facit cum Maria Moysis sorore, eamque fingit divinitùs gravidam, per devia urgente partu errasse, ac sub palma Christum enixam fuisse; dùm Jesu Christi divinitatem infrunito ore negat, eumque non fuisse crucifixum, sed alium in ejus locum suffectum esse temerè pronunciat. Dum etiam, quod sanè palmare est & extremæ impudentiæ argumentum, Moysis, & Jesu Christi Revelationem, quam tamen divinam fatetur, totis viribus oppugnat, adulterat ac demolitur. Tertiò, Mahumetes, ut ipsemet fatetur, fuit homo perditè libidinosus, in cœno carnalium voluptatum instar suis volutatus, non solùm plures ducens uxores, sed alienas invadens, undè ejus doctrina de auctoris sui genio tota libidinem spirat, obscœnas vo-

lu

luptates, tanquàm summum bonum, in altera vita promittit, & in præsenti sæculo habenas effusissimæ libidini laxat, polygamiam permittit, omniaque impudicitiarum genera, seù potiùs monstra suis Sectatoribus indulget. Quì igitur credibile est, tàm pestilentem doctrinam fuisse à Deo revelatam? Denique, *Mahumetes* asserit, unum ad suam sectam propagandam, missionemque confirmandam, gladium sibi datum esse, nec moratur Prophetias, Miracula, & internum aliquod Dei donum corda emolliens atque illuminans, suosque Sectatores hortatur, ut non rationibus disputando, sed armis, quasi compendiariâ viâ, pugnando, alios ad suam Sectam invitos compellant & pertrahant, alios verò subesse detrectantes, ferro & flammis coërceant, totoque Orbe exterminare satagant. Hic autem feralis & barbarus Religionem stabiliendi modus Deum non sapit, sed humanam ambitionem, quâ plures, ut fieri assolet, hujus Impostoris Sectatores accensi, magnam Orbis partem suis legibus inservire coëgerunt, & innumeros penè homines ad vitia proclives in sectam suam facilè pertraxerunt. Ex his ergò momentis plenum ac planissimum est, græcam omninò esse fidem Mahumetis discipulorum, qui, ut malis artibus, fraudibus, ac mendaciis populos deciperent, doctrinam Pseudo-Magistri sui, variis licèt erroribus, fabulis, & contradictionibus ubique refertam, divinitùs revelatam esse effutire non erubuerunt. Quod sanè dici haud potest de Sacris Evangelistis, qui Historiam Jesu Christi litteris mandarunt, quorum scripta, vita, & mors, sanctitatem, candorem, simplicitatem, & pro Magistri sui doctrinæ defensione ac propagatione invictam constantiam apertè produnt.

Hæc igitur argumenta, quæ simùl collecta vi maximâ ad convincendum pollent, si Infideles, & Athei attentis animis, ut par est, omnibusque abdicatis præjudiciis perpendere non graventur, confestim intelligent, libros, quos habent Christiani, sacros ac divinos esse; libros verò Philosophorum, & aliorum Ethnicorum, quos ipsi in tanto pretio & honore habent, cum libris Christianorum nullâ ratione con-

conferri posse. Sacri enim Christianorum Libri non vanas & inanes struunt disputationes, non hominum curiositati inserviunt, sed in id unum collimant, ut mores ad pietatem & justitiam informent, ut veri Dei Religionem homines doceant, & cruenta hominum sacrificia, nefariosque Deorum cultus penitùs evertant. At Philosophorum, aliorumque Ethnicorum libri erroribus scatent, ad excitandas dissensiones, ad alendam curiositatem, ad excolendas falsorum Numinum superstitiones, ad vanam aucupandam gloriam conscripti sunt à Philosophis, quorum lingua ventosa fuit, vita iners, mores in pluribus turpissimi, qui plenis buccis virtutes crepabant, &, ut inquit S. Augustinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 41. *In gymnasiis, in hortulis, in locis publicis ac privatis catervatim pro sua quisque opinione certabant.* Legant igitur Infideles, & Athei sacros Christianorum Libros, & dummodò pravi affectus illos transversos non agant, fateri cogentur, Christianorum Libros non esse opus Dæmonis, qui homines bonos & pios efficere non vult, sed potiùs præcipitare, & deteriores reddere; nec opus esse civilis scientiæ, & artis politicæ, à qua penitùs alieni fuerunt Sacri Scriptores; nec opus esse naturæ, quæ sensuum voluptati indulget; non humanæ rationis, quam multis passionum tenebris offusam vanitas & superbia tàm facilè decipiunt; non humanæ potestatis, quæ solùm vi armorum vincere potest; sed esse sapientissimum opus Dei, qui, ut homines edoceret cuncta, quæ veram Religionem spectant, doctrinam revelavit sacris Christianorum Libris tàm veteris, quàm novi Testamenti comprehensam.

Coronidem impono huic Paragrapho invictissimi roboris ratiocinio clarissimi *Blasii Paschalis* Claromontani in eximiis suis cogitatis, quæ ad opus, quod ad demonstrandam Christianę Religionis veritatem meditabatur, sub finem vitæ suæ comparaverat, titulo septimo. Athei negantes Dei, Religionis, & Divinæ Revelationis in sacris Christianorum Libris existentiam, tanquàm omnium hominum dementissimi habendi sunt, quippe qui in apertissimum discrimen salutem

lutem suam adducunt absque ulla spe lucri aut commodi percipiendi; nam si, ut ipsi stultè opinantur, nullus reipsâ existit Deus, nulla Religio, nulla Divina Revelatio, certè Christiani probi & pii, qui Dei, Religionis, & Divinæ Revelationis existentiam profitentur & agnoscunt; nihil habent, quod formident, cùm hæc confessio nihil ipsis post mortem nocere possit. At si, versâ vice, existit Deus, si extat Religio, si Divina sit Revelatio sacris Christianorum Libris contenta, ut argumenta, quæ adduximus, manifestò probant, quàm horrendum, quæsò, Atheos manet supplicium, qui huic veritati radiis solaribus, ut ita dicam, descriptæ, ingratum ac perfidum pectus, mentemque pertinaciter occluserunt.

Quisquis igitur Infidelis hæc superiùs à nobis adducta argumenta intento perpenderit animo, dummodò pravi affectus eum transversum non abripiant, facili negotio intelliget, doctrinam in sacris Christianorum Libris comprehensam, tot Prophetarum oraculis à Christo, & ab Apostolis munitam, tot veritatis characteribus insignitam; rationi, sensibusq; omninò imperviam, tàm citò adolescere & inter grassantes Imperatorum persecutiones, Magistratuum sævitiam, Plebis tumultuantis impetus, Judæorum calumnias, Philosophorum & Oratorum scripta tàm brevi tempore in extremos usque Mundi fines diffundi, perditos hominum mores emendare, cruenta hominum sacrificia, & nefarios Deorum cultus evertere non potuisse, nisi à Deo esset profecta; ejus omnipotentissimâ virtute toto Orbe propagata, & ad nos, velut pretiosa quædam hæreditas, transmissa; indèque certissimè concludet, Revelationem, quæ est Religionis basis ac fundamentum, reperiri in Libris, quos Christiani *Sacram Scripturam* appellant.

PARAGRAPHUS SECUNDUS,

In quo Atheorum, & Infidelium contrà Scripturæ Sacræ Revelationem diluuntur argumenta.

Quamvis Atheorum & Infidelium contrà Divinam Revelationem ſacrorum Librorum objectiones, ſi ad momenta graviſſima, quæ in præcedenti Paragrapho adduximus, comparentur, ita leves, jejunæ ac frigidæ ſint, ut iure ac merito contemni, ac flocci fieri debeant; non abs re tamen erit, Divinam ſacrorum Librorum Revelationem ab eorum cavillationibus vindicare, & argumenta, quibus eam labefactare moliuntur, ad criſim revocare, cribare, eiſque hoc in Paragrapho cumulatiſſimè facere ſatis.

Arguitur primò, in Libris, qui apud Chriſtianos *Sacra Scriptura* dicuntur, benè multæ graviſſimæ occurrunt difficultates & Antilogiæ, in quibus eliquandis, vel conciliandis inſudant Interpretes, ac ſæpiùs hærent ad aquas. Non eſt igitur veroſimile, Libros, qui apud Chriſtianos *Sacra Scriptura* appellantur, Divinam continere Revelationem.

Reſpondeo, nullam eſſe veterem Hiſtoriam, vel Auctorem tantiſper antiquum, in quo paſſim ejuſmodi difficultates non occurrant. Contingit enim ſæpè ſæpiùs, ut ea, quæ antiqui Scriptores litteris prodiderunt, licèt ætate, quâ ſcribebant, omnibus comperta atque explorata fuerint, poſteris tamen multorum poſt ſæculorum myriades obſcura, & quaſi tenebrarum caligine involuta evaſerint, mutatis videlicèt loquendi formulis, & ignoratis quibuſdam rebus & factis olim omnibus notis, deinceps verò oblivione deletis, ex quibus genuina Scriptorum intelligentia dependet. Hinc experientiâ conſtat in Libris antiquorum Scriptorum ſalebroſa & implexa paſſim offendi loca, in quibus explanandis Delio, ut ajunt, Natatore, & Oedippo opus eſt. Undè ad dilu-

dilucidanda illa loca, quæ Lectoribus negotium facessunt, tot Commentaria in antiquos Poëtas, Oratores, & Philosophos à Viris doctis edita sunt, & nova quotidiè adornantur. Si igitur in hominum scriptis post pauca etiam sæcula hæc contingit difficultas, quid mirum, si post tot sæculorum seriem in scriptis sacrorum Auctorum nonnullæ reperiantur difficultates? Aut quæ, amabo, protervia est, ex hoc uno capite Revelationem Scripturæ Sacræ tantis aliundè momentis fultam calumniari & inficiari velle, ex quo nullus Grammaticus, aut Criticus prophanos Auctores Homerum, Pindarum, Horatium, Ciceronem, & alios Scriptores calumniandi occasionem arripere vellet. Preterquamquòd ejusmodi difficultates & apparentes Antilogiæ, quæ in sacris Christianorum Libris reperiuntur, jam à Sanctis Patribus, & Scripturæ Sacræ Interpretibus fuerunt explanatæ, quid quid contra obstrepant Athei, & Infideles. Addo denique, Deum duplici de causa voluisse, ut tales difficultates, & apparentes Antilogiæ extarent in sacris Libris. Prima est, ut hoc pacto Scriptura Sacra esset obscura sive ad exercenda hominum ingenia, quibus facilè vestigata sępiùs vilescunt, sive ad domandam superbiam nostram, sive denique ad ostendendam sublimitatem arcanorum, seù altitudinem Mysteriorum, quibus gravida est Scriptura Sacra. Altera ratio hæc est, quia per illas difficultates, & apparentes Antilogias bona & sincera fides Sacrorum Scriptorum omnibus palàm innotescit, nullique ampliùs superest suspicandi locus, Sacros Scriptores, quasi ex compacto & conspiratione inter se se facta ad scribendam Historiam Evangelicam animum appulisse, aut alium ex alio scripsisse. Undè tantùm abest, ut illæ apparentes Antilogiæ, quæ in sacris Libris aliquandò reperiuntur, eorum auctoritatem deprimant, ut potiùs majorem illis fidem concilient. Cæterùm Antilogias, quæ in sacris Libris interdùm occurrunt, non esse reales, sed dumtaxat apparentes, liquebit ex his, quæ in hoc Paragrapho, & in aliis sequentibus dicturus sum.

Arguitur secundò, vetus Testamentum inter & novum

nulla est consensio, sed unum rectâ fronte opponitur alteri: ergò doctrina in his contenta non est divinitùs revelata. Probatur antecedens. Primò, Genes. cap. 1. dicitur, quòd *Deus creavit Cœlum & Terram*; at Joann. cap. 1. dicitur, quòd *Mundus per ipsum*, idest per Christum, *factus est*. Secundò, Genes. cap. 2. dicitur, quòd *complevit Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat*. At Joann. cap. 5. sic loquitur Christus: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*. Tertiò, Genes. cap. 2. dicitur: *Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*. At Matthæi cap. 19. ait Christus: *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*. Quartò, Genes. cap. 1. dicitur, hominem factum esse ad imaginem & similitudinem Dei. Sed Joannis cap. 8. Christus dixit Pharisæis: *Vos ex patre Diabolo estis*. Quintò, vetus Testamentum caduca dumtaxat terrena & temporanea præmia ac beneficia Viris justis proponit, sed novum Testamentum spiritualia bona, cœlestia & æterna Viris justis promittit. Denique, in veteri Testamento multa sunt præcepta, verbi gratiâ, de Circumcisione, de Sabbati observatione &c. quorum observatio Christianis, qui novum suscipiunt Testamentum, districtè prohibetur. Quorsùm autem illa prohibitio, si ejusmodi præcepta à Deo data fuissent? Patet itaque, vetus Testamentum pugnare cum novo, ac subindè doctrinam non continere divinitùs revelatam.

Respondeo, nullam omninò esse oppositionem vetus Testamentum inter & novum, sed potiùs miram consensionem; sicut ex vaticiniis Prophetarum, quæ in novo Testamento fuerunt completa, inter probandam assertionem, ostensum est. Quapropter, ut omnibus adductis momentis faciam satis, ad primum dico, quòd dùm dicitur cap. 1. libri Genes. *In principio Deus creavit Cœlum & Terram*, per τὸ *Deus*, intelligitur tota Sancta Trinitas, ac proindè Christus, ut

at Deus est. Legitur quippè in Textu Hebræo: *Berescit Bara Elohim*, quæ phrasis conformiter ad illam dictionem hebraicam *Elohim*, sic latinè reddi deberet: *In principio creavit Dii.* Elohim siquidèm apud Hebræos nomen plurale est. Cùm igitur Moyses hoc nomen plurale Elohim conjungat cum verbo singulari *creavit*, significare voluit totam Sanctissimam Triadem ad creationem Mundi indivisibili operatione concurrisse. Sunt etiam aliqui Sancti Patres, præsertim Augustinus in Respons. ad Quæstiones Dulcitii, quæst.8. & S. Hieronymus initio Traditionum Hebraicarum in Genesim, qui docent, Moysem, dùm scribit: *In principio Deus creavit Cœlum & Terram*, nomine principii indigitare voluisse filium Dei, qui est universæ Creaturæ principium. Locus igitur ille cap. 1. Genes. *In principio Deus creavit Cœlum & Terram*, non opponitur alteri Scripturæ Sacræ loco, qui habetur cap.1. Evangelii S.Joannis, ubi dicitur: *Mundus per ipsum*, seu per Christum Æterni Patris Verbum, *factus est*.

Ad Alterum momentum respondeo cum S. Augustino cap.2. Libri contra Adimantum Manichæum, locum illum Genes. cap.2. *Et requievit Deus ab universo opere, quod patrarat*, non opponi verbis Christi, dicentis cap.5. Evangelii S.Joannis: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*, quia ille locus Geneseos significat tantùm, quòd Deus ab instituendis rerum naturis post earum rerum perfectionem, cessavit, quamvis usque adhùc in administrandis operetur, videlicèt gubernando, illuminando, animas creando, & conservando.

Ad tertium respondeo cum eodem S. Doctore cap.3. ejusdem Libri, Christum, cap.19.Matthæi, non consulere homini, ut sine causa, aut consensu, uxorem suam relinquat (cùm potiùs Christus Polygamiam, & Bigamiam simultaneam, atque libellum Repudii in veteri lege ob duritiem cordis Judæorum permissum prohibeat in nova Lege) sed solùm consulere homini, ut relinquat uxorem suam, si opus sit propter Regnum Cœlorum: *Undè*, ut ait S.Augustinus,

nec

nec ista Capitula Evangelica inveniuntur sibi esse contraria, nec Evangelium veteri Testamento: quia ibi uxor conjungitur viro, ut simùl mereantur Regnum Cœlorum: & ita uxor relinquenda esse præcipitur, si virum impediat ad possidendum Regnum Cœlorum.

Ad quartum respondeo cum eodem S. Doctore cap.4. ejusdem Libri, Pharisæos fuisse quidèm naturâ filios Dei factos ad ipsius imaginem & similitudinem, sed doctrinâ & imitatione fuisse filios Diaboli: *Filii autem Diaboli*, inquit S. Augustinus, *dicuntur homines, cùm imitantur ejus impiam superbiam, & à luce atque celsitudine decidunt sapientiæ, & non credunt veritati.*

Ad quintum respondeo, quòd licèt vetus Lex fuerit Divina perindè ac Lex Evangelica, attamèn Lex vetus, comparatè ad Legem Evangelicam, erat infirma & imperfecta, caduca promittens bona, quia data est Judæis ut plurimùm carnalibus, qui bonis terrenis inhiantes, à peccato formidine pœnæ, seù timore amittendi bona temporalia, non amore justitiæ abstinebant. Hinc Lex vetus dicitur Lex timoris, multaque tolerabat, quæ Christus in Lege Evangelica, quæ est Lex amoris, sustulit, & in integrum prohibuit. Lex ergò vetus promittebat bona temporalia, & nonnulla complectebatur præcepta, quæ bona quidèm erant & divina, *sed temporibus, personisque congruentia*, ut inquit S. Augustinus Epist.82., aliàs 19.

Ad ultimum itidèm dico, præcepta data in veteri Lege de Circumcisione, & de Sabbati observatione fuisse quidem divina, eorum tamen usum nunc in Evangelica Lege prohibitum esse, quia ejusmodi præcepta ordinabantur ad Christum verum Messiam tanquam figuræ, quæ in Passione Christi antiquari & abrogari debebant. Undè sicut tenebræ, exoriente Sole, fugantur ac dissipantur, ita præcepta cæremonialia veteris Legis, quæ adumbrabant Messiam venturum, nato, & passo Christo, qui in se omnes figuras adimplevit, facessere, & evanescere debuerunt.

Arguitur tertio, in Libris, qui apud Christianos *Sacra Scri*

Scriptura appellantur, multa sunt, quæ communi usui, & sensui palàm repugnant, & incredibilia apparent, ergò doctrina in his contenta non est divinitùs revelata. Prob. anteced. Liber Geneseos refert Serpentis cum Eva colloquium, Divinam prohibitionem factam Adamo de non edendo pomo, deceptionem Adami, & Evæ, qui cum sapientissimi à Deo conditi supponantur, nihilò seciùs velut pueri persuasi sunt à Serpente, ut contrà Dei præceptum de illo ederent: enormem, ac minimè commensuratam pœnam pro tantula transgressione, tamquè parvi momenti, immò illius pœnæ in omnes omninò Adami posteros derivationem ac propagationem: deniquè pœnam à Deo impositam Serpenti, ut terram comederet, & super pectus suum gradiretur, quasi ante peccatum Adami Serpens fuisset pedibus instructus, & posteà ob pœnam pedibus mutilatus. Quæ omnia vel fabulosa sunt, vel Deo indigna, vel experientiæ, rectæque rationi penitùs contraria: ergò &c.

Respondeo, hæc omnia, quæ Atheis, & Infidelibus incredibilia apparent, certa & indubitata esse apud omnes, qui Scripturæ Sacræ Divinam Revelationem multis characteribus insignitam esse sciunt, suumque judicium, ut par est, Divinæ Auctoritati & Revelationi submittunt. Hæc siquidèm, quamvis primo intuitu absona esse videantur, si tamèn acriùs ac penitiùs inspiciantur, mirificè rationi congruere, Deòque digna esse Christianis divinâ fide illuminatis, videntur. Ex his quippè pleraque elucescunt, quæ alioquì à nobis nullo pacto comprehendi possent, ut, exempli gratiâ, peccati originalis transfusio, & causa cùr omnis homo nunc nascatur cum ignorantia in intellectu, cum malitia in voluntate, cum propensione ad malum, cum lucta passionum, totque miseriis & pœnis obnoxius vivat. Quæ difficultas plerosque cordatos ex Gentilibus Viros vehementer olim torquebat, eorumque ingenia quantumvis acutissima penitùs absorbebat, ut solidè ostendit Clarissimus *Blasius Paschalis* in suis Cogitatis, titulo 3. hujus autem primigeniæ Adami culpæ Historia nihil absoni continet. Quod enim

enim Adamo jusserit Dominus, ut à fructu quodam, seù ab esu pomi abstineret, fuit officium subjectionis & obedientiæ Deo debitæ Adamo injunctum, jure videlicet supremi dominii poscente, ut Deus subdito suo præceptum aliquod imponeret. Porrò, qua in re Deus hoc præceptum imponeret Adamo, nihil planè referebat. Nam cùm id ex mero superioris nutu determinandum sit, nulla ratio quærenda est præter solam præcipientis voluntatem. Et tamen vix aliud occurrit, quòd ad exercendam obedientiam congruentiùs, magisque appositè potuerit Adamo designari, quàm ut in usu rerum suæ potestati subditarum, ab aliqua abstineret propter divini præcepti reverentiam, sicque obsequio suo profiteretur cæteras res, quibus fruebatur, sibi à Deo supremo rerum omnium Domino fuisse concessas. Hanc legem in exordio Mundi Adamo & Evæ indictam *Tertullianus* in lib. adversùs Judæos rectè appellat, *matricem omnium præceptorum Dei*, quæ suffecisset, si custodita fuisset.

Colloquium, quod spectat Evæ cum Diabolo Serpentis urgano utente, eique prævaricationem suadente, non est etiam creditu difficile. Nam Diabolus per Serpentem allocutus est Evam, sicut olim per Pythonissam, & per Idola sua falsa fundebat oracula, vel quemadmodùm Angelus per Balaami Prophetæ Asinam locutus est. Vehementer autem mirari subit, quòd Apostata *Julianus* absurdum putaverit, potuisse Serpentem loqui cum Eva, qui tamen ipsemet credidit, & Ethnici Scriptores narraverunt, Serpentem aliquandò per Canem latrasse, & simulacrum Junonis locutum fuisse, teste *Valerio Maximo* lib. 1. de Miraculis tit.8. necnon etiam simulacrum Fortunæ bis locutum fuisse his verbis: *Ritè me Matronæ vidistis, ritèque me dedicastis*, teste eodem Valerio. Sic etiam alii Ethnici narrant, Bovem loquutum fuisse, & dixisse: *Roma tibi cave*. Quin & Arbores locutas fuisse credidit olim delusa à Diabolo superstitiosa Gentilitas. Igitur Ethnicis incredibile videri haud debet, quòd Diabolus, permittente Deo, locutus sit cum Eva

Eva per organum Serpentis. Cùr autem Eva non horruerit Serpentem? mirum videri non debet, cùm à statu innocentiæ horror & metus procùl exularent, & omnes Belluæ dominio hominis subderentur, quæ illum reverebantur, nulloque timore percellebant. Putavit itaque Eva Serpentem virtute aliqua supernaturali loqui, & ubi primùm eum loquentem audivit, admiratione defixa, altiùs quidpiam suspicata est, sed æstu superbiæ abrepta, & spe divinitatis assequendæ lactata, has Serpentis voces ad ipsius tentationem formatas non satis attendit, ac tentationi succubuit. Errat porrò Josephus Hebræus, qui lib. 1. Antiqu. Jud. cap. 11. scribit, Deum ad puniendum Serpentem, ipsi vocem, quam priùs habebat, ademisse, eumque pedibus mutilatum trahi per terram, ac volvi fecisse. Vox siquidèm non est adempta Serpenti, quam nunquàm habuit, nisi apud Ethnicos, neque pedibus Serpens privatus est, quibus nusquàm fuit instructus, sed Deus ad puniendum Serpentem fecit, ut ea, quæ antehàc Serpenti erant naturalia, in pœnam & infamiam ipsi post peccatum hominis verterentur; non secùs ac *Iris* ante Diluvium universale omninò naturalis erat, ast post Diluvium evasit signum pacti Deum inter homines initi.

Deniquè, quòd Deus inobedientem Adamum donis ac privilegiis concessis cum tota sua posteritate privaverit, pœna fuit à justitia Dei peccato Adami irrogata, cujus in hoc severitas accusanda non est, sed potiùs laudanda clementia, quâ tanto malo, quo se se homo, totamque suam propaginem perdiderat, præsentissimum de suæ misericordiæ sinu protulit remedium, decernendo Incarnationem Filii sui Unigeniti, qui pro nobis factus Homo, omnia damna ex labe Adami profecta probrosâ suâ morte cum fœnore resarcivit: *ubi enim abundavit delictum, ibi superabundavit & gratia*, sicut ait Apostolus. Patet igitur hæc, quæ Atheis, & Infidelibus tanquam absona in sacris nostris Libris apparent, si penitiùs inspiciantur, rectæ rationi, & dispositioni divinæ esse apprimè consentanea. Certè negare haùd pos-

E sunt

ſunt Athei, & Infideles,benè multa in rebus humanis à Viris ſublimioris ingenii præſtari, quæ ſtulti & hebetes, eorum rationem non capientes, perperàm reprehendunt, quamvis recta ſint. Summa itaque dementia eſt, Divinam Scripturæ Sacræ Revelationem inficiari, eò quòd nonnulla geſta & inſtituta referat, quæ primâ facie humanæ rationi repugnare videntur, licèt rectiſſima ſint, & ſapientiſſimè ordinata, cùm hinc potiùs illam eſse divinam comprobetur, quòd res humanum captum plerùmque excedentes contineat, quas non curioſè perſcrutari, ſed reverenti, demiſsoque animo adorare par eſt.

Arguitur quartò, ideò maximè Chriſtiani negant, Hiſtoriam Gentilium divinitùs eſse revelatam, quia dicunt, eam turpiſſimis Deorum moribus eſse conſpurcatam, atquì etiam Hiſtoria, quæ apud Chriſtianos ſacra habetur, deſcribit vitam Prophetarum, & Patriarcharum, qui fuerunt paſſionibus & vitiis dediti, non eſt igitur hæc Hiſtoria divinitùs revelata. Probatur minor propoſitio. Refert Hiſtoria, quæ apud Chriſtianos ſacra habetur, primò, quòd *Noëmus* bibens vinum, ebriatus ſit. Secundò, quòd *Abrahamus* non contentus conjuge ſuâ *Sara*, impudicè cum ancilla ſua *Agar* volutatus ſit, nec eum puduerit mentiri coràm duobus Regibus Abimelecho & Pharaone, aſserendo, Saram eſse ſororem ſuam, quæ tamen ipſius conjux erat. Tertiò, quòd *Loth* de Sodomæ incendio liberatus, cum duabus filiabus ſuis, ingurgitatus vino,impudicè comixtus ſit. Quartò, quòd *Iſaac* Rebeccam uxorem ſuam finxerit eſse ſororem ſuam. Quintò, quòd *Jacob*, ut effræni ſuæ libidini indulgeret, non ſolùm *Liam*, & *Rachelem* duas germanas ſorores ſibi matrimonio copularit, ſed etiam earum famulas in uxores duxerit. Sextò, quòd Judas Patriarcha cum nuru ſua *Thamar* concubuerit. Quòd *David* adulterium, & homicidium commiſerit. Quòd *Salomon* trecentas uxores, & ſeptingentas concubinas habuerit. Quòd Propheta *Oſee* de fornicaria muliere filios procreaverit. Quòd denique,Moyſes homicidium in Ægypto commiſerit; bella crudeliter geſserit; & He-

Hebræis auctor fuerit, ut vasa aurea, & argentea, cæteramque Ægyptiorum suppellectilem fraudulenter auferrent, suffurarentur, suumque in usum vendicarent.

Respondeo primò, Lothi cum suis filiabus, & Judæ cum nuru sua Thamara Incestum; Davidis Adulterium, & Homicidium; Salomonis libidinem, & Idololatriam narrari quidèm in Historia, quæ sacra apud Christianos habetur, sed minimè laudari & approbari, ac subindè eam nullo modo conferri posse cum Historia Gentilium, in qua non solùm referuntur, sed laudibus extolluntur turpissimi Deorum mores.

Respondeo secundò, ea gesta, quæ in objectione adducuntur de Noëmo, de Abrahamo, de Isaaco, de Jacobo, de Propheta Osee, & de Moyse posse ab omni culpa vindicari. Nam primò, immeritò vitio vertitur Abrahamo, Isaaco, Jacobo, aliisque Patriarchis post Diluvium, quòd plures habuerint uxores, quia licèt jure optimo culpetur Lamechus, qui ante Diluvium plures duxit uxores, cæpitque violare legem Monogamiæ latam cap.2. v.24. Genesis, his verbis: *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*, non peccarunt tamen Patriarchæ post Diluvium, qui plures uxores duxerunt, quia post Diluvium Polygamia speciali Dei dispensatione fuit ipsis concessa. Cùm enim post Diluvium vita hominum brevior fuerit, nimis lentè multiplicatum esset genus humanum aquis Diluvii extinctum, si unam tantùm quisque habuisset uxorem, & hac de causa Deus post Diluvium Polygamiam indulsit. Hæc autem dispensatio Patriarchis postdiluvianis concessa, litteris quidèm sacris mandata non est, sed inspiratione dumtaxàt speciali mentibus Patriarcharum impressa est. Nam quemadmodùm lex Polygamiam prohibens non erat in aliquo Libro sacro ante Moysem scripta (Libros enim Scripturæ Sacræ à Moyse initium habuisse certissimum est) sic necesse non fuit, dispensationem ipsius legis esse scriptam, sed satis superque sufficit, eam fuisse specialiter inspiratam vel Noëmo, vel Abrahamo, & deindè

verbo, aut exemplo ad alios fuiſſe propagatam. Non peccarunt igitur Abrahamus, Iſaacus, Jacobus, aliique Patriarchæ poſt-Diluviani, dùm accedente diſpenſatione divinâ plures uxores duxerunt. Nam, ut ait S. Auguſtinus cap.46. lib.22. contra Fauſtum: *Quandò mos erat, crimen non erat, & nunc propterea crimen eſt, quia mos non eſt. Alia enim ſunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta. Quæ cùm ita ſint, quid tandèm criminis eſt, quòd de pluribus ſimulatim uxoribus objicitur ſancto viro Jacob? Si naturam conſulas, non laſciviendi, ſed gignendi causà illis mulieribus utebatur. Si morem? illo tempore, atque illis Terris hoc factitabatur. Si præceptum? nulla lege prohibebatur. Nunc verò, cùr crimen eſt, ſi quis hoc faciat? quia moribus & legibus non licet*. Verum quidèm eſt, quòd Scriptura Sacra appellat concubinas mulieres illas, quæ Patriarchis præter uxorem adhærebant, indè tamen inferri non debet, eas non fuiſſe legitimas uxores. Nam Scriptura Sacra veras & legitimas uxores aliquandò vocat concubinas, & rursùs concubinas quandòq; appellat uxores. Sic cap.16. Geneſis, *Agar* appellatur uxor Abrahami, & cap.25. *Cethura* etiam dicitur uxor Abrahami, & paulò poſt tàm ipſa, quàm Agar concubinæ dicuntur. Libri quoquè Judicum cap.19. uxor vera & legitima, immò & unica cujuſdam Levitæ, nunc uxor, nunc concubina vocatur. Ratio hujus diverſæ appellationis hæc eſt, quia tàm apud Hebræos, quàm apud Gentiles duo erant uxorum genera. Quædam ducebantur non ſolùm ad procreandos liberos, ſed etiam ad ſocietatem bonorum omnium, atque œconomicam totius domûs gubernationem, & harum uxorum filii ſoli hæredes erant, & hæ proprie dicebantur Matres familiæ. Quædam autem erant uxores legitimæ quidèm, ſed non admiſſæ ad ſocietatem bonorum, & domûs gubernationem, & hæ neque Matres familias dicebantur, neque etiam earum filii hæredes erant, & nunc uxores, nunc concubinæ nominabantur.

Prætereà, Abrahamus, & Iſaacus à mendacio, quòd ipſis

ipsis falsò affingitur, facilè purgari possunt. Nam Abrahamus, quandò de Sara uxore sua dixit, quòd esset sua soror, *tacuit quidèm aliquid veri*, ut inquit S. Augustinus, *sed non dixit aliquid falsi*. Erat quippè *Sara* neptis Abrahami, utpotè filia Aranis fratris Abrahami. Solenne autem erat Hebræis, neptes appellare sorores, & nepotes nuncupare fratres. Undè idem Abraham nepotem suum Loth vocat fratrem suum, Genesis cap. 13. v. 8. Idem de Patriarcha Isaac dicendum est. Ille siquidèm uxorem suam Rebeccam citrà ullum mendacium sororem suam potuit appellare ob consuetum tùm temporis apud Hebræos loquendi morem.

Quod spectat ebrietatem Noëmi: docent Sancti Patres Cyrillus, Ambrosius, Chrysostomus, & Theodoretus, hanc ebrietatem non fuisse peccatum, quia inopinata fuit, & ab imperitia, non ab intemperantia profecta; neque enim Noëmus vinum priùs gustaverat, neque sciebat quâ mensurâ vino uti debebat. Per ignorantiam ergò in ebrietatem incidit Noëmus, quæ subindè fuit involuntaria & inculpabilis. Non peccavit etiam Propheta Osee, dùm nupsit meretrici, quia, jubente Deo, illam meretricem, relictâ fornicatione, uxorem duxit, & ex ea ad meliorem frugem conversa, filios procreavit. Deniquè, Moyses non peccavit bella gerendo, quia nullâ impulsus nocendi cupiditate, non libidine dominandi, non ulciscendi crudelitate hæc bella suscepit, sed, auctore Deo; qui etiam, ut supremus rerum omnium Dominus, voluit ut Hebræi, qui duris ac iniquis laboribus sine ulla mercede fuerant ab Ægyptiis tempore captivitatis oppressi, ditarentur terrenis bonis, quibus Ægyptii densissimis idololatriæ tenebris immersi ad superstitiosum falsorum suorum Numinum cultum in injuriam Creatoris abutebantur.

Arguitur quintò, ideò Christiani docent, Revelationem, quæ Libris suis, quos sacros vocant, continetur, veracem ac divinam esse, quia putant, Prophetas, & alios horumce Librorum auctores non potuisse decipi à Deo summè bono, & summè veraci, quique nec falli, nec fallere potest.

At-

Atqui tamen ex Libris, quos Christiani ceù sacros habent, clarè colligitur, Prophetas fuisse aliquandò deceptos à Deo, & alios homines nonnunquàm in errorem fuisse à Deo inductos. Falsum igitur est, Divinam Revelationem his Libris contineri, qui apud Christianos *Sacra Scriptura* appellantur. Prob. minor. primò, Ezechielis cap. 14. v.9. dicit Dominus: *Propheta cùm erraverit, ego Dominus decepi Prophetam illum.* Deindè, lib.Job cap. 12. v.24. & 25. de Deo dicitur: *Qui immutat cor Principum, & decipit eos, & errare facit sicut ebrios.* Tertiò, Epist. ad Romanos cap.1. *Tradidit illos Deus in reprobum sensum.* Et 2. ad Thessalon. cap.2. *Mittet Deus illis erroris operationem, ut credant mendacio.* Denique, Propheta Hieremias fatetur se fuisse deceptum à Deo, sic enim cap.20. loquitur: *Seduxisti me, Domine, & seductus sum.* Patet itaquè ex Libris, qui apud Christianos *Sacra Scriptura* dicuntur, homines etiam Prophetiæ dono illustres, fuisse à Deo deceptos, & in errorem inductos.

Respondeo, hæc Scripturæ Sacræ loca in objectione laudata non innuere homines fuisse à Deo mentiendo, & falsa revelando deceptos (hoc enim impossibile est, utpotè summæ Dei sanctitati atque veracitati omninò oppositum) sed tantùm insinuare, Deum, auferendo lumen veritatis, permittere interdùm in pœnam peccati, ut homines seducantur ac decipiantur; eodem planè sensu, quo Deus dicitur obdurare corda hominum, non impartiendo malitiam, sed subtrahendo gratiam suam, & spargendo pœnales cœcitates propter illicitas cupiditates. Sic igitur Ezechielis cap. 14. dicitur, quòd Deus seducit Prophetam, quatenùs ab eo aufert spiritum veritatis, quò fit, ut Propheta divino destitutus lumine respondeat juxtà visiones cordis sui. Sic cap.12. lib.Job. dicitur, quòd Deus seducit Principes, auferendo ab eis lumen prudentiæ, & efficiendo, ut eorum consilia optato exitu careant. Sic Epist. ad Roman. cap.1. Deus dicitur tradere homines in reprobum sensum, quia illos à se desertos propriæ cupiditatis & Dæmonum illusionibus permittit.

tit. Sic deniquè, dicitur Deus mittere operationem erroris, quatenùs subtrahit discretionem spirituum, & sinit, ut Sathanas suis artibus ac præstigiis impios seducat, sicut ibidèm apertè se se explicat Apostolus. Verba autem Hieremiæ dicentis: *Seduxisti me, Domine, & seductus sum*, non ita sunt intelligenda, quasi Deus à Sancto illo Propheta spiritum veritatis subtraxerit, sed his verbis significare dumtaxat vult Hieremias, se sperasse fore ut Judæi ejus prophetia illustrati, ad se ipsos reverterentur, & à pravis suis moribus resipiscerent, quod tamen secùs & præter quàm speraverat, contigit. Nam Judæi prophetiâ Hieremiæ pejores, eique inimiciores facti sunt. Undè Propheta ægrè ferens repulsam, quam à Judæis passus erat, ait, se ob hanc causam noluisse ampliùs prophetare, sed tamen vehementiori Dei afflatu victum ad iterùm prophetandum fuisse impulsum, seque hoc pacto fuisse à Deo seductum amicissimè conqueritur Propheta: *Seduxisti me, Domine, & seductus sum; fortior me fuisti & prævaluisti. Factus sum in derisionem, totà die omnes subsannaverunt me.*

His expositis Scripturæ Sacræ locis, non erit difficile alia dilucidare loca, in quibus Scriptura Sacra ait, Sathanam impelli à Deo ad decipiendos homines, & aliquandò Prophetas ab ipso missos fuisse, qui falsa prædixerunt. Nam, verbi gratiâ, quandò lib. 3. Regum cap. 22. ait Deus: *Quis decipiet Achab? Egressus autem spiritus, stetit coràm Domino, & ait: Ego decipiam illum, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus. Et dixit Dominus: Decipias & prævalebis; egredere, & fac ità.* Sensus illorum verborum non est, quòd Deus mentiendo, aut falsa revelando, decipiat Prophetas, & in errorem inducat, sed solùm, quòd Deus ob inscrutabilia sua judicia permittat aliquandò, ut Diabolus fallere gestiens decipiat & seducat aliquos homines. Similiter, quandò Propheta Isaias, sicut legitur lib. 4. Regum cap. 20. missus à Deo ad Ezechiam Regem Juda in lecto decumbentem, dixit ei: *Morieris, & non vives*. Quandò etiam Propheta Jonas missus itidèm à Deo ad Ninivitas, dixit

dixit eis: *Adhùc quadraginta dies & Ninive subvertetur*, quamvis neutrum horum evenerit, falsa tamen non prædixerunt illi Prophetæ, quia id tantùm prædixerunt, quod juxtà ordinarium rerum cursum verè futurum erat. *Ezechias* quippè Rex Juda lethali morbo decumbebat. Ninivitæ autem, secundùm ordinarium Justitiæ Divinæ cursum, ultimam ruinam propediè experturi erant. Nec verò aliud sibi ab illis Prophetis prædici censuerunt Ezechias, & Ninivitæ, qui Deum per pœnitentiam placare studuerunt, eumque, ut abundantiâ misericordiæ suæ impendentia mala averteret, deprecati sunt. Hujus autem impetrationis nulla ipsis spes affulgere potuisset, si hæc ipsis à duobus illis Prophetis prædicta absolutè futura esse, hoc est, absoluto & positivo Dei decreto fixa ac statuta esse putassent. Quocircà nulla hìc fuit deceptio, nullum mendacium, sicut nec in aliis prophetiis, ut vocant, comminatoriis, quibus aliquid prædicitur futurum, juxtà leges Divinæ Justitiæ, attentis præsentibus circumstantiis & hominum demeritis, quibus tamen commutatis, Deus avertit quod prædictum fuerat. Ratio est, quia in his prophetiis comminatoriis quædam semper importatur conditio, quandòqne expressa, quandòque subintellecta, sicque nunquàm tendunt ad fallendum, sed potiùs ad bonum,seù emendationem hominum. Sic Deus cap.20. lib.Genes. ait Regi Abimelecho, qui Saram uxorem Abrahæ abstulerat: *En morieris propter mulierem, quam tulisti*. Sed Abimelecho paratum ad satisfactionem animum demonstranti, iterùm dixit Deus: *Nunc ergò redde viro suo uxorem, quia Propheta est, & orabit pro te, & vives; Si autem nolueris reddere, scito, quòd morte morieris tu, & omnia, quæ tua sunt*. Ubi liquet id, quod Deus Regi Abimelecho prædixit, non fuisse absolutè futurum, sed in eo esse subintellectam conditionem, ac deindè explicatam.

Arguitur sextò, ea, quæ in Libro Geneseos referuntur de ligno scientiæ boni & mali, de sopore immisso in Adam, de formatione Evæ ex ipsius costa, & de Paradiso voluptatis à Deo plantato, videntur fuisse ab otioso quodam Auctore ad

ad magis oblectandum Lectoris animum de industria conficta. Nec enim credibile est, rem corpoream, sicut est lignum, arcanam quamdam vim habuisse ad spiritualem effectum producendum, qualis est scientia boni & mali. Nec etiam verosimile est, ad formationem Evæ costam Adami fuisse subtractam, alioquin corpus Adami remansisset imperfectum. Deniquè, omnes Viatores, qui illas regiones, quas Tigris & Euphrates alluunt, perlustrarunt & commerciis etiamnùm frequentant; nullum illius Paradisi voluptatis vestigium offenderunt, quod quidèm argumento est, eum in rerum natura nunquam extitisse. Historia igitur descripta in Libro Genesis non fuit divinitùs revelata.

Respondeo, hujusmodi conjecturas, quibus indulgent Athei, & Infideles, nullius roboris esse. Ad primam respondeo, lignum, quod Proto-parentibus nostris à Deo vetitum est, appellatum fuisse *Lignum scientiæ boni & mali*, non à vi quadam naturaliter ipsi congenitâ producendi scientiam boni & mali, sed ab eventu, quia primi parentes nostri, ex degustato per inobedientiam vetito sibi à Deo fructu, funestâ experientiâ didicerunt, quàm grave malum esset non obtemperare Deo, non quòd antehàc non obedire Deo malum esse nescirent, sed quia fatali suâ experientiâ edocti, manifestiùs intellexerunt quàm nefandum crimen perpetrassent. Non secùs ac nos sanitatem rem bonam esse planè novimus, multò tamen certiùs, cùm in morbum incidimus, ejus utilitatem agnoscimus.

Ad alteram conjecturam respondeo, non absque mysterio factum esse, ut Deus soporem immiserit in Adam, & ex ejus costa Evam produxerit. Sopor siquidèm ille significat Christum Servatorem nostrum in Cruce obdormientem, & Eva ex costa Adami formata designat Ecclesiam ex percusso latere Christi dimanantem: *Dormit Adam, ut fiat Eva: Moritur Christus, ut fiat Ecclesia: Dormienti Adæ, fit Eva de latere: Mortuo Christo, lanceà percutitur latus, ut profluant Sacramenta, quibus formatur Ecclesia*, ait S. Augustinus tract. 9. in Joannem. Idem docet S. Thomas 1. part.

 quæst.

quæſt.92. art.3. ubi etiam perdoctè obſervat, quòd cùm mulier non debeat dominari in virum, ideò non eſt formata è capite Adami, & quia etiam mulier non debet deſpici à viro tanquam ſerviliter ſubjecta, ideò non eſt formata è pedibus, ſed ex coſta viri formari debuit, ad ſignificandum, quòd virum inter & mulierem ſpecialis conjunctio, ſeù arctiſſima neceſſitudo intercedere debet. Nec tamen dici poteſt, Adamum per ſubtractionem illius coſtæ remanſiſſe imperfectum, quia, ut optimè docet S.Thomas, hæc coſta erat ſuperflua Adamo, quatenùs Adamus erat ſingularis perſona, & quoddam individuum naturæ humanæ, nec ad ejus corporis integritatem ac perfectionem pertinebat; quamvis tamen ei neceſſaria eſſet, quatenùs juxtà Dei omnipotentis decretum deſtinatus erat Parens omnium hominum, ideſt, principium totius generis humani, non ſecùs ac ſemen pertinet ad perfectionem generantis, non proùt individuum quoddam eſt, ſed quatenùs ſpeciei propagandæ operam dare poteſt.

Ad ultimam conjecturam reſpondeo, Deum condidiſſe Paradiſum voluptatis, ſeù Hortum amœniſſimum, omnique arborum ac fructuum genere delectabilem, qui tamen nunc non exiſtit, quia tempore Noëmi fuit univerſali Diluvio devaſtatus atque deletus. De hoc Paradiſo voluptatis, de illius loco & ſitu, legi poteſt elegantiſſima Diſſertatio, quam juxtà Textum Hebræum,& antiquas Geographiæ Tabulas, juxtà ſacros, & prophanos Scriptores edidit Illuſtriſſimus *Daniel Huetius* Epiſcopus Abrincenſis.

Arguitur ultimò, Auctor Librorum Pentateuchi, quiſque ille ſit, Deum facit invidum, ventris voluptatibus deditum, zelotypum, facit animam corpoream ac mortalem, Denique, Jeſum Chriſtum, quem Cruci affixum adorant Chriſtiani, diris devovet, & tanquam maledictum proſcribit. Non debent igitur Chriſtiani Libris Pentateuchi Divinam aſſerere Revelationem. Prob. anteced. Auctor Lib. Geneſeos Deum facit invidum, dùm Angelum ad cuſtodiam Paradiſi voluptatis flammeo gladio atque verſatili arma-

mavit, ut ab ejus ingressu homines arceret. Facit etiam idem Auctor, Deum abdominis voluptatibus deditum, seù appetentem carnes & adipes animalium, quibus in sacrificiis Abelis plurimùm oblectabatur. Facit Deum zelotypum, & suæ gloriæ ita cupidum, ut aliis Diis vetet immolari & libari sacrificia, Exodi cap. 20. Facit etiam Auctor Pentateuchi animam corpoream & mortalem, asserens, quòd *anima omnis carnis in sanguine est*, Levitici cap. 17. v. 14. Deniquè, Deuteronomii cap. 27. ait, quòd *maledictus est omnis, qui pendet in ligno*. Ex quo sequitur, Jesum Christum, qui in Crucem actus est, & quem Christiani tanquam Deum adorant, fuisse maledictum: eamdemque maledictionem incurrisse Martyres, qui pro Christo mortem patibulo affixi oppetierunt. Non debent ergò Christiani, si sibi constare velint, Libris Pentateuchi Divinam adscire Revelationem.

Respondeo, hæc momenta fuisse olim à *Fausto* Manichæo proposita S. Augustino, & ab eodem S. Doctore abundè soluta. Quarè, ut breviter me ab illis expediam, ad primum dico, Deum, quandò Angelum præ foribus Paradisi, seù Horti voluptatis constituit, eumque flammeo ac versatili gladio armavit, nè hominibus ad hunc amœnissimum locum unquàm pateret aditus, non esse invidiæ arguendum, sed potiùs ut æquissimum Judicem meritò laudandum, quippè qui in sontes hac pœnâ animadvertit, non secùs ac optimo jure laudatur Christus Dominus, qui Virgines fatuas ac negligentes ab ingressu domûs Sponsi prohibuit. Legendus est S. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 14.

Ad alterum respondeo cum eodem Aquilino Doctore lib. 22. contra Faustum cap. 17. hanc objectionem esse hominis Divina Sacramenta ignorantis. Deus enim, cùm sit substantia omninò spiritualis, carnibus animalium minimè delectatur, sed solùm illis sacrificiis, quæ ipsi offerebat Abel, adumbrare voluit, nobisque prænunciare verum illud sacrificium, quod Jesus Christus omnium hominum

F 2 Re-

Redemptor pro nobis in ara Crucis oblaturus erat, per quod mundissimæ victimæ sacrificium fieri debebat remissio omnium peccatorum, quæ per carnem contraximus. Hinc Christus dicitur in Scriptura: *Agnus occisus ab origine Mundi*; *& Agnus, qui tollit peccata Mundi*, quia ad ipsum, tanquàm ad finem totius Legis collimabant omnia sacrificia veteris Testamenti.

Ad tertium momentum dico, zelum, pro passione & animi perturbatione sumptum, non posse convenire Deo; zelum tamen, sumptum pro virtute & sacro quodam igne charitatis, Deo tribui posse. In hoc sensu Deus gloriæ suæ zelotypus esse dicitur, vultque ut sibi supremo rerum omnium Domino, sacrificia offerantur, & non creaturis. In hoc sensu etiam Christus Dominus de se ipso dicit: *Zelus domus tuæ comedit me*, idest, sacer charitatis ignis, non prophanus, non peregrinus, non amoris perturbationem, aut livoris anxietatem habens, sed tranquillissimam erga hominum salutem bonitatem ostendens.

Ad quartum dico, Animam in Libro Levitici vocari *Sanguinem*, perindè ac Apostolus 1. ad Corinth. cap. 10. Christum appellat *Petram*, non quòd Christus esset *Petra*, sed quia Petra erat typus significans Christum, qui mysticè est vera Petra faciens utraque unum, idest, Judęos & Gentiles in unitatem ejusdem fidei connectens & adunans. Sic igitur Moyses in Libro Levitici dicit, Animam esse in Sanguine, quia sanguis instar est signi existentiæ animæ in corpore. Quamdiù enim in venis & in arteriis fit circulatio sanguinis, tandiù anima est in corpore, at ubi cessat sanguinis circulatio, necesse est, ut à corpore anima divellatur. Legendus est S.Augustinus lib.2. contra adversarium Legis, & Prophetarum cap.6. ubi hanc objectionem perdoctè dissolvit.

Ad ultimum respondeo cum S.Augustino lib. 14. contra Faustum cap.3. & 4. Christum factum esse pro nobis *maledictum*, non propter peccatum aliquod, quod commiserit, sed ob pœnam peccatis nostris debitam, quam in se volun-

luntariè suscepit subeundo in ara Crucis mortem, quæ dicitur *peccatum*, & *maledictum*, quia mors profecta est ex peccato, quod dicitur *maledictum*. Non igitur his verbis voluit Moyses imprecari Christo, qui pependit in ligno. Sicut nec maledicere voluit Moyses Christo, & his, qui in Lege Evangelica cœlibatum observant, dum Deuteronom. cap. 25. maledicit *omni, qui non suscitaverit semen in Israël*, quia, ut ait S. Augustinus, ad tempus veteris Testamenti restringenda est illa Moysis maledictio: *Cùm populo secundùm carnem propagando, etiam carnalis prolis operatio in conjugali castitate ad officium conjugum pertinebat.*

Aliæ sunt objectiones, quas contra sacrorum Librorum Revelationem proponunt Athei & Infideles, quas opportuniùs diluam, agendo de Libris Pentateuchi, & speciatim de aliis Libris sacris tàm veteris, quàm novi Testamenti.

PARAGRAPHUS TERTIUS,

De Inspiratione Librorum, qui apud Christianos Sacra Scriptura *appellantur; & de sensibus Scripturæ Sacræ à Spiritu Sancto intentis, ad quos investigandos assignantur regulæ.*

OBservandum est primò, Sacram Scripturam quatuor potissimùm nominibus donari. In primis, vocatur absolutè *Scriptura*, & ab Hebræis dicitur *Micra*, seù Scriptura, vel Lectio, eò quòd cæteris Libris longè sit ipsa dignior, quæ litteris mandetur. Sic Christus Dominus Libros veteris Testamenti apppellat *Scripturas*, Matth. cap. 21. v. 29. *Erratis nescientes Scripturas*; & cap. 26. v. 54. *Quomodò ergò implebuntur Scripturæ?* Secundò, Scripturam Sacram solemus appellare plurali numero *Biblia Sacra*, tanquam volumina, quæ sacram complectuntur doctrinam. Est enim græcè βιβλίον, Volumen, seù Liber, à voce βύβλος, quæ græca vox papyrum arborem significat, sivè internum arboris

ris corticem, qui in tenuissimas, longasque membranas ductus, usum chartæ veteribus præbebat. Tertiò, Scriptura Sacra nuncupatur *Testamentum*, seù Fœdus, vel Pactum, quod Deum inter & homines initum est. Hebræi dicunt *Berith*, & Græci Διαθήκην, vel Συνθήκην, hoc est Testamentum & Fœdus. Deniquè, Scriptura Sacra appellatur *Bibliotheca Sancta* à S.Hieronymo in lib. de Viris Illustribus, à S.Isidoro lib.6. Ethymol. cap.3. & ab Auctore anonymo citato à *P. Martianay* Congregat. S. Mauri Benedictino in primo Prolegomeno ad recentem Editionem, quam adornavit, operum S.Hieronymi. Verùm Scriptura Sacra, propriè loquendo, nihil aliud est, quàm Verbum Dei scriptum, & in Libris tàm veteris, quàm novi Testamenti contentum. Dicitur *Verbum Dei*, quia, ut mox ostendemus, omnis doctrina, quæ sacris Litteris mandata est, fuit à Deo inspirata, instillata atque infusa sacris Scriptoribus: *Quid est Scriptura Sacra, nisi quædam Epistola Omnipotentis Dei ad suam Creaturam?* ait S. Gregorius Papa lib. 4. Epist. 84. quibus verbis S.Doctor declarare voluit, Scripturam Sacram nihil aliud esse, quàm verbum Dei, quod per Prophetas, & per sacros Auctores ad nos usque in sacris Libris exaratum, divinitùs fuit transmissum.

Observandum est secundò, duos esse errores circa Inspirationem Librorum, qui apud Christianos *Sacra Scriptura* appellantur. Primus est Atheorum & Infidelium, qui Divinam Scripturæ Sacræ tàm veteris, quàm novi Testamenti Inspirationem omninò negant. Alter error est quorumdam modernorum Scriptorum, quos inter censentur *Erasmus*, *Grotius*, *Episcopius*, *& Spinosa*, qui docent, sacros Scriptores in referendis his, quæ viderant, vel audierant, non fuisse à Deo inspiratos, sed permissos esse humanæ conditioni & fragilitati suæ in his narrandis, quæ ad circumstantias alicujus facti pertinebant, ad quæ, ut ajunt, satis superque sufficiebat sensata notitia & memoria, quanquàm lapsui obnoxia esset. Sic enim loquitur *Simon Episcopius* lib.4. Instit. Theolog. Sect.1. Paragr.4. *Nihil vetat ut conceda-*

cedamus Spiritum Dei Sanctum reliquisse Scriptores sacrarum Librorum humanæ conditioni & fragilitati suæ in narrandis istis, quæ ad circumstantiam facti pertinebant &c. & paucis interjectis subdit: *Satiùs enim, potiùsque est, & calumniæ minùs obnoxium fortè esset, liberaliter, lubenterque levem lapsum memoriæ agnoscere, nè manifestè absurdis & contortis favere videamur, quàm absurdà nimis interpretatione uti ad lapsuum leviorum excusationem: alioquìn suspicio lapsus non modo non tollitur, sed augetur; & quia culpa non agnoscitur, non bonâ fide veritas à nobis quæri, sed pertinacia pro causa qualibet indui videtur, quod non potest, ac non debet videri Christianæ Religionis professoribus esse quàm probatissimum*. In eumdem, circà sacrorum Librorum Inspirationem, impegerunt errorem quidam, si Superis placet, Theologi Battavi, qui in Epistolis xi. & xii. cujusdam Libri gallicè editi & inscripti: *Sentiments de quelques Theologiens de Hollande*, contendunt, Prophetas & Apostolos sicut homines fuisse locutos, idest, memoriæ lapsu, vel alio infirmitatis humanæ defectu aliquandò dormitasse, & in errores incidisse. Præter hos duos errores, sententia est Cornelii à Lapide Societ. Jesu, & Richardi Simonii, quorum primus Comment. in cap.3. Epist.2. ad Timoth. alter verò cap. 23. & 24. Historiæ Criticæ novi Testamenti, & in Responsione edita Roterodami Anno 1686. contra *Le Clerc* hæreticum Socinianum, licèt fateantur ambo illi Auctores, sacros Scriptores omnia sine ullo prorsùs errore conscripsisse, etiam illa, quæ humana erant, cujusmodi sunt facta historica, & exhortationes morales; attamèn in hoc à torrente omnium Theologorum recesserunt, quod velint non fuisse necesse ut Historiæ & Morales Exhortationes, quas anteà vel visu, vel auditu, vel lectione, vel meditatione didicerant ipsi Scriptores hagiographi, inspirarentur, aut dictarentur à Spiritu Sancto, utpotè cùm eas humanâ notitiâ jam scirent & callerent sacri Scriptores. Hanc sententiam, ut infrà ostendam, confixerunt facultates Lovaniensis & Duacensis in suis censuris, quas publici juris fecerunt Anno 1586. hanc sen-

sententiam, & duos præcedentes errores contra sacrorum Librorum Inspirationem totidèm assertionibus impugnabo.

Dico primò contra Atheos & Infideles, negari non posse Inspirationem Librorum tàm veteris, quàm novi Testamenti.

Probatur hæc assertio invicto isto argumento. Negari haùd potest, illos Libros fuisse divinitùs inspiratos, in quibus futura multa prædicuntur, quorum veritatem fuisse eventu certissimè comprobatam, apertè constat ex Libris novi Testamenti, atqui in Libris veteris Testamenti, præsertim in Libris Prophetarum, multa futura prædicuntur, quorum veritatem fuisse eventu certissimè comprobatam, apertè constat ex Libris novi Testamenti: ergò negari non potest, Libros veteris Testamenti, in quibus futura prædicuntur, & Libros novi Testamenti, in quibus completa est hæc futurorum prædictio, fuisse divinitùs inspiratos. Major propositio certissima est, quia præscientia, seù notitia futurorum soli Deo eximia est: *Confitentur Magi, confitentur Arioli, & omnis scientia sæcularis Litteraturæ præscientiam futurorum non esse hominum, sed Dei; ex quo probatur Prophetas Dei spiritu locutos, quia futura cecinerunt*, ait S.Hieronymus in cap.2. Danielis. Probatur igitur minor propositio. Libri veteris Testamenti, seù Libri Prophetarum, fuerunt conscripti longè antequàm Jesus Christus prodiret in lucem, atqui in Libris veteris Testamenti, seù in Libris Prophetarum multa futura prædicuntur de Ortu, Doctrinâ, Vitâ, Miraculis, Morte, & Resurrectione Messiæ, quæ in Jesu Christo vero Messia fuisse examussim completa, apertè liquet ex Libris novi Testamenti, sicut ostendimus in Tractatu *de Mysteriis, & Annis Christi*: ergò in Libris veteris Testamenti multa futura prædicuntur, quorum veritatem fuisse eventu comprobatam certissimè demonstrant Libri novi Testamenti.

Hoc argumento petito ex Prophetarum prædictionibus in novo Testamento impletis, usus est Apostolus Paulus cau-

causam suam defendens ac perorans coràm *Agrippa* Rege, & *Festo* Syriæ Præside, quos sic allocutus est: *Auxilio autem adjutus Dei, usque in hodiernum diem sto, testificans minori, atque majori, nihil extra dicens, quàm ea, quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, & Moyses; si passibilis Christus, si primus ex resurrectione Mortuorum, lumen annunciaturus est populo & gentibus*, Actuum Apost. cap.26. v.22. & 23. Eodem argumento usi sunt antiqui Sancti Patres ad probandam contra Ethnicos Divinam Scripturæ Sacræ Auctoritatem. Sic enim *Athenagoras* in legatione pro Christianis ait, quòd *eorum, quæ novimus & credimus, habemus Prophetas testes*; quòdque *voces Prophetarum confirmant nostras ratiocinationes*. Origenes lib. 2. contra Celsum, *validissimam demonstrationem* vocat argumentationem ductam ex Prophetarum prædictionibus. S.Cyprianus lib. adversùs Judæos in Præf. ad Quirinum, ait: *Prædictiones Prophetarum valere ad prima fidei lineamenta formanda*. S.Augustinus Tract.35. in Joannem: *Quid est Christus? dicit Paganus. Cui respondemus: Quem prænuntiaverunt Prophetæ*. Hinc jure meritò ab omnibus Theologis vapulat Hugo Grotius, qui suo ingenio plùs æquo indulgens, ausus est asserere, Prophetias duplicem involvere sensum, primarium scilicèt & secundarium, ita ut primarius & proprius sensus ad Historias hujus temporis,quo à Prophetis describebantur,referendus sit; secundarius verò sensus, seù Remotus, Mysticus & Allegoricus, ad Christum Servatorem nostrum pertineat. Ex quo infert, Prophetias ad Fidem Christianam probandam, infirmas esse & invalidas, nihilque ad jacienda fidei fundamenta prodesse, sive, ut ipse loquitur, *non in vim argumenti propriè adhiberi, sed ad illustrandam atque confirmandam rem jam creditam*. Hæc, inquam, temeraria & inaudita Grotii sententia ab omnibus Theologis exploditur, quia vim apertè facit nativo & germano prædictionum sensui, quem ad Messiam, seù Christum Servatorem nostrum verè pertinuisse, & in ipso fuisse completum ex Libris novi Testamenti tàm certò liquet, ut hi, qui huic veritati Sole evi-

 den-

dentiori præfractè acquiescere nolunt, cæcutire planè videantur.

Infideles, ut ab eo argumento, quod ipsorum jugulum petit, se se expedire possint, respondent primò, Libros Prophetarum, qui nunc apud Christianos circumferuntur, non esse Libros, in quos antiqui Prophetæ sua Vaticinia conjecerunt, sed esse tantùm compilationes fragmentorum, quæ hinc indè nullo delectu collecta, disturbato ordine, nullâque habitâ ratione temporum, in diversa volumina digesta ac compacta sunt. Nam, inquiunt, si quis legat Prophetarum Libros, quales nunc habent Christiani, reverâ comperiet, nullum prorsùs in Vaticiniis servari ordinem, sed sparsim ac confusè narrari, ac sùs dèque omnia misceri. Non possunt ergò Christiani ex Libris Prophetarum, quales nunc habent, probare Libros, qui apud ipsos *Sacra Scriptura* appellantur, esse divinitùs revelatos.

Verùm hæc Infidelium responsio multis momentis falsi convincitur. Primò, quia tantùm abest, ut ex illa confusione, & disturbato Prædictionum ordine, qui in Libris Prophetarum reperitur, colligi possit, eos Libros non fuisse ab antiquis Prophetis conscriptos, ut potiùs contrarium omninò elici debeat. Ex ea siquidèm confusione apparet, illos Libros non esse humanæ mentis opus, res concinnè, confertè ac contextè singulas explicantis, & rationum cohærentiam sequentis, sed potiùs illos Libros concinnatos esse ab hominibus afflatu cœlesti instinctis, ac res futuras per intercisa & salebrosa promentibus oracula. Nemo quippè nescit, solenne esse Viris divino impulsis motu, & sacro furore correptis non rationis humanæ dictata sequi, & seriem rerum, aut accuratam temporum rationem texere, sed potiùs, proùt cœlestis se dat spiritus, dissipato & indigesto ordine divina fundere oracula. Secundò, si hæc Prophetarum Vaticinia, quæ laudant Christiani, supposititia essent, & falsò Prophetis attributa, ut dictitant Infideles, non potuissent Christiani disputantes contra Judæos supposititia illa proferre oracula, ut probarent, Christum esse verum

rum Messiam Prophetarum Vaticiniis prænunciatum, tunc enim Judæi, Christianorum, quorum semper fuerunt infensissimi hostes, malas artes ac fraudes propalassent. Porrò constat, Judæos nunquàm exprobrasse, aut vitio vertisse Christianis, quod falsa procuderint Prophetarum oracula. Certum itidèm est, tantam Judæorum animis insedisse erga Libros sacros Religionem, ut potiùs membratim discerpi maluissent, quàm nè minimum verbulum illis addere vel demere, sicut referunt *Philo*, & *Josephus* Judæi, testes hac in re locupletissimi & omni exceptione majores. Deniquè, si quis, amotis omnibus præjudiciis, diligenter consideret harmoniam Librorum veteris Testamenti cum Libris novi Fœderis, si conferat figuras antiquæ Legis cum veritate Evangelii, Prophetarum Vaticinia cum exploratissima rerum longè post gestarum Historia, prædictiones futurorum, quæ fiunt in Libris novi Testamenti, de vocatione Gentium, de prædicatione Evangelii per totum Orbem, de dispersione & calamitatibus Judæorum, cum illarum prædictionum complemento; Si quis, inquam, hæc & alia id genus attento animo consideret, confestim fatebitur mirum illum concentum non posse esse solertem & subtilem fictarum & commentitiarum fabularum distributionem, sed esse Divinæ sacrorum Librorum Auctoritatis, & Inspirationis irrefragabile argumentum.

Respondent secundò Infideles, nihil ex Prophetarum testimoniis confici contra Ethnicos, tùm quia testimonia Prophetarum, qui ex judaica Natione oriundi sunt, illis suspecta sunt, tùm quia etiam Gentilium Historia antiquior est Prophetarum Vaticiniis.

Sed hæc Infidelium responsio facilè confutari potest. Primò, quia, ut ait S. Augustinus cap. 2. lib. 13. contra Faustum: *Dicere non esse aptam Gentibus hebræam Prophetiam, quùm videamus omnes Gentes per hebræam Prophetiam credere in Christum, ridicula insania est*. Et cap. 15. ejusdem Libri inquit: *Sybilla, vel Sybillæ, & Orphęus, & nescio quis Hermes, & si qui alii Vates, vel Thęologi, vel Philosophi*

Gentium de Filio Dei, aut de Patre Deo vera prædixisse, seù dixisse perhibentur, valet quidèm aliquid ad Paganorum vanitatem revincendam, non tamen ad istorum auctoritatem amplectendam, cùm illum Deum nos colere ostendimus, de quo nec illi tacere potuerunt, qui suos congentiles populos Idola & Dæmonia colenda partim docere ausi sunt, partim prohibere ausi non sunt. At illi sacri Auctores nostri eum populum, eam Rempublicam, tale Regnum, imperante & adjuvante Deo, propugnaverunt, atque rexerunt, ubi sacrilegium esset, quod istis Religio fuit. Secundò, Libros veteris Testamenti, qui apud Christianos *Sacra Scriptura* appellantur, antiquiores esse Historiâ Gentilium certò ostendi potest ex testimoniis ipsorummet Gentilium, & ex connexione, quam habent sacri illi Libri cum vetustissimis variarum Gentium monumentis. Hanc summam sacrorum Librorum nostrorum antiquitatem, quam Illustrissimus Abrincensis Episcopus *Daniel Huetius* lato calamo in sua Demonstratione Evangelica comprobavit, paucis hìc ostendam singulos decurrendo veteris Testamenti Libros. In primis, Antiquitati Librorum Pentateuchi fidem conciliant ipsimet Gentiles, qui, ut infra dicemus agendo de Pentateucho Moysis, disertam mentionem faciunt de Moyse, & de Pentateucho ab ipso exarato, ex quo etiam Philosophi, Poëtæ, & Oratores Ethnici multa deflorarunt. Maximam itidem esse Libri Josue Antiquitatem colligitur non solùm ex multis illis Regibus Ethnicis, qui citrà & ultrà Jordanem victi & dissipati sunt à Josue, ex Antiquitate Chananeæ Regionis, quam suis armis occupavit Josue, sed etiam ex vetustissimis fabulis Gentilium, qui personam Herculis imposuerunt Josue, ut videre est apud Gerardum Vossium lib. 1. de Idololatria cap. 26. & apud Illustrissimum Abrincensem Episcopum in sua Demonstratione Evangelica, Propos. 4. Libri verò Judicum vetustas apparet sive ex servitutibus Israelitarum sub Regibus Mesopotamiæ, Moabitarum, Chananæorum, Madianitarum, Ammonitarum, Philisteorum &c. sive etiam ex ritibus & fabulis, quas Græci, aliæque Gentes ex hoc Li-

Libro comminiſcendi anſam & occaſionem arripuerunt, ut eruditè probat ibidèm ſæpè laudatus Abrincenſis Epiſcopus. Antiquitati quatuor Librorum Regum ſuffragantur quoquè Ethnici Scriptores. Conſtat quippè ex Tyriorum Annalibus, Hieroſolymitanum Templum toto penè ſeſqui ſæculo ante fuiſſe conſtructum, quàm Carthago conderetur. Meminerunt etiam iidem Annales Salomonis filii Davidis, & Hiromi, ſeù Hirami Regis Tyri, qui, ut dicitur lib.3. Reg. cap.5. conceſſit Salomoni Cæſores lignorum ad Templi ædificationem. Docent nos etiam Chaldæi in ſuo Mathematico Babyloniorum Regum Canone tempus Mardokempadi, ſeù Merodachi Regis Babylonis, qui ad Ezechiam Regem Juda legationem miſit, cujus mentio fit lib.4.Regum cap.20. tempus etiam nobis aperit idem Mathematicus Babyloniorum Canon Nabocolaſſari, ſeù Nabuchodonoſori, qui Judæos abduxit in captivitatem babylonicam. Per eumdem Canonem cognoſcimus tempus Ilverodami, ſeù Evilmerodachi, qui Joachinum Regem Juda exemit è vinculis, ſicut legitur lib.4. Regum cap.25. Porrò ſinceritate & antiquitate quatuor Librorum Regum ſemèl probatâ, & ex Gentilium teſtimoniis confirmatâ, non ſolùm pateſcit antiquitas duorum Librorum Paralipomenon,qui cum Hiſtoria Regum Juda, & Iſraël deſcriptâ in quatuor Libris Regum arctiſſimo vinculo connexi ſunt, ſed etiam apparet antiquitas multorum Librorum veteris Teſtamenti. Nam Salomon filius Davidis Regis, cujus Gentilium, ſeù Tyriorum Annales meminere, auctor eſt Libri Proverbiorum, Libri Eccleſiaſtis, Libri Cantici Canticorum, & ex ipſius ſcriptis, ut plurima maximi ponderis momenta evincunt, excerpti ſunt Liber Sapientiæ, & Liber Eccleſiaſtici, quem Jeſus filius Sirach digeſſit & concinnavit. David Rex,pater Salomonis,eſt præcipuus auctor Libri Pſalmorum. Prophetæ ſuos conſcripſerunt Libros ſub Regibus Juda, multaque facta hiſtorica narrant, quorum antiquitatem produnt quatuor Libri Regum, & Mathematicus Babyloniorum Canon. Liber Tobiæ deſcribit res ſub Salmanaſare, & Sennacherib Aſſyriorum

rum

rum Regibus gestas, quarum antiquitatem demonstrant Libri quatuor Regum, & duo Libri Paralipomenon. Deniquè aliorum Librorum veteris Testamenti antiquitatem probant Historiæ, quæ in illis describuntur. Duo siquidèm Libri Esdræ exhibent Historiam sub Persarum Regibus, maximè sub Cyro, sub Dario Hystaspide, & sub Artaxerxe Longimano, quorum Regum antiquitatem & tempora figit Mathematicus Babyloniorum Regum Canon. Liber Judith narrat Historiam, quæ contigit sub Nabuchodonosore Assyriorum Rege, quem Viri eruditi opinantur fuisse Saoduschinum filium Assaradon, qui debellavit Dejocem Regem Medorum, à quo ædificata est *Ecbatana*, & cujus antiquitatem nos docet Herodotus. Liber Estheris describit Historiam, quę spirat antiquitatem Artaxerxis Longimani rerum persicarum Scriptoribus apprimè notam. In duobus Machabæorum Libris describitur status Judæorum sub Regibus, qui post obitum Alexandri Magni regnarunt in Ægypto, & in Syria, quorum antiquitatem nos docet Historia Gentilium. Uno verbo, antiquitatem Scripturæ Sacræ probant vetustissimus Canon Librorum sacrorum, quem Esdras, post laxatam à Cyro Persarum Rege captivitatem babylonicam, condidit, & Versio Græca Librorum veteris Testamenti, quam Lxx. Interpretes jussu Ptolomæi Philadelphi Ægyptiorum Regis adornarunt trecentis fermè annis ante ortum Christi Domini Servatoris nostri. Negari igitur non potest, Libros, veteris Testamenti, qui apud Christianos *Sacra Scriptura* appellantur, antiquissimos esse, ac proindè divinitùs esse inspiratos, cùm in illis benè multa prænuncientur futura, quorum veritatem eventus certissimè comprobavit, sicut liquidò ex Libris novi Testamenti, & ex Historia Jesu Christi Domini demonstratur.

Dico secundò, sacros Auctores Librorum tàm veteris, quàm novi Testamenti fuisse in omnibus, quæ scripserunt, à Deo inspiratos, & ità speciali afflatu ac directione Spiritus Sancti adjutos, ut in Libris, quos ediderunt, nulla sit omninò falsitas, non solùm ea, quæ mentiendo profertur, sed

nec

nec ea, quæ memoriæ lapſu, vel alio quovis humano defectu inter ſcribendum obrepere poteſt.

Hæc aſſertio eſt contra Anomæos, qui, ut teſtatur Sanctus Epiphanius hæreſi 76. cùm premerentur auctoritate Prophetarum & Apoſtolorum, reſpondebant, Prophetas & Apoſtolos ut homines locutos fuiſſe. Idem ſentiebant quidam alii Hæretici, quos S. Hieronymus Præfat. Comment. in Epiſtolam S.Pauli ad Philemonem perſtringit, quorum errorem recoxerunt recentiores illi Critici, qui, ut in limine hujus Paragraphi obſervavimus, docent ſacros Scriptores, non fuiſſe in omnibus, quæ ſcripſerunt, a Deo inſpiratos, ſed humanæ conditioni & fragilitati permiſſos, in aliquot errores memoriæ lapſu impegiſſe, à quibus excuſari minimè poſſunt. Contra igitur illos intemperantioris Critices Viros probandum hìc ſuſcipio, Spiritum Sanctum eſſe principalem Scripturæ Sacræ auctorem, qui ſacrorum Scriptorum menti impreſſit illuſtrationem & cognitionem rerum, quas litteris mandare debebant, eorum voluntatem movit inſpirando, excitando, & ſpeciali afflatu impellendo, ut fideliter, & conſtanter eas litteris conſignare vellent, qui eorum manui ſpeciali aſſiſtentiâ adfuit, nè rem pro re, verbum pro verbo, litteram pro littera conſcriberent, qui deniquè eos ſic ubiquè direxit, ut nullam, vel minimam falſitatis his, quæ divinitùs ipſis revelata erant, immiſcerent.

Probatur in primis noſtra aſſertio multis clariſſimis teſtimoniis petitis ex Libris novi Teſtamenti, quibus Auctores, quos impugno, fidem derogare haùd poſſunt. At enim Chriſtus Dominus, Matth. cap. 5. de Lege Moyſis quinque Pentateuchi Libris comprehensâ, ait: *Amen amen dico vobis donec tranſeat Cœlum & Terra, jota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant*. Quibus verbis ſignificare voluit Chriſtus Dominus, Legem Moyſis, ideſt, totum Pentateuchum divinâ & infallibili pollere auctoritate, etiam quantùm ad minima, quæ in eo occurrere poſſunt. Undè Chriſtus, ad probandum ſe eſſe verum Meſſiam, ſępiùs remittebat Judæos ad Libros Moyſis; *Scrutamini Scripturas,*

ras, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. ..... Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit, Joannis cap.5. Porrò Prophetas, & alios sacros veteris Testamenti Scriptores pari auctoritatis gradu passim laudat Christus in Evangeliis: *Habent Moysem, & Prophetas, audiant illos*, Lucæ cap. 16. & rursùs cap. 10. Joannis, postquàm Christus citasset Psalmum octuagesimum primum, è vestigio subjunxit: *Et non potest solvi Scriptura*. Hinc Ecclesia Catholica profitetur, Spiritum Sanctum per Prophetas esse locutum; & in Libris Prophetarum sæpiùs legimus: *Hæc dixit Dominus Deus*; & Psalmo 44. ait Vates Regius: *Lingua mea calamus Scribæ velociter scribentis*. Ex quibus constat, Prophetas, aliosque sacros veteris Testamenti Scriptores non proprio marte scripsisse, sed Spiritus Sancti assistentis, inspirantis ac dictantis lumine illustratos omnia litteris consignasse, ac subindè omnes Libros veteris Testamenti, etiam quantùm ad minima, divinitùs esse inspiratos. Hæc fuit etiam semper constans & perpetua traditio Judæorum, quibus, ut ait Apostolus: *Credita sunt eloquia Dei*; illi quippè singulos Libros in suo Canone contentos venerantur tanquàm divinos, sacros, propheticos, quos ab infantia, ut testatur Josephus, doctrinam Dei appellant, & pro quorum defensione mori non detrectant.

Idem prorsùs dicendum est de sacris Scriptoribus novi Testamenti, quibus Christus Dominus specialem Spiritus Sancti promisit assistentiam cap.12. v.11. Lucæ, dicens: *Nolite solliciti esse qualiter, aut quid respondeatis, aut quid dicatis: Spiritus enim Sanctus docebit vos in ipsa hora, quid oporteat vos dicere*. Et Joannis cap.14. v.26. *Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis*. Et cap.16. v.13. *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur, & quæ ventura sunt, annunciabit vobis*. Divinus igitur Spiritus sacros Scriptores sic ad scribendum movebat, ut eorum lingua ac manu,

nu, ceù instrumento uteretur, eisque non modo res, sed verborum atque sententiarum sensum suggereret & inspiraret.

In hanc veritatem conspirant omnes Sancti Patres tàm Græci, quàm Latini, qui docent, sacros Scriptores ita fuisse à Deo inspiratos, ut in nullam, vel levissimam falsitatem inter scribendum labi potuerint. Sic docent *S.Clemens Papa* in Epistola sua ad Corinth. *S.Justinus* in 2. Apologia, *S.Irenæus* lib. 1. adversùs hæreses cap. 46. & 47. *S. Clemens Alexandrinus* in exhortatione ad Gentiles, *S.Ambrosius* in Epistola ad *Justum*, *S.Hieronymus* Comment. in Epistolà ad Philemonem; *S.Epiphanius* hæresi 76. quæ est *Anomæorum*, *S.Chrysostomus* homil. 37. in Genesim, & plures alii, quorum recensendis testimoniis, nè Lectori fastidium ingeram, supersedebo. Duo tantùm disertissima proferam Patrum testimonia, quæ rem planè conficiunt. Primum est *S. Augustini*, qui in Epistola 8. ad S. Hieronymum veteris ditionis, seù 28. Recentis Editionis, hęc habet: *si in aliquo Libro sacro vel minima falsitas reperiretur, totius Libri certitudo periret*. Undè nisi Scriptor sacer peculiari Spiritus Sancti assistentiâ dirigeretur, etiam in his quæ vidit & novit, facilè per oblivionem, aut affectum non purum, in aliquam falsitatem incideret, ut fit subindè apud Historiographos. Et postea ibidem ille S. Doctor sic S.Hieronymum alloquitur: *Ad hanc autem considerationem coget te pietas, quà cognoscis fluctuare auctoritatem Scripturarum Divinarum, ut in eis quod vult, quisque credat, quod non vult non credat, si semèl fuerit persuasum aliqua illos Viros, per quos nobis hæc ministrata sunt, in Scripturis suis officiosè potuisse mentiri*. Alterum testimonium est S.Gregorii Magni, qui in Proemio Moralium, de libro Job sic effatur: *Quis hæc scripserit, valdè supervacuè quæritur, cùm tamen Auctor Libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur hæc scripsit, qui hæc scribenda dictavit: ipse scripsit, qui & illius operis inspirator extitit*.

His omnibus accedit hæc ratio. Omninò necessarium fuit, ut Sacri Scriptores, qui nomine Spiritus Sancti tàm

Synagogæ Judæorum, quàm Ecclesiæ Christianorum scripta tradiderunt, quorum auctoritate vera niteretur fides, essent idonei & irrefragabiles Testes Dei, necnon doctrinæ, quam populo nunciabant, atqui testis alicujus auctoritas vel minimâ falsitate haud parùm enervatur, si igitur sacris Scriptoribus vel minimus error inter scribendum obrepsisset, non fuissent sacri Scriptores idonei testes Dei & doctrinæ, quam prædicabant, sed potiùs nutaret eorum auctoritas, ac subindè vacillaret fides nostra, sicut sæpiùs ait S. Augustinus. Ut igitur Scripturæ Sacræ divina & infallibilis constet auctoritas, necesse est, ut singula quæque in Scriptura Sacra sive magna, sive parva sint, ex peculiari Spiritus Sancti assistentia, instinctu & afflatu fuerint sine ullo prorsùs vel minimo errore à sacris Scriptoribus exarata.

Dico ultimò, Auctores hagiographos in scribendis Moralibus Exhortationibus & Historiis, quas antea vel visu, vel auditu, vel lectione, vel meditatione didicerant, fuisse divinitùs inspiratos.

Hæc assertio probatur primò ex Scriptura Sacra. Sic enim loquitur S. Petrus cap. 1. Epistolæ suæ secundæ: *Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris. Hoc primum intelligentes, quòd omnis Prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fit. Non enim voluntate humanâ allata est aliquandò prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Ex quibus verbis patet, Prophetiam (quâ voce Princeps Apostolorum Scripturam omnem intelligit) ideò divinâ pollere auctoritate, quia non voluntati humanæ, sed Divinæ Inspirationi adscribi debet. Porrò, si Historię sacrę, & morales Exhortationes, seù præcepta rectè vivendi sacris Scripturis comprehensa non ex afflatu Spiritus Sancti fuissent scripta, sed ex Scriptorum voluntate & humana notitia, non possent illæ Historiæ & morales Exhortationes tribui Inspirationi Divinæ, Divinam igitur non haberent Auctoritatem.

Præ-

Præterea, Apoſtolus Paulus Epiſt.2. ad Timoth. cap.2. v.13. ait: *Omnis Scriptura divinitùs inſpirata utilis eſt ad docendum &c.* quæ particula *omnis* indicat omnia, quæ ſacris litteris continentur ſive magna, ſive parva, ſive hiſtorica, ſive prophetica, aut benè vivendi præcepta, divinitùs eſſe inſpirata. Idemque confirmat Apoſtolus Epiſt. 1. ad Theſſalon. cap.2. v.13. ubi ſic loquitur: *Gratias agimus Deo ſine intermiſſione, quoniam cùm accepiſſetis à nobis verbum Dei, accepiſtis illud, non ut eſt verbum hominum, ſed, ſicut eſt verè, verbum Dei.* At ſi in ſcribendis moralibus Exhortationibus, & in narrandis factis hiſtoricis, quorum teſtes vel oculati, vel auriti fuerunt ſacri Scriptores, nòn fuiſſent afflati Spiritu Sancto, & hæc ex propria, quam habebant, notitia dumtaxat ſcripſiſſent, ſequeretur, Scripturam Sacram non eſſe purum verbum Dei, quia his in locis, in quibus ſacri Scriptores ex ſua peculiari, ſeù humanâ notitiâ, & citrà Divinam Inſpirationem locuti fuiſſent, verbum humanum nobis tantùm exhiberet Scriptura Sacra. Nemo autem non videt, quantùm hæc conſecutio deroget auctoritati Scripturæ Sacræ. Sic enim ſumus à natura comparati, ut firmiùs ea credamus, quæ à Spiritu Sancto dicta eſſe ſcimus, quam ea, quæ nobis tradita ſunt ab homine, quia Spiritus Sanctus errare non poteſt, homo verò, quamvis de rebus, quas narrat, optimè fuerit inſtructus, utpotè quas ipſe viderit, vel à fidis teſtibus acceperit, poteſt tamen bonâ fide circa rerum circumſtantias aberrare, & in referendis rebus jam pridem actis, quarum ipſe teſtis fuit, facilè memoriâ labi. Ut igitur Scriptura Sacra ſummum apud homines auctoritatis apicem obtineret, neceſſarium fuit, ut omnia, etiam facta hiſtorica, afflatu divino ſigillatim ſcriberentur, non verò uni hominum memoriæ, vel induſtriæ permitterentur. Quapropter jure merito celeberrimæ Facultates Lovanienſis & Duacenſis, inter cæteras propoſitiones, quas in ſuis cenſuris Anno 1586. proſcripſerunt, tres iſtas, quæ auctoritatem Scripturæ Sacræ ſpectant, damnarunt. Prima hæc eſt: *Ut aliquid ſit Scriptura Sacra, non eſt neceſſarium, ſingula ejus*

verba inspirata esse à Spiritu Sancto. Altera propositio hæc est: *Non est necessarium, ut singulæ veritates & sententiæ sint immediatè à Spiritu Sancto ipsi Scriptori inspiratæ*. Tertia propositio hæc est: *Liber aliquis (qualis fortè est secundus Machabæorum) humanâ industriâ sine assistentia Spiritus Sancti scriptus, si Spiritus Sanctus postea testetur ibi nihil esse falsum, efficitur Scriptura Sacra*. Quam novam & peregrinam doctrinam tribus istis propositionibus contentam à duabus illis toto Orbe clarissimis Universitatibus censorio stigmate justa de causa fuisse confixam, omni argumentorum genere evincit doctissimus *Antonius Arnaldus* Doctor Sorbonicus in sexta Parte Difficultatum, quas proposuit Doctori *Steyaerto*.

Hactenùs satis superque stabilitâ Divinâ sacrorum Librorum Inspiratione, nunc alia emergit dirimenda difficultas, utrùm videlicet, omnes sensus Scripturæ Sacræ sint intenti à Spiritu Sancto? Ad cujus difficultatis pleniorem elucidationem observandum est, duos esse in genere Scripturæ Sacræ sensus, Litteralem, sive Historicum, & Spiritualem, seù Mysticum. Sensus Litteralis Scripturæ Sacræ ille est, quem verba immediatè significant. Sensus Mysticus est ille, qui per verba quidèm mediatè tantùm, sed per sensum litteralem immediatè significatur. Sensum Mysticum Theologi post S.Thomam 1.part. quæst.1. art. 10. triplicem faciunt, videlicet, Allegoricum, Tropologicum, & Anagogicum. Sensus Allegoricus ad ea refertur, quæ in nova Lege credenda proponuntur. Sensus Tropologicus, sive moralis pertinet ad ea, quæ ad benè vivendum sunt agenda. Sensus Anagogicus ordinatur ad ea, quæ tendunt ad æternam felicitatem. Exempli causâ, hæc vox *Hierusalem* quatuor in Scriptura Sacra complectitur sensus. Significat quippè in sensu Litterali notissimam Judææ Civitatem in Palæstina sitam, quæ temporibus Imperatoris Vespasiani solo æquata fuit. Deindè, hæc vox *Hierusalem* significat in sensu Allegorico Ecclesiam Militantem; in sensu Tropologico animam justi; in sensu Anagogico Ecclesiam Trium-
phan-

phantem in Cœlis. Quatuor illi Scripturæ Sacræ ſenſus hoc vulgari Diſticho ſunt comprehenſi :

Littera geſta docet, quid credas Allegoria,
Moralis quid agas, quò tendas Anagogia.

His quatuor Scripturæ Sacræ ſenſibus addunt nonnulli ſenſum Accommodatitium, & ſenſum Parabolicum. Senſus Accommodatitius ille eſt, qui nec immediatè, nec mediatè per verba ſignificatur, ſed qui ad aliquid aliud ſive à Theologo, ſive à Concionatore, aut Scripturæ Sacræ Interprete extenditur & applicatur, ut v.gr. ſi quis bella & perſecutiones, quibus olim Iſraëlitæ exagitati fuerunt, trahat ad perſecutiones, quas à Tyrannis, & Hæreticis paſſa eſt Eccleſia Catholica. Verùm hic ſenſus Accòmmodatitius referri debet ad ſenſum Allegoricum. Senſus Parabolicus ille eſt, quo aliquid dicitur, & aliud per quamdam comparationem intelligitur, ſicut dùm brachium Dei pro ipſius poteſtate & fortitudine ſumitur. Aſt hic ſenſus Parabolicus ad ſenſum Scripturæ Sacræ Littaralem, ut docet S.Thomas, eſt revocandus. Obſervat etiam Angelicus Doctor 1.par.qu.10. art. 10. unum & eumdem Scripturæ Sacræ Textum multiplici quandòque ſenſu litterali eſſe fœtum, ſicut ex.gr. illud Pſalmi 2. *Ego hodiè genui te*, habet duplicem ſenſum litteralem, poteſt quippè intelligi de æterna Verbi Divini generatione, & rectè etiam explicatur ab Apoſtolo Paulo cap.1. Epiſtolæ ad Hebr. & Actuum Apoſt. cap. 13. de Chriſti Domini Reſurrectione.

Hac præmiſſa obſervatione, dico, ſenſum Scripturæ Sacræ tàm Litteralem, quàm Myſticum, fuiſſe intentum à Spiritu Sancto, qui eſt Auctor principalis Scripturæ Sacræ. Ratio hujus aſſertionis hæc eſt, quia cùm multiplices ſint Scripturæ Sacræ ſenſus, neceſſe eſt, ut Spiritus Sanctus varios illos ſenſus intenderit, alioquin Scriptura Sacra à Spiritu Sancto dictata nobis præberet anſam & occaſionem errandi, non ſecùs ac Auctor ille cenſeretur animum habere decipiendi alios, qui inter loquendum & ſcribendum his uteretur verbis, quæ plures ſenſus habere poſſent, & tamen uni-

unicum de industria sensum intenderet. Quod certè dici haùd potest de Spiritu Sancto, qui, cùm sit suprema Veritas, nec falli, nec fallere potest. Undè nullum ex his sensibus, quibus Scripturam Sacram fœcundare dignatus est, nos celare voluit, sed potiùs tùm ad instructionem nostram, tùm ad commendandam inexhaustam Scripturæ Sacræ fœcunditatem eos sacris litteris inseruit, ut jugi meditatione omnes illos sensus volveremus, discerneremus, iisque ad fidei, morumve doctrinam stabiliendam uteremur. Unum, aut alterum exemplum, quo hujus doctrinæ veritas magis illustrabitur, proferre non pigebit. *Hieremias* cap. 31. v. 15. hæc habet: *Hæc dicit Dominus: Vox in excelso audita est lamentationis, luctus, & fletus Rachel plorantis filios suos, & nolentis consolari super eis, quia non sunt*. Hæc autem verba geminum habent sensum. Primus sensus est Historicus, quo Propheta exprimit calamitates, queis Bethleemitæ à Babyloniis oppressi sunt. Alter sensus est Spiritualis & Propheticus, qui significat cruentam illam stragem, quam, nato Christo Domino, Herodes Rex Judææ edidit Bethleemitarum Infantium. Similiter, locus ille Prophetæ Osee cap. 2. *Ex Ægypto vocavi filium meum*, significat in sensu litterali Populum Israëliticum, in sensu autem spirituali & prophetico refertur ad Christum, qui ex Ægypto, in quem recens natus secesserat, mortuo Herode, reversus est. Utrumque autem Scripturæ Sacræ sensum à Spiritu Sancto fuisse intentum, ex eo maximè liquet, quòd sacri Evangelistæ, dùm ejusmodi Scripturæ Sacræ referunt testimonia, omisso sensu litterali, seù historico, quem præ se ferunt, ad sensum spiritualem, seù propheticum unicè tendunt.

Dices fortè, si plures essent Scripturæ Sacræ sensus à Spiritu Sancto intenti, ex ea sensuum multiplicitate oriretur obscuritas, atqui credibile non est, Spiritum Sanctum obscurè loqui voluisse: Non est igitur admittenda illa sensuum multiplicitas.

Respondeo, Spiritum Sanctum hanc obscuritatem, quæ interdùm nascitur ex multiplicitate sensuum Scripturæ Sacræ,

cræ, ad hominum utilitatem ordinasse, sive, ut ait S. Augustinus, *ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio revocandum*. Hinc Sancti Patres tàm Græci, quàm Latini post diuturnum in sacris Litteris studium, illas obscuras, difficiles ac profundas esse sæpiùs profitentur: *Tanta est*, ait Aquilinus Doctor Epist. olim 3. nunc 37. ad Volusianum, *christianarum profunditas Litterarum, ut in eis quotidiè proficerem, si eas solus ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere ..... in rebus, quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi, hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet*: Cùm consummaverit homo, tunc incipit. Quapropter ridendi potiùs sunt, quàm confutandi Hæretici, qui Scripturam Sacram ubiquè intellectu facilem, & omnibus claram ac perviam esse temerè effutiunt. Certè hoc dogmate, quod Hæretici ad conculcandas Ecclesiæ definitiones, & ad Scripturæ Sacræ interpretationem arbitrio cujuslibet permittendam temerario ausu procuderunt, nihil absurdiùs excogitari potuisse, velint nolint, fateri coguntur ipsimet Hæretici. At enim, si omnia in Scriptura Sacra plana sint, obvia, aperta & expedita, ut quid ergò Hęretici ad dirimendas controversias, quæ apud illos circa dogmata in Sacra Scriptura contenta identidèm suboriuntur, Synodos celebrant? Quorsùm anathemate percellunt eos, qui sanctionibus Synodorum refragantur? Ut quid varios, ac mole immensos in Scripturam Sacram Commentarios adornant? Quarè magno animorum æstu inter se digladiantur & in varias abeunt interpretationes circa illa Scripturæ verba: Hoc est Corpus meum? Cùm igitur Hæretici in his exponendis Scripturæ Sacræ verbis, quæ tamen suâ claritate se se omnium ingerunt oculis, sicut Noctuæ ad Solem cæcutiant, credibile nè est, illos in aliis implexis & salebrosis Scripturæ Sacræ locis, præsertim in Epistolis Pauli, nullam omninò reperire difficultatem, & omnes arcanos Scripturæ Sacræ sensus mirâ facilitate, & quasi linceis oculis nullo negotio ab ipsis

ipsis actutùm pervadi ac penetrari? Quid insaniùs, quàm asserere, Rusticos plumbeo ingenio præditos, & garrulas Mulieres posse incunctanter intelligere abstrusissima Christianæ Religionis Mysteria, omnes dissolvere nodos, qui Crucem fixerunt peritissimis Ecclesiæ Doctoribus, explanare Scripturę Sacrę stylum, qui pluribus in locis propter figuras, metaphoras, allegorias, græcismos, hebraismos obscurus evasit, & denique, inoffenso pede totam, quâ latè patet, perlustrare Historiam sacram, quæ, ut nemo nescit, multis involvitur difficultatibus, quæ suboriuntur sive ex apparentibus Antilogiis, quæ in ea occurrunt, ad quas conciliandas insudant, ac mirè se se torquent doctissimi Interpretes, sive ex ignorantia, in qua modò versamur, situum Locorum, Provinciarum, Urbium, nominum & proprietatum Plantarum, Animalium, ponderum, & mensurarum, artium, & scientiarum prophanarum, morum, seù consuetudinum, quæ in variis Regionibus tùm temporis obtinebant, Legum, Proverbiorum, Sectarum, & opinionum, quæ tàm apud Judæos, quàm apud alias Nationes circumferebantur; sive denique ex geographicis, & chronologicis ambagibus, ex quibus, velut ex tortuoso Labyrintho, vix se se extricare possunt doctissimi Theologi, qui herculeo & indefesso labore Scripturam Sacram noctu diuque versant. Apage igitur tàm insulsum Fanaticorum dogma, quod S.Petrus Epist. suæ 2. cap. ultimo dissipat his verbis: *Sicut & charissimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis; sicut & in omnibus Epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.*

Dices secundò. Positâ semel obscuritate Scripturæ Sacræ, quam parit multiplicitas sensuum, inutilis planè redditur Scripturæ Sacræ lectio. Quis enim tot in tenebris micare poterit, seù interpretari Scripturam Sacram, & expiscari, atque investigare varios illos sensus à Spiritu Sancto intentos, tantâque obscuritate involutos?

Re-

Respondeo primò. Positâ obscuritate, quam multiplicitas sensuum offundit Scripturæ Sacræ, non reddi inutilem lectionem Scripturæ Sacræ. Tùm quia Scriptura Sacra non in omnibus Libris obscura est, sed potiùs in Libris Historicis & Moralibus clara ac perspicua est; tùm quia etiam ille, qui legit Scripturam Sacram non debet esse sic animo affectus, ut obscuriora loca, quæ inter legendum nanciscitur, suo proprio marte interpretetur, & arcanas velit sui ingenii acumine æterni Numinis perscrutari divitias, sed potiùs summâ, quâ par est, animi veneratione debet adorare ea, quæ non intelligit, & tanquàm sacræ anchoræ indivulsè adhærere interpretationi Ecclesiæ Catholicæ, quæ, ut ait Apostolus, est *columna & firmamentum veritatis*; & cujus est judicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum Sacrarum, ut loquuntur Patres Tridentini sess. 4. Quapropter meritò exploditur insulsum illud paradoxum Hæreticorum, qui docent, singulos homines, quantumvis rudes, illiteratos, rusticos, opifices, & alios de fæce vulgi posse ope internæ Spiritus Sancti assistentiæ citrà ullam difficultatem intelligere & interpretari Scripturam Sacram, nec necesse habere alios audire, non Patres Ecclesiæ, non Pontifices, non Synodos, non magni in Ecclesia nominis Theologos, sed se ipsos tantùm, qui sibi de interioris Spiritus Sancti assistentiâ perperàm blandiuntur, cùm tamen dumtaxat hàc illàc spiritu vertiginis agantur, per inextricabiles tenebras oberrent, vanis commentis sacras Litteras contaminent, atque in varios errores ac dissensiones penè innumeras præcipites ferantur, ut invictè ostendit Illustrissimus Episcopus Meldensis Dominus *Bossuet* in Libro, quem gallico idiomate edidit de variationibus Hæreticorum. Ille igitur qui legit Scripturam Sacram, pro certo habere debet veram Scripturæ Sacræ interpretationem non ex fictitia illa Spiritus Sancti assistentiâ, non ex privato sensu, cui tàm frequens illudit error, vel libido, vel præjudicium & incogitantia hauriendam esse, sed solùm eam peti & expectari debere ab auctoritate Ecclesiæ Catholicæ, cujus indeficienti

judicio concinit Antiquitas; ſuffragatur traditio, cui auctoritatem conciliat Epiſcoporum, Epiſcopaliumque Sedium longiſſima & nunquam interrupta ſeries, cui deniquè ſemper adhæſerunt Sancti Patres, qui omnia ſua ſtudia in id potiſſimùm contulerunt, ut vigentem Eccleſiæ ſuo ævo doctrinam ſcriptis conſignarent, ab Hæreticorum cavillis vindicarent, ſuo munirent teſtimonio, & illibatam tranſmitterent ad poſteros.

Reſpondeo ſecundò, quaſdam à Theologis aſſignari regulas, ſeù conditiones, quarum beneficio inveſtigari, erui ac dignoſci poſſunt Scripturæ Sacræ ſenſus. In primis, ille, qui legit Scripturam Sacram, debet, ſepoſitâ omni curioſitate, puro ac ſimplici corde huic lectioni vacare, Deum continuis ac ferventibus precibus obnixè obſecrare, ut mentis humanæ tenebras gratiæ ſuæ fulgore diſſipare, ac verum, ſed occultum Scripturæ Sacræ ſenſum reſerare dignetur. Hinc Viri ſancti, qui ſacras Litteras noctes dieſque lectitabant, nihil tàm curæ ac cordi habebant, quàm ut animum purgarent ab omnibus pravis & terrenis deſideriis, quæ aſſequendæ ſacrarum Litterarum intelligentiæ officere poſſunt. Undè non mirum, ſi cæleſtibus bonis toti inhiantes, & Deum caſto amore diligentes difficiliora Scripturæ Sacræ loca expoſuerint, eorumque ſenſum aliis licèt impervium in apertam lucem produxerint. Contra verò Hæretici, aliique hujus furfuris homines curioſi, novarum rerum amatores, dùm ſacras Scripturas illotis, ut ajunt, manibus tractare voluerunt, nec aquas ſapientiæ ſalutaris, nec venas vitæ invenire potuerunt, ſed pro theſauro carbones offenderunt, & variis impliciti erroribus ſibi impuras ciſternas ac lacunas foderunt, ex quibus obſcænum liquorem hauſerunt, aliiſque propinarunt. Deus enim, ut inquit S. Auguſtinus, ſpargit pœnales cæcitates propter illicitas cupiditates.

Præterea, ad aſſequendum genuinum Scripturæ Sacræ ſenſum, neceſſe eſt, ut ea, quæ in ſacris Litteris debent tantùm litteraliter accipi, nunquàm ad ſenſum myſticum pro ſuo arbitrio detorqueat Lector, vel verſâ vice ea, quæ in ſen-

sensu mystico intelligi debent, ad sensum litteralem deflectat. Qua in re vehementer *Origenes* lapsus est, dùm ea, quæ de Paradiso terrestri juxtà litteram propriè intelligenda sunt, ad sensus mysticos & allegoricos, quibus passim indulgere solet, violenter contorsit. Nec minùs erraverunt Lactantius, & nonnulli alii veteres Patres, quandò mille annos, quibus Sancti cum Christo regnaturi in Apocalypsi dicuntur (quod figuratè accipiendum esse una est Catholicorum omnium sententia) secundùm litteram sinistrâ interpretatione intellexerunt; undè postea pullulavit millenariorum error. Sed ferenda non est impietas quorumdam hominum, qui effractis omnibus pudoris & Religionis cancellis, perfrictâ fronte & temerario ausu Scripturas Sacras transferunt ad vitia, ad spurcitias, facetias, ad res prophanas, scurriles, fabulosas, vanas, adulationes, detractiones, superstitiones, ad impias & diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos famosos, & ad alia id genus, quorum sacrilegam & cauterii ustione cohibendam temeritatem reprimere volens Synodus Tridentina, mandat & præcipit sess.4. nè quisquam quomodolibèt verba Scripturæ Sacræ ad hæc & similia audeat usurpare, ut omnes hujus generis temeratores & violatores verbi Dei juris & arbitrii pœnis per Episcopos puniantur. Ceterùm integrum est ac licitum Catholico Doctori novum post jugem meditationem adinvenire & proferre Scripturæ Sacræ sensum, dummodò utilis sit ad finem charitatis, neque sit dissimilis contextui sacrarum Litterarum, & à communi Sanctorum Patrum expositione non abhorreat. Uno verbo, qui legit, vel interpretatur Scripturam Sacram, semper præ oculis habere debet egregiam illam *Vincentii Lirinensis* sententiam: *Depositum custodi, quod tibi creditum est, non quod à te inventum, quod accepisti, non quod excogitasti; rem ad te perductam, non à te prolatam; in qua Auctor non esse debes, sed custos; non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens; aurum accepisti, aurum redde, nolo mihi pro aliis alia subjicias. Custodi propter inimicos, propter fures: custodi etiam dili-*

genter, sedulò, fideliter, ut suo tempore, cùm oportuerit, quibus oportuerit, reddas, devitans prophanas vocum novitates, idest, sententiarum, dogmatum, rerum, quæ sunt vetustati contraria . . . . . Catholicum hoc proprium, deposita Sanctorum Patrum commissa servare, damnareque prophanas novitates. Quâ verè aureâ Vincentii Lirinensis sententiâ palàm ostenditur quid Theologo christiano, quid Lectori, & Interpreti Scripturæ Sacræ facto opus sit, nè à recta via aberret. Debet enim in hanc præcipuè curam incumbere, ut, explosâ omni novitate, antiquas Patrum opiniones circa sensum Scripturæ Sacræ non commutet, non mutilet, non repudiet, sed potiùs eas propriâ industriâ limet ac poliat, vetustis novitatem det, obsoletis nitorem, obscuris evidentiam, lucem, distinctionem, fastiditis gratiam, nihilque non moliatur, ut avita doctrina, quæ Sanctorum Patrum labore sata est, ab omnibus excolatur, meturescat, floreat, ac maximum ubique suscipiat incrementum.

Tertiò, ut Lectori, vel Interpreti Scripturæ Sacræ faciliùs innotescat germanus Scripturæ sensus, oportet ut, abdicatis omnibus præjudiciis, semotâ omni passione, & judicii præcipitatione, difficiliora Scripturæ Sacræ loca ad pondus Sanctuarii accurato criterio & diligenti examine librentur, trutinentur, & conferatur Scriptura Sacra cum Scriptura Sacra, hoc est, Textus cum Textu, Codex cum Codice, antecedentia & consequentia cum locis dubiis, implexis & obscuris, cum loco, tempore & scopo sacri Scriptoris. Hæ siquidèm circumstantiæ, locis, quorum obscuritas Lectori negotium facessere potest, singularem affundent claritatem, quia, ut inquit S. Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 6. *Nihil ferè de obscuritatibus Scripturæ eruitur, quod non alibi planissimè dictum reperiatur.* Deniquè, cùm in Scriptura Sacra multi relicti sint hebraismi, & hellenismi, sive modi loquendi Hebræis & Græcis familiares, ad illas sanctæ locutionis formulas clariùs percipiendas, multùm juvabit orientalium linguarum, potissimùm hebraicæ, & græcæ notitia, cui adjungi poterunt omnia cri-

critices disciplinæ adjumenta, quæ nobis suppeditarunt Theologi hujus ætatis doctissimi in Lucubrationibus, quas ad obscuriora Scripturæ Sacræ loca illustranda, magno Reipublicæ Christianæ emolumento ediderunt. Unum tamen cavendum est vitium quorumdam Criticorum, qui, ut ostendant quanto ingenii præpolleant acumine, quantùmve in linguis orientalibus, & in Critices disciplina profecerint, diutiùs, quàm par esset, immorantur in explicandis difficultatibus purè grammaticis, geographicis, & chronologicis, vel, quod graviùs est, levissimis conjecturis indulgentes nonnulla Scripturæ Sacræ loca emendare, seù potiùs mutilare præsumunt, putantes se tunc naris emunctæ Viros, aliisque Theologis oculatiores visum iri, si elato supercilio omnia ad crisim revocent, & res, quæ ad Fidem & Religionem spectant, suæ censuræ plusquàm prætoriâ vel dictatoriâ auctoritate, temerè subjiciant. In hunc critices disciplinæ abusum jure ac merito invehitur *P. De Laubrussel* Soc. Jesu in Tractatu, quem *de Abusibus Criticæ Disciplinæ in materia Religionis* gallicè edidit Anno 1710. quem Lector, si ipsi per otium liceat, poterit consulere.

Præter has regulas, seù conditiones, quas ad verum assequendum Scripturæ Sacræ sensum, summatim hìc perstrinximus, septem alias celebres regulas affert S. Augustinus ex Tychonio, hæretico licèt Donatista, depromptas, quas regulas, cùm Sanctus ille Doctor lib. 3. de Doctrina Christiana à cap. 30. ad finem latè ac dilucidè exposuerit, ab illis referendis & explicandis in præsentia supersedebo.

PARAGRAPHUS QUARTUS,

In quo diluuntur objectiones contra Inspirationem sacrorum Librorum.

ARguitur primò: Non fuit necessarium ut Spiritus Sanctus inspiraret, & dictaret Historias, quas referunt sacri Scriptores, sed abundè sufficiebat ut sacer Scriptor me-

memoriâ valeret circa res, quas viderat, vel audierat, & diligentiâ in conscribendis veterum Commentariis. Si enim v.gr. Evangelista Lucas divino afflante Spiritu scripsisset, indè procùl omni dubio auctoritatem Evangelio conciliasset, sicut Prophetæ faciunt, potiùs quàm à testibus, quorum fidem secutus est, ut ipsemet testatur in exordio Evangelii sui his verbis: *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis; visum est mihi, assecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile*. Necessarium itidèm non erat, ut Spiritus Sanctus eidem Lucę inspiraret gesta & peregrinationes Apostoli Pauli, quas in Actibus Apostolorum descripsit. Siquidèm Lucas, cùm esset individuus Apostoli Pauli comes, actionum & peregrinationum illius testis oculatus erat. Deniquè, S.Joannes cap. 1. suæ primæ Epistolæ fidem eorum, quæ scribit, & populo annunciat, non ab Inspiratione divina, sed à notitia hausta à sensibus vendicat ac confirmat his verbis: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ; & vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annunciamus nobis vitam æternam*. Ergò sacri Scriptores, saltem in conscribendis factis historicis, vel exhortationibus moralibus, divinâ Inspiratione opus non habuerunt.

Respondeo, non solùm assistentiam & protectionem Spiritus Sancti, sed etiam divinam Inspirationem duplici præcipuè ratione fuisse necessariam sacris Scriptoribus ad ea scribenda, quæ ipsis jam notitiâ humanâ comperta atque explorata erant. Prima ratio hæc est, quia voluit Deus, ut Scriptura Sacra summâ in Ecclesia polleret auctoritate; porrò, si omnia, quæ sacris Litteris mandata sunt, afflatu divino scripta haud fuissent, sed ea, quæ ad facta historica, vel ad exhortationes morales pertinent, Scriptorum memoriæ vel industriæ permissa essent, Scriptura Sacra summam in Ecclesia obtinere non potuisset auctoritatis apicem, quia justa semper nobis suppeteret dubitandi ratio, an sacri Scripto-

ptores in his, quæ ad Hiſtoriam, vel ad Exhortationes morales ſpectant, referendis, memoriæ lapſu, aut alio congenito defectu humano à vero deflexerint? Frequenti quippè experientiâ compertum habemus, multos fuiſſe Scriptores etiam claſſicos, qui in rebus, quas viderant, vel à fidis teſtibus acceperant, deſcribendis, lapſi ſunt, & bonâ fide circa rerum circumſtantias aberrarunt. Bonus enim, ut vulgò dicitur, aliquandò dormitat Homerus, nihilque in Mundo eſt ex omni parte beatum, nec aliquid tàm felix, cui non ſint ſuæ additæ labes. Ut igitur ſacris Litteris ſuprema & infallibilis conſtaret auctoritas, non ſufficiebat, ut ſacri Scriptores in referendis his, quæ viderant, vel audierant, haberent fidem in narrando, diligentiam in ſcribendo, & memoriam in retinendis rebus, quas perſpexerant, vel ab oculatis & probatiſſimæ fidei teſtibus acceperant, ſed prorsùs neceſſarium erat, ut hæc omnia Spiritus Sanctus divino ſuo afflatu illis inſtillaret, ſeù inſpiraret. Altera ratio hæc eſt, quia ſacri Scriptores plerùmque referunt res jam pridèm actas, ſicut S.Joannes, qui ſexaginta annos ab obitu Chriſti Domini ſuum conſcripſit Evangelium, refert verba ipſa & ſermones Chriſti Domini. Non potuiſſet autem S.Joannes hæc tàm accuratè referre, niſi Spiritus Sanctus divino afflatu acta, dictaque in memoriam ejus revocaſſet. Sæpiùs enim, velimus nolimus, experimur memoriam noſtram labilem, quæ vacillat, fluctuat, & in concinnandis narrationibus rerum, quas jamdudùm vidimus & audivimus, multis lapſibus obnoxia eſt. Cùr autem S.Lucas, & S.Joannes non ab illa divina Inſpiratione, ſed potiùs ab humana notitia à ſuis ſenſibus accepta ſibi fidem atque auctoritatem conciliarint? Ratio in promptu eſt: Enimverò ſacer ille ac divinus Spiritus Sancti afflatus erat penitùs ignotus Ethnicis, quos Fide Chriſtianâ imbuere debebant Apoſtoli, adeòque non expediebat, ut Apoſtoli ab Inſpiratione divina, quam vel ſibilo exploſiſſent, vel nauci feciſſent Ethnici, auctoritatem acciperent, ſed potiùs, ut faciliùs Ethnicos ad Chriſti fidem adducerent, uti debuerunt Apoſtoli argumento eorum captui
ma-

magis accommodato, ac petito à notitia, quam ipsimet à suis sensibus acceperant, scilicet, ex his, quæ vel viderant, vel audierant. Sic enim Ethnici, qui sciebant, Apostolos esse viros candidos, simplices, ac testes vel oculatos, vel auritos eorum, quæ prædicabant, vel scribebant, multò faciliùs ipsis fidem dabant, & Christianæ Religionis jugo colla sua subdebant. Cæterùm Apostolus Paulus cap.1. Epistolæ ad Galatas, non ab homine, sed à Deo Evangelio suo ascisfcit auctoritatem his verbis: *Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum est à me, quia non est secundùm hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.*

Arguitur secundò, Scriptura Sacra eò unicè tendit, ut nos edoceat quæcumque ad Religionem pertinent, sed non ut nos instruat de rebus historicis, vel de arcanis Philosophiæ: Igitur non est verosimile, Spiritum Sanctum sacris Scriptoribus inspirasse ea, quæ ad Philosophiam, vel Historiam spectantia in suis Libris inseruerunt.

Prætereà, nonnulla sunt in Libris Scripturæ Sacræ, quæ principiis Philosophiæ consentanea non sunt: v.gr. dicitur, quòd Terra stat, quòd Cœli sunt solidi, quòd Sol movetur, oritur, & occidit; quæ omnia cum vera Philosophia rectà fronte pugnare multis argumentis evincunt recentiores Philosophi.

Tertiò, quamvis sacri Scriptores, in his, quæ de doctrina, & de moribus scripserunt aut prædicarunt, falli ac decipi haùd potuerint, attamèn nemo unquam dicet, eos in suis colloquiis, & in singulis, quæ proferebant, verbis, nulli errori fuisse obnoxios. Quid nì igitur à pari dici poterit, sacros Scriptores inter scribendum in aliquos leves errores impegisse?

Quartò, quis credat, Deum inspirasse Apostolo Paulo hæc verba, quæ leguntur cap.4. Epist.2. ad Timoth. *Lucas est mecum solus. Tychicum misi Ephesum. Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens, affer tecum, & Libros, maximè autem membranas.* Numquid, quæsò, ad hæc

hæc, & alia similia scribenda Paulo opus fuit divino afflatu?

Denique, Apostolus Paulus palàm declarat, se quædam scribere non tanquàm mandata & verba Dei, sed tanquam propria sua verba & instituta. Ait enim cap. 7. Epist. 1. ad Corinthios: *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere*. Et versu 12. subdit: *Nam cæteris ego dico, non Dominus: Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam*. Ex quibus verbis liquidò patet, Apostolum Paulum non fuisse in omnibus, quæ scripsit, à Deo inspiratum, sed quibusdam in locis tanquam hominem esse locutum.

Respondeo ad singula illa momenta, & ad primum dico, quòd quia Scripturæ Sacræ eò unicè tendunt, ut nos edoceant quæcumque ad Religionem attinent, ideò necesse est, ut nulla in Scripturis Sacris falsitas reperiatur etiam circa ea, quæ Historiam, vel Philosophiam spectant. Alioquin, si Infideles & increduli Homines offenderent errores in Scripturis Sacris circa res, quæ Historiam vel Philosophiam spectant, indè ansam & occasionem facilè arriperent dictitandi alios circa Religionem in sacris Libris reperiri errores, sicque, ut sæpiùs observat S. Augustinus, nutaret ac periclitaretur sacrorum Librorum auctoritas, quæ tamen sacro-sancta esse debet. Insurgerent etiam audaciores quidam homines, qui de factis quibusdam historicis, quæ cum veritate Religionis connectuntur, præposterè dubitarent, & vanis, ut fieri assolet, conjecturis indulgentes, multa in sacris Litteris, quasi ad Historiam tantùm, vel ad Philosophiam, non ad Religionem pertinerent, pro suo arbitrio, & virgam censoriam exercendi pruritu falsi insimularent. Ut igitur omnis omninò ad labefactandam Scripturam Sacram præcludatur aditus, dicendum est, totam, quà latè patet, Scripturam Sacram sub nullo mendo cubare etiam in his rebus, quæ ad Religionem non pertinent.

Ad secundum, dico videri ex S. Augustino, Deum noluisse

luisse nos in Sacris Scripturis edocere illas quæstiones philosophicas, quæ nullius sunt saluti profuturæ. Sic enim loquitur Aquilinus ille Doctor cap.9. lib.2. de Genesi ad litteram: *Quæri etiam solet quæ forma & figura Cœli esse credenda sit secundum Scripturas nostras? Multi enim multùm disputant de iis rebus, quas majore prudentiâ nostri Auctores omiserunt, ad beatam vitam non profuturas discentibus... Quid enim ad me pertinet, utrùm Cœlum sicut sphæra undiquè concludat Terram in media Mundi mole libratam, an eam ex una parte desuper velut discus operiat? Sed quia de fide agitur Scripturarum, propter illam causam, quam non semèl commemoravi, nè quisquam eloquia divina non intelligens, cùm de his rebus tale aliquid vel invenerit in Libris nostris, vel ex illis audierit, quòd perceptis assertionibus adversari videatur, nullo modo eis cætera utilia monentibus, vel narrantibus, vel pronunciantibus credat; breviter dicendum est: de figura Cœli hoc scisse Auctores nostros, quod veritas habet, sed spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista docere homines nullius saluti profutura.* Sed, hoc non obstante, circa has Quæstiones Philosophicas standum est Decretis Sacræ Congregationis Indicis, proscribentis Systema Copernicanum ut falsum & divinæ Scripturæ Sacræ adversum.

Ad tertium dico, sacros Scriptores non fuisse infallibiles in omnibus verbis, quæ in quotidianis & familiaribus Sermonibus & Colloquiis proferebant, quia ad afferendam illis hujusmodi infallibilitatem, oportuisset, ut Spiritus Sanctus continuo afflatu dirigeret eorum cogitationes, verba, actiones, eosque reddidisset impeccabiles, quod sanè privilegium sacris Scriptoribus non fuisse concessum, probat exemplum S.Petri, qui in observatione Cæremoniarum legalium à S.Paulo fuit meritò reprehensus, ejus tamen error, ut inquit Tertullianus, *conversationis fuit vitium, non prædicationis*. At quamvis sacri Scriptores potuerint interdum falli in verbis, quæ in familiaribus Colloquiis fundebant, nunquàm tamen errare, labi & hallucinari potuerunt in Libris, quos speciali Spiritus Sancti afflatu ediderunt, quorum

rum auctoritate vera Fides niti, & à quibus omnis prorsùs error exulare debebat. Nemo itaque non videt, quàm longum latumque interſit diſcrimen inter familiaria ſacrorum Scriptorum colloquia, & eorum ſcripta, quæ nomine Spiritus Sancti tanquam fidei regulam complectentia, universæ Eccleſiæ ad instructionem fidelium tradiderunt.

Ad quartum breviter Reſpondeo, non eſſe indignum Spiritu Sancto, quòd ſpeciali ſuâ aſſiſtentiâ, protectione, & afflatu ita mentes ſacrorum Scriptorum direxerit, ut in nullum errorem, etiam in rebus leviſſimis, quas ſcripſerunt, laberentur; immò potiùs, ut Scriptura Sacra divinâ & infallibili polleret auctoritate, hæc ſpecialis Spiritus Sancti aſſiſtentia ſacris Scriptoribus, in his omnibus, quę ſcribebant, præſtò eſſe debebat, nè minimus ſubreperet error, qui Scripturæ Sacræ auctoritatem apud Infideles & incredulos in diſcrimen adducere potuiſſet.

Ad ultimum dico, Apoſtolum Paulum diſtinguere mandata Dei ab illis conſiliis & præceptis, quæ ipſemet ad formandam ac benè inſtituendam naſcentem Eccleſiam proponebat, illum tamen eodem in capite laudatæ Epiſtolæ apertè innuere, ſe in illis edicendis præceptis fuiſſe ſpeciali Spiritus Sancti aſſiſtentiâ directum, ſic enim loquitur: *Puto autem, quòd & ego ſpiritum Dei habeam*. Et 2. ad Corinth. cap. 13. *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus*.

Arguitur tertiò, in ſacris Libris multi reperiuntur errores: ergò ſacri Scriptores in omnibus, quæ ſcripſerunt, non fuerunt afflati Spiritu Sancto. Probat. anteced. Primò, Evangeliſta Matthæus cap. 2. verſ. ultimo citat aliquod teſtimonium tanquam à Prophetis dictum, quod tamen in nullo Prophetarum libro extat: *Et veniens Jeſus, habitavit in Civitate, quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetas: quoniam Nazaræus vocabitur*. Hæc verba, *quoniam Nazaræus vocabitur*, non leguntur in Prophetarum Libris. Secundò, idem Evangeliſta cap. 27. loquens de agro, triginta argenteis à Juda proditore relatis

empto, ait: *Tunc impletum est quod dictum est per Hieremiam Prophetam dicentem*: *Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiaverunt à filiis Israël, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Deus*. Porrò hæc Prophetia non extat in Hieremia, sed habetur in Zacharia cap. 11. ubi etiam nec iisdem verbis legitur, nec dicitur, his triginta argenteis emptum esse agrum figuli, sed dicitur eos fuisse delatos ad statuarium.

Similes errores observantur itidèm in Evangelio Sancti Marci. Nam cap. 1. hæc verba leguntur: *Sicut scriptum est in Isaia*: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam ante te, vox clamantis in deserto, parate viam Domini*. Constat autem, priorem partem hujus Prophetiæ non esse Isaiæ, sed Malachiæ. Item cap. 2. refert idem Evangelista, hæc fuisse à Christo Domino dicta: *Numquid legistis, quomodò David introivit in domum Dei sub Abiathare Principe Sacerdotum, & panes propositionis manducavit?* At id non est gestum sub Abiathare, sed sub Abimelecho patre ejus, ut patet ex lib. 1. Regum cap. 21. Denique, idem Evangelista cap. 14. vers. 25. de hora, quâ Christus Dominus crucifixus est, scribit: *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum*. Sed Joannes alter Evangelista cap. 19. ait, Christum Dominum horâ quasi sextâ in Crucem actum fuisse. His ergò momentis probatum manet, non omnia à sacris Scriptoribus instinctu & afflatu Spiritus Sancti esse conscripta.

Respondeo singillatim ad omnia illa momenta, & ad primum dico cum S. Hieronymo, quòd S. Matthæus nullum speciatim citavit Prophetam, sed solùm indicare voluit, prędictum fuisse ab omnibus Prophetis Messiam, seù Jesum Christum fore sanctum, & Nazaræorum more Deo consecratum iri. Non caret etiam probabilitate conjectura Illustriss. Episcopi Abrincensis asserentis hæc verba: *quia Nazaræus vocabitur*, fuisse à S. Matthęo citata ac deprompta ex cap. 13. vers. 5. Libri Judicum, ubi dicitur: *Erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua*.

Ad

Ad alterum momentum respondent quidam Critici, quorumdam Sciolorum ignorantiâ, aut Librariorum oscitantiâ Hieremiam pro Zacharia in Evangelium S.Matthæi fuisse intrusum. Sed hæc conjectura non placet. Undè respondeo primò, Hieremiam pro Zacharia divino consilio fuisse ab Evangelista Matthæo positum, ut hinc videlicèt intelligeretur, Prophetas omnes uno & eodem spiritu afflatos scripsisse. Vel secundò respondeo, hanc Prophetiam, quam citat S.Matthæus, verè esse Hieremiæ, licèt in Hieremiæ libro non reperiatur. Omnes siquidèm Prophetiæ non fuerunt scriptis mandatæ, sed quædam traditione tantùm, & privatis Hebræorum annotationibus conservabantur, sicut quædam Christi Domini sententiæ traditione solâ ab ejus Discipulis conservatæ sunt, cujusmodi est illa: *Estote boni Trapezitæ*, quam plerique Patres laudarunt. Rursùs illa à S.Paulo citata: *Beatiùs est dare, quàm accipere*. Refert etiam Sanctus Hieronymus sibi à quodam Nazarenæ Sectæ homine librum fuisse ostensum, in quo continebantur annotationes quarumdam traditionum Judæorum, & in quo hoc vaticinium à S.Matthæo citatum extat sub nomine Prophetæ Hieremiæ.

Similiter Evangelista Marcus potest ab omni errore facilè purgari. Nam primò S.Marcus ideò citat sub nomine Isaiæ hoc vaticinium: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam ante te. Vox clamantis in deserto, parate viam Domini*, quia priora hujus vaticinii verba sunt quidèm Malachiæ, posteriora tamen illa: *Vox clamantis in deserto &c.* sunt Prophetæ Isaiæ. Porrò Marcus siluit Malachiam, & dumtaxat citavit Isaiam, tùm quia Joannes Baptista, cujus Prædicationis exordium narrat ibidèm Marcus, vaticinio Isaiæ potissimùm nitebatur; tùm quia etiam Malachiæ prophetia implicitè, & quantùm ad sensum continebatur in verbis Isaiæ. Sic respondent Patres græci Porphyrio objicienti, quòd Evangelista Marcus imperitè quasi ab uno dictum referret, quod à duobus Prophetis fuerat scriptum. Sanctus verò Hieronymus eamdem versans

ſans difficultatem in cap.3. Matth. ſic eam diluit : *Cùm teſtimonium de Malachia, Iſaiaque contextum ſit, quærit, ſive objicit Porphyrius, quomodò velut ab uno Iſaia exemplum putemus aſſumptum? Cui Eccleſiaſtici Viri pleniſſimè reſponderunt : Nos autem nomen Iſaiæ putamus additum Scriptorum vitio, quod in aliis locis probare poſſumus, aut certè de diverſis teſtimoniis Scripturarum unum corpus effectum. Lege decimum tertium Pſalmum, & hoc idem reperies.* Quibus poſtremis verbis S. Hieronymus inſinuare voluit hoc teſtimonium ex diverſis licèt Prophetis, Malachia videlicèt & Iſaia contextum, quaſi unicum eſſet, à S.Marco ſub nomine Iſaiæ fuiſſe citatum, non ſecùs ac Apoſtolus Paulus in Epiſt. ad Rom. cap.3. citat hæc verba quaſi deprompta ex Pſalm.13. *Omnes declinaverunt, ſimùl inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum*, & cætera alia verba, quæ ſequuntur, quamvis hæc teſtimonia non extarent in illo Pſalmo, ſed ex variis aliis Scripturarum locis excerpta & contexta eſſent, quæ poſtea in eodem Pſalmo decimo tertio ſeriatim in Editione Vulgata repoſita ſunt, etſi in Textu Hebræo, & in Editione Græca Lxx. Virûm non legantur in Pſalmo decimo tertio. Addo etiam, in quibuſdam Codicibus Grȩcis S.Marci non legi : *Sicut ſcriptum eſt in Propheta*, ſed, *ſicut ſcriptum eſt in Prophetis*. Sed ſtandum eſt lectioni Editionis Vulgatæ.

Secundò, Evangeliſta Marcus abſolutè dicere potuit, Davidem manducaſſe panes propoſitionis ſub Abiathare, ideſt, temporibus Abiatharis, quia Abiathar filius Achimelechi erat præſens, quandò David, ſtimulante fame, panes propoſitionis comedit, tametſi poſteà fuerit ſummo Sacerdotio inauguratus. Dici etiam poteſt, Abimelechum fuiſſe binomium, & Abiatharis nomine donatum, quod non eſt inſolens in ſacris Litteris, immò apud Hebræos ſolenne olim ac pervulgatum erat.

Deniquè, S.Marcus ſcribit, Chriſtum crucifixum eſſe horâ tertiâ, quia hora tertia apud Judæos protrahebatur uſque ad horam ſextam, ideſt, incipiebat ab hora nona matutina

tina, juxtà morem, quem, exceptis Italis, in putandis horis diei obſervant aliæ Nationes, & terminabatur in meridie. Dividebant quippè Judæi diem in quatuor partes, ſicut nunc Eccleſia in ſuis precibus dividit diem in quatuor horas, nimirùm, *Primam*, *Tertiam*, *Sextam*, *Nonam*. Chriſtus ergò, ſecundùm Evangeliſtam Marcum, crucifixus eſt horâ tertiâ, ideſt, ſub finem horæ tertiæ, & appetente jam horâ ſextâ. Qua in re optimè conſentiunt ambo Evangeliſtæ. Non deſunt attamen perdocti Scripturæ Sacræ Interpretes, qui autumant in hunc Evangelii Marci locum Librariorum negligentiâ irrepſiſſe mendum, & loco horæ ſextæ, tertiam horam fuiſſe notatam. Proclive ſiquidèm eſt in litteris numeralibus, quibus utuntur Græci, unam præ alia ſcribere. Verùm, nè quidquam auctoritati Editionis Vulgatæ, quam impensè veneror, derogare videar, ommiſsâ hac conjecturâ, priori reſponſioni ſtandum eſſe cenſeo.

Arguitur quartò, Spiritus Sanctus non poteſt inſpirare res ſibi omninò oppoſitas, atqui in Libris novi Teſtamenti, ſeù in Evangelio S.Lucæ, & in Actibus Apoſtolorum multa reperiuntur, quæ Libris veteris Teſtamenti omninò opponuntur: ergò Libri veteris & novi Teſtamenti non fuerunt divino afflatu conſcripti. Prob. minor propoſitio, in qua vertitur totius difficultatis cardo. *S.Lucas* cap.3. Evangelii inſerit Cainanem inter Arphaxad & Salem, aitque Cainanem fuiſſe filium Arphaxad, & patrem Sale. At verò Moyſes cap.11. Libri Geneſeos, ubi texit catalogum Patriarcharum poſt-diluvianorum, nullam illius Cainanis mentionem facit, ſed potiùs ſcribit Arphaxad eſſe patrem Sale. Præterea, idem Lucas Actor. cap.7. ait, Joſephum accerſiviſſe in Ægyptum omnem cognationem ſuam in animabus ſeptuaginta quinque. Aſt Moyſes Geneſis cap.46. & Exodi cap.1. ſcribit ſeptuaginta dumtaxat animas in Ægyptum fuiſſe ingreſſas. Tertiò, S.Lucas ait, Jacob, & alios Patriarchas eſſe ſepultos in Sichem in ſepulchro, quod emit Abraham. Sed in Libro Geneſ. cap.23. dicitur, ſepulchrum, quod emit Abraham, non fuiſſe poſitum in Sichem, ſed in Hebron.

Jo-

Josephus etiam Hebræus lib.2. Antiqu.Jud.cap.8. dicit, fratres Josephi sepultos fuisse in Hebron. Quartò, S.Lucas ibidèm scribit, Abraham emisse sepulchrum *à filiis Hemor filii Sichem*, ubi non unus, sed geminatus reperitur error. Nam primò, Abraham non emit sepulchrum à filiis Hemor, sed ab Ephrone Hethæo filio Seor duplicem emit speluncam, sicut legitur cap. 23. Genesis. Secundò, Hemor non fuit filius Sichem, sed Sichem fuit filius Hemor. Dicitur enim Genesis cap. 33. vers. 19. *Emitque* (Jacob) *partem agri, in qua fixerat tabernacula, à filiis Hemor patris Sichem, centum agnis*. Ergò Libri novi Testamenti multa complectuntur, quæ opponuntur Libris veteris Testamenti.

Respondeo omnibus illis momentis, & ad primum dico, Cainanem, quem Arphaxad inter & Salem recenset S.Lucas, verum fuisse Patriarcham, quem tamen Moyses ob causam nobis omninò ignotam prætermisit in serie Patriarcharum post-diluvianorum, perindè ac Matthæus Evangelista ommisit tres Reges Juda in genealogia Christi Servatoris. Non desunt tamen perdocti quidam Critici, & Scripturæ Sacræ Interpretes, qui censent, Cainanem illum juniorem esse Patriarcham insititium, eumque in Evangelium S.Lucæ interpolatrice manu fuisse intrusum, quia in antiquioribus Lucæ exemplaribus Cainan ille non reperitur, & de illo tàm in Textu Hebræo, quàm in Textu Samaritano, & in vetustis Scripturæ Sacræ Versionibus Chaldaicâ, Syriaca &c. nè minima quidèm habetur mentio. Sed quia hęc Criticorum responsio officit auctoritati Editionis Vulgatæ a sacro Concilio Tridentino approbatæ, & à Summis Pontificibus Clemente VIII. & Sixto V. repurgatę à mendis, quæ in eam irrepserant, ideò eam calculo nostro probare haùd possumus.

Ad alterum momentum respondeo, S.Lucam secutum fuisse Versionem Lxx. Interpretum, in qua inter animas, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, numerantur nepotes Josephi, seù quinque filii Manassis, & Ephraim, scilicet *Machir*, *Galaad*, *Sutalaam*, *Taam*, *&* *Edem*, quos Josephi nepotes præ-

prætermisit Moyses in Textu Hebræo. Nec di ci potest, hos quinque Josephi nepotes non potuisse per anticipationem ab Evangelista Luca numerari, nec verè dici ingressos esse in Ægyptum, cùm ibi nati sint. Illud, inquam, dici non potest, quia etiam Moyses in Textu Hebræo numerat inter animas in Ægyptum ingressas *Ephraim* & *Manassem*, qui tamen nati sunt in Ægypto.

Ad tertium momentum respondeo, Patriarcham Josephum fuisse sepultum in Sichem, sicut legitur cap.24. v.32. lib.Josue, Patriarcham verò Jacob sepultum fuisse in Hebron, ut colligitur ex cap. 50. vers. 13. lib. Genesis. De loco autem, in quo fratres Josephi sepulti sunt, silet omninò Scriptura Sacra, eos tamen unà cum Patriarcha Josepho fuisse sepultos in Sichem testatur S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ. Sanè vero quàm simillimum est, eorum ossa simùl cum ossibus fratris Josephi ex Ægypto translata esse, & eodem in loco reposita. Memoriæ igitur lapsum passus est Josephus Hebræus, dùm scribit, fratres Patriarchæ Josephi fuisse sepultos in Hebron.

Ad ultimum momentum respondent nonnulli Critici, locum illum cap.7. Actuum Apostolorum, ubi sic scriptum est: *Et translati sunt in Sichem, & positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham pretio argenti à filiis Hemor filii Sichem*, depravatum esse, sicque restituendam esse genuinam illius loci lectionem: *Et translati sunt in Sichem, & positi sunt in sepulchro, quod emit Jacob pretio argenti à filiis Hemor patris Sichem*. Sed hæc mihi non probatur responsio; nam præterquàm in vocibus adeò dissimilibus nulla ex parte Librariorum fingi potest depravationis occasio, certum est, omnia exemplaria cùm græca, tùm latina ab ipsis Apostolorum temporibus eamdem lectionem jugiter retinuisse, & S.Hieronymum, aliosque Patres & Scriptores Ecclesiasticos nunquàm suspicatos esse, ejusmodi locum mendosum esse, quamvis in eo explicando diù multùmque insudarint. Cùm igitur universa Scripturæ Sacræ exemplaria mirificè consentiant, & expositores unum idemque sonent, nemo citrà

temeritatem locum illum esse vitiatum causari potest. Hac itaq;rejecta responsione,nodum istum Ven.Beda Comment. in cap.7. Apostolor. solvit his verbis: *Et positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham pretio argenti à filiis Hemor filii Sichem. Docet etenim Genesis, Abraham ab Ephron filio Seor Hethæi in Cariatarbe locum sepulchri quadringentis argenteis Siclis emisse, in quo ipse Abraham Isaac, & Jacob, & Adam Protoplastus sepulti. Itemque Jacob de Mesopotamia reversum juxtà Urbem Sichem, partem agri, quo tabernacula tenderet, ab Hemor patre Sichem datis centum agnis accepisse. Non emit ergò Abraham sepulchrum ab Hemor Sichemita, sed ab Ephron Hethæo, in quo duodecim Patriarchæ non sunt sepulti, sed in Sichem, ut diximus. Verùm B.Stephanus vulgo loquens, vulgi magis in dicendo sequitur opinionem. Duas enim pariter narrationes conjungens, non tàm ordinem circumstantis Historiæ, quàm causam, de qua agebatur, intendit. Qui enim insimulabatur adversùs locum sanctum, & legem docuisse, pergit ostendere, quomodò Jesus Christus ex lege monstretur esse promissus, & quòd ipsi, nec tunc Moysi, nec Domino nunc servire maluerint. Hæc, ut potui, dixi, non præjudicans sententiæ meliori, si adsit. Porrò, quod dicitur à filiis Hemor filii Sichem, in græco exemplari scriptum est, à filiis Hemor, qui fuit in Sichem, quod Genesis Historiæ magis concordare videtur, tametsi fieri potuerit, ut idem Hemor, & patrem filium Sichem nomine haberet.* Hactenùs Venerabilis Beda, cujus solutio ad conciliandum Moysem cum S.Stephano planior & expeditior videtur Rabano, aliisque doctissimis Theologis, & Scripturæ Sacræ Interpretibus.

Arguitur quintò, si omnes divinæ Scripturæ Libri essent à Deo inspirati, unus & idem esset omnium sacrorum Scriptorum stylus, atqui diversus est sacrorum Scriptorum stylus, in aliis siquidèm est elegans, & sublimis, sicut in Isaia, in aliis verò humilis & simplex, sicut in Propheta Amos, qui, ut inquit S.Hieronymus, *fuit imperitus sermone, sed non scientià*. Igitur non omnes Scripturæ Sacræ Libri fuerunt à Deo inspirati. Pre-

Prætereà, si Libri Scripturæ Sacræ essent omnes à Deo inspirati, non permisisset Deus, ut in illos lapsu temporum irreperent errores, atqui tamen multi in ipsos irrepserant errores, à quibus Summorum Pontificum Clementis VIII. & Sixti V. curâ & auctoritate fuerunt emendati atque castigati. Non fuerunt igitur omnes Sacræ Scripturæ Libri à Deo inspirati.

Deniquè, si sacri Scriptores fuissent in omnibus, quæ scripserunt, à Deo inspirati, non debuissent divinæ illius Inspirationis sibi conscii veniam postulare à Lectoribus, seque imperitiæ, & insipientiæ arguere. Porrò Auctor Lib.2.Machabęorum cap.ult. veniam à Lectoribus postulat. Apostolus Paulus Epist.2. ad Corinthios cap.11. vers.6. dicit, se esse imperitum sermone. Et vers.17. ait: *Quod loquor, non loquor secundùm Deum, sed quasi in insipientia.* Et cap. sequenti vers.11. *Factus sum*, inquit, *insipiens, vos me coëgistis.* Igitur sacri Scriptores in omnibus, quæ scripserunt, non fuerunt à Deo inspirati.

Respondeo ad primum momentum, quòd Spiritus Sanctus non movebat sacros Scriptores eo pacto, quo Energumeni ab immundis spiritibus impelluntur, vel quo olim Vates Ethnici & Pythonissæ à Dæmone in rabiem & furorem agebantur. Sed potiùs Spiritus Sanctus sacros Scriptores ad scribendum incitabat incolumi semper manente eorum liberi arbitrii usu, seque eorum genio & spiritui accommodabat, nè conatus, labor, & industria ipsorum inutilis esset. Undè quia varius erat sacrorum Scriptorum genius, varius itidèm esse debuit sacrorum Librorum stylus, in aliis quidèm elegans, sicut in Isaia, qui erat in Aula Regia versatus, in aliis verò humilis & simplex, sicut in Propheta Amos, qui erat Pastor, non secùs ac flatus uno ore emissus pro varia calamorum dispositione varios sonos edit è fistula.

Ad secundum dico, negari non posse Amanuensium, seù Scribarum negligentiâ, menda quędam leviora lapsu temporum in sacros Codices irrepere potuisse, tùm quia Amanuensium manum Deus specialiter non regit, nè in scriben-

do errent, tùm quia etiam constat, Codices alioquin probatissimos quibusdam locis inter se differre, variasque habere lectiones. Verùm id minimè officit auctoritati Scripturæ Sacræ. Levia quippè illa menda collatione Codicum facili negotio corrigi, aut emendari possunt, nec timendum indè labem doctrinæ sacris Scriptoribus inuri posse, quia Ecclesiç sufficiens lumen adest ad illa cavenda, vel corrigenda menda, quæ injuriâ temporum, aut Amanuensium malitiâ, vel imprudentiâ sunt intrusa.

Ad ultimum respondeo, Auctorem lib.2. Machabæor. à Lectoribus postulare veniam non errorum Historiæ (in nullos siquidèm incidisse certissimè sciebat) sed styli, qui non ita politus, excultus & elegans Lectoribus videri poterat. Sic itidèm Apostolus Paulus ait, se esse imperitum sermone, & quia cogitur se se laudibus efferre, quod primâ fronte videtur reprehensibile & esse hominis insipientis, ideò se ipsum reprehendit, quasi in insipientia fuisset locutus. At hoc encomium, quod de se Apostolus Paulus, necessitate compulsus, texit, cùm non ad vanam aucupandam gloriam, à qua penitùs abhorrebat, sed ad Infidelium salutem, cujus sitientissimus erat, totum ordinetur, eximiæ ipsius charitatis & sapientiæ fuit argumentum, ideòque fieri, dictari, & scribi debuit divino instinctu.

Arguitur sextò, plerique Sancti mentiti sunt etiam in his, quæ divino instinctu agebant. Sic Abraham, juxtà præceptum Dei immolaturus filium suum Isaacum, dixit Servis suis: *Expectate hic cum asino, ego & puer illùc usque properantes, postquàm adoraverimus, revertemur ad vos*. Genesis cap.22. nec tamen cogitabat Abrahaam, filium suum reducere, sed immolare volebat, ut morem gereret divino præcepto. Similiter Patriarcha Jacob mentitus est, dùm Isaaco patri suo volenti benè precari Esau primogenito suo, dixit: *Ego sum primogenitus filius tuus Esau*, Genesis cap.25. Deniquè, ut cætera alia mittantur exempla, Patriarcha Joseph mentitus est fratribus suis, quandò eis dixit: *Exploratores estis vos*, Genesis cap.42. Probè siquidèm sciebat Joseph, fratres

tres suos non esse exploratores. Si ergò Viri sancti mentiti sunt in his, quæ divino instinctu agebant, quid ni etiam interdùm falli potuerunt sacri Scriptores?

Respondeo primò negando paritatem. Ratio disparitatis est, quia, si qui Sancti in aliquo negotio mentiti sunt, id factum non est ex instinctu & jussu Dei, sed id accidit ex humana defectibilitate, quæ in sacrorum Librorum Scriptoribus locum habere non potuit, quoniam Spiritus Sanctus eorum mentem speciali assistentiâ illustrabat, & calamum ita dirigebat, ut inter scribendum in nullum, vel minimum errorem sive mentiendo, sive obliviscendo labi possent.

Respondeo secundò, Sanctos illos Patriarchas in objectione laudatos à mendacio excusari posse. At enim Abraham in eam spem erectus, filium suum Isaacum ad vitam à Deo revocatum iri, vel aliâ viâ salvum & incolumem reducendum esse prophetice prænoscens, divino actus instinctu dicere potuit, se cum filio suo reversurum. Patriarcha verò Jacob, cujus actio figuratam & mysticam habebat significationem, citrà mendacium dicere potuit, se esse Esau sensu quodam mystico, sicut explicat S. Augustinus, vel se esse Esau quantùm ad jura primogenituræ sibi à fratre concessa, & à Deo, antequàm nasceretùr, collata, juxta illud: *Major serviet minori*, eodem scilicet sensu, quo Christus Dominus in Evangelio ait, Joannem Baptistam esse Eliam, quia Joannes Baptista in spiritu & virtute Eliæ venerat. Denique, Patriarcha Josephus vocavit fratres suos *exploratores*, non ut testis affirmans, sed ut Judex interrogans. Solent quippè Judices reos hac loquendi forma absque mendacio interrogare: *tu es fur?* Quod licèt, quantùm ad loquendi formam, quædam affirmatio videatur, re ipsâ tamen pura interrogatio est, & in tali sensu etiam fratres Josephi id acceperunt, statim negantes quasi respondendo interroganti, non contradicendo affirmanti, alioquin hæc cruda negatio, si ad affirmantem referretur, nimis injuriosa Josepho videretur.

Arguitur septimò, Christus Dominus non promisit Apo-

Apoſtolis, & Evangeliſtis ſuis ſpecialem Spiritus Sancti aſſiſtentiam, quotieſcumque docere, vel ſcribere debebant, ſed ſolùm quandò ad confitendam fidem ſtare debebant ante Reges & Præſides: *Dùm ſteteritis ante Reges & Præſides, nolite cogitare, quomodò, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini; non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*. Falſum igitur eſt, ſacros Scriptores in omnibus, quæ ſcripſerunt, afflatos fuiſſe Spiritu Sancto.

Reſpondeo, Chriſtum Dominum abſolutè & ſine ulla reſtrictione ac limitatione promiſiſſe Apoſtolis ſuis, ſe miſſurum & daturum ipſis Spiritum Sanctum, qui illos omnem veritatem edoceret: *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Quæ Chriſti Domini promiſſio completa fuit in ſacra Pentecoſtes die, in qua Apoſtoli pleniſſimè Spiritus Sancti lumine affuſi ad prædicandum per univerſum Orbem Evangelium, in gratia Apoſtolatus fuerunt confirmati & ita omnem veritatem à Spiritu Sancto edocti, ut in nullum ſive docendo, ſive ſcribendo, errorem labi potuerint, Promiſſio igitur, quâ Chriſtus Dominus ſe daturum Spiritum Sanctum, qui illos edoceret omnem veritatem, pollicitus eſt, nullâ limitatione, nullâ exceptione reſtringi debet; ac proinde Apoſtoli & Evangeliſtæ ſive dùm ſe ſe ſiſtebant coram Regibus ac Præſidibus ad confitendam fidem, ſive dùm docebant, ſive dùm ſacros Libros conſcribebant, divino Spiritu fuerunt afflati.

Arguitur octavò, ſi Scriptores ſacri in omnibus, quæ docuerunt, vel ſcripſerunt, fuiſſent divinitùs inſpirati, debuiſſent Chriſtiani Antiocheni abſque ulla hæſitatione credere Paulo & Barnabæ, qui docebant, legales Judæorum cæremonias poſt Paſſionem Chriſti Domini fuiſſe abrogatas, nec ampliùs obſervari debere; atqui tamen Chriſtiani Antiocheni non crediderunt Paulo & Barnabæ, ſed exortam illam legalium quæſtionem detulerunt ad Eccleſiam, quæ Hieroſolymis erat congregata, ut in hoc Concilio hæc quęſtio dirimeretur, & quid de ea ſentiendum eſſet, decerneretur.

retur. Non igitur Christianis Antiochenis persuasum erat, Paulum & Barnabam esse in doctrina, quam prædicabant, à Deo inspiratos. Quin & Apostolus Paulus testatur, se perrexisse ad Ecclesiam, quæ erat Hierosolymis, ut cum ea doctrinam, quam prædicabat, conferret illius judicio probandam: *Post annos quatuordecim*, inquit, *ascendi Hierosolymam secundùm revelationem, & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in gentibus, seorsim autem iis, qui videbantur aliquid esse, nè fortè in vanum currerem, aut cucurrissem.* Ad Gal. c. 2. Non putabat igitur Apost. Paulus, omnia, quæ docebat, sibi fuisse à Deo inspirata, alioquin non postulasset, ut Evangelium, quod gentibus prædicabat, auctoritate Ecclesiæ comprobaretur.

Respondeo primò, Christianos illos Antiochenos, qui doctrinæ Pauli & Barnabæ acquiescere & assentiri detrectarunt, fuisse infirmos & fluctuantes in fide, utpotè turbatos à quibusdam Pseudo-Apostolis, qui, sicut dicitur Actorum Apostolorum cap. 15. *Descendentes de Judæa, docebant fratres: quia nisi circumcidamini secundùm morem Moysis, non potestis salvari*. Id etiam colligitur ex Epistola, quam ad illos Christianos Antiochenos scripserunt Apostoli in Concilio Hierosolymitano congregati, quæ sic habet: *Apostoli*, & *seniores fratres his, qui sunt Antiochiæ & Syriæ, & Ciliciæ fratribus, ex gentibus salutem. Quoniam audivimus, quia quidam ex nobis exeuntes, turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non mandavimus*. Hos autem Pseudo-Apostolos, qui doctrinâ suâ Antiochenos Christianos turbaverunt, verosimile est fuisse *Cerinthum*, & *Ebionem*, qui veteris, seù Mosaïcæ Legis observantiam cum Evangelio conjungere moliebantur. Mirum igitur videri non debet, si Christiani Antiocheni hâc peregrinâ doctrinâ turbati, & in fide vacillantes non crediderint Paulo, & Barnabæ. At postquàm illi Christiani Antiocheni fuissent confirmati in fide per Epistolam ab Apostolis scriptam, quam detulerunt Judas & Silas, tunc abjectâ omni cunctatione doctrinam Pseudo-Apostolorum improbarunt, & do-

doctrinæ Pauli, & Barnabæ constanter adhæserunt.

Respondeo secundò, Deum in ipsomet Ecclesiæ exordio permisisse illud schisma Antiochenum, ut inde omnes fideles intelligerent, præter revelationem & inspirationem alicujus doctrinæ, vel sacrorum Librorum, necessariam esse auctoritatem Ecclesiæ declarantis, talem doctrinam, tales Libros esse à Deo revelatos & inspiratos. At enim Ecclesia, teste Apostolo Paulo, *est columna veritatis*, traditionis pervigil custos, oraculum, organum, & instrumentum, quo Spiritus Sanctus ad sacrorum Librorum discretionem & intelligentiam, ad controversias & difficultates, quæ in Fide & in Religione emergere possunt, certo & indeficienti judicio dirimendas, uti solet. Undè Apostolus cap. 20. Act. Apostolor. ait Episcopis regentibus Ecclesiam: *Attendite vobis & universo Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Et ad Ephesios cap. 4. *Et ipse*, ideſt Deus, *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores .... ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris*. Hinc est, quod in nascentis Ecclesiæ incunabulis Christiani Antiocheni in quæstione de cessatione legalium, & omnes deinceps fideles in aliis exortis Fidei & Religionis controversiis ad Ecclesiæ Tribunal confugerunt, ejus decretorium judicium tanquam sacram fidei anchoram, veritatis Lydium lapidem & certam catholicæ doctrinæ normam, summâ, quâ par est, reverentiâ exceperunt, quia, ut optimè ait Vincentius Lirinensis cap. 2. Commonitorii: *Necesse est, ut Propheticæ, & Apostolicæ interpretationis linea secundùm Ecclesiastici & Catholici sensus normam dirigatur*. Idque suo exemplo confirmare voluit Apostolus Paulus, dùm Evangelium, quod prædicabat, contulit cum Apostolis, non quod dubius hæreret Paulus de doctrina sua, quam probè sciebat sibi divinitùs esse inspiratam, sed ut posteros edoceret, neminem, quantumvis illuminatum à Deo, docere, vel prædicare debere, nisi priùs ejus

ejus doctrinam Ecclesia, quæ est Sponsa Christi, auctoritate, quam à Deo accepit, probasset, firmasset, roborasset. Sanè, cùm nostrâ tempestate & aliis retrò actis temporibus plurimi pullularint Hæretici, qui nova procuderunt Evangelia, & falsa invexerunt dogmata, quæ in sacris Litteris revelata esse mordicùs pertendebant, nisi esset ad secernenda vera Evangelia à falsis, & ad nova proscribenda dogmata certa aliqua & infallibilis regula, seù auctoritas Ecclesiæ, quæ nos dirigeret in revelatione, nullus esset controversiarum finis, impunè grassarentur errores, essemus sicut parvuli fluctuantes omni vento doctrinæ, nulla esset Episcoporum, nulla Legum Ecclesiasticarum & Conciliorum auctoritas, omniaq; sùs dèque miscerentur, ut videre est apud Hæreticos, qui, cùm nolint parêre auctoritati Ecclesiæ, nullam habent regulam fidei, sed unusquisque apud ipsos sub obtentû internæ assistentiæ Spiritus Sancti, qui potiùs est spiritus vertiginis & Ecclesiæ divisor, sibi auctoritatem vendicat interpretandi pro suo arbitrio Scripturam Sacram, eamque detorquendi in omnes sensus, quos sibi fingit, ita ut à nullo Judice argui, damnari, & in ordinem redigi possit. His omnibus malis,quę in exterminium Religionis vergunt, ut Christus Servator noster omnem præcluderet aditum, voluit & districtè sanxit, ut omnes Fideles audirent vocem Ecclesiæ, cui auctoritatem dedit declarandi quænam esset doctrina à Deo revelata, & indeficienti judicio Fdei controversiis imponendi finem. Hinc Apostoli in Concilio Hierosolymitano congregati, & quæstionem legalium definientes, sic loquuntur: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*, ut intelligamus Ecclesiæ auctoritatem non humanam esse, sed manare à Spiritu Sancto, qui Ecclesiam docet, vivificat, ei specialiter assistit, & per eam ita loquitur, ut si quis Ecclesiam non audierit, *sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*, juxtà oraculum Christi Domini cap. 18. Matth.

Arguitur ultimò, Liber secundus Machabæorum non fuit divino afflante Spiritu conscriptus: siquidèm Liber secundus Machabæorum nihil aliud est, quàm compendium

M quin-

quinque Librorum Jasonis Cyrenęi, ut constat ex cap.2.ejusdem libri. Cùm igitur ille Jason in conscribendis illis quinque libris non fuerit à Deo inspiratus, sequitur, Librum secundum Machabæorum, qui nihil aliud est, quàm compendium librorum Jasonis, non fuisse itidem à Deo inspiratum.

Prætereà, Apostolus Paulus citat in suis Epistolis versus Poëtarum, sicut cap. 1. Epistolæ ad Titum, recitat hoc dictum Poëtæ Epimenidis: *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri*. Et alibi: *Corrumpunt bonos mores colloquia prava*. Atqui hæc Poëtarum testimonia non sunt inspirata à Deo,quandò leguntur in prophanis Poëtarum libris, quarè ergò dicemus, hæc Poëtarum testimonia, quandò leguntur in Epistolis Pauli, esse à Deo inspirata?

Respondeo ad primum momentum, Auctorem Libri secundi Machabæorum, in his omnibus, quæ ex libris quinque Jasonis excerpsit & compendiosè perstrinxit, fuisse divinitùs inspiratum. Undè, quamvis Jason fuerit scriptor purè humanus, attamen auctor secundi Libri Machabæorum sacer Scriptor est, & divinam obtinet auctoritatem, quia speciali Spiritus Sancti afflatu & assistentiâ totam materiam, in quinque Libris Jasonis comprehensam, breviavit & in compendium redegit. Hinc, ut supra observavimus, facultates Lovaniensis & Duacen. optimo jure Anno MDCLXXXVI. hanc propsitionem in sua famosa Censura proscripserunt: *Liber aliquis (qualis fortè est secundus Machabæorum) humanà industrià sine assistentia Spiritus Sancti scriptus, si Spiritus Sanctus posteà testetur ibi nihil esse falsum, efficitur Scriptura Sacra*.

Ad alterum momentum respondeo, Apostolum Paulum, inspiratum à Deo, laudasse *Arati*, *Menandri*, & *Epimenidis* Poëtarum testimonia, non secùs ac auctor Libri Judicum, inspiratus à Deo, fideliter refert cap.9. quemdam Apologum, seù Parabolam, quam Joathan, qui solus supererat ex filiis Gedeon, proposuit Sichemitis, postquam Abimelech, occisis septuaginta fratribus suis, Imperium sibi tyran-

rannicè usurpavit: *Ierunt ligna, ut ungerent super se Regem*, ait Sichemitis Joathan, & Regnum obtulerunt primò olivæ, deinde ficui, postea viti, ac denique rhamno. Quo Apologo docet Joathan, quàm stultè Sichemitæ Imperium contulissent in impium parricidam Abimelechum, à quo nihil prçter flammas & interitum expectandum esset, cùm pii prudentesque homines illud suscipere detrectassent. Oliva, ficus, & vitis designant homines Imperio dignos, sed qui propriæ salutis studio illud contempserunt. Rhamnus autem spinis horridus designat homines sçvitiâ plenos, ac Imperio ferendo impares, qui simulant se umbrâ suâ alios tegere velle, sed si quis contra mussitare ausus fuerit, statim ignes vibrant etiam in Cedros Libani, idest, in nobilissimos & optimos Viros, sed ipsi tamen eodem absumuntur incendio, sicuti contigit Abimelecho, qui, dùm turrim Oppidi Thebel oppugnaret, fragmine Molæ, à muliere illiso, oppressus est. Quemadmodùm igitur Spiritus Sanctus voluit, & speciali afflatu movit auctorem Libri Judicum, ut hunc scriberet Apologum Sichemitis à Joathane propositum, quia erat ad pleniorem Historiæ sacræ notitiam necessarius, ita Spiritus Sanctus voluit & auctor fuit Apostolo Paulo, ut Poëtarum laudaret testimonia, quibus tanquam propriis suis armis expugnati Infideles, ad veram Religionem faciliùs adduci possent.

PARAGRAPHUS QUINTUS,

De Antiquitate Scripturæ Sacræ, & potissimùm de Antiquitate Pentateuchi, qui, totus quantus est, asseritur Moysi Judæorum Legislatori.

Quamvis constans sit ac perpetua omnium tàm Judæorum, quàm Christianorum sententia, Pentateuchum, qui complectitur quinque libros Legis, nimirùm Genesim, Exodum, Leviticum, Librum Numerorum, &

 Deu-

Deuteronomium, fuisse à Moyse Judæorum Legislatore exaratum; Athei tamen & Infideles, necnon etiam quidam hujus tempestatis intemperantioris critices Viri, seù potiùs increduli Homines, perfrictâ fronte negant, Moysem esse auctorem Pentateuchi, ut hoc pacto sacris Codicibus derogetur auctoritas, quâ, propter maximam, quam habent, antiquitatem, optimo jure apud omnes potiri debent. Hos inter Criticos, qui virgam censoriam in libros Scripturæ exerere & in sacrorum illorum monumentorum antiquitatem grassari ausi sunt, recensentur *Obbesius Anglus* in libro, qui inscribitur *Leviathan*, *Edwardus Herbertus*, *Spinosa*, *Peyrerius*, qui est auctor insulsi Præadamitarum Systematis. Hi malè feriati Critici levissimis adducti conjecturis negant, Moysem esse auctorem Pentateuchi, quibus haùd parùm favere videtur *Richardus Simonius*, qui in sua Historia critica veteris Testamenti fatetur quidem, Moysem esse auctorem Legis, quæ descripta est in Pentateucho, contendit attamen publicos Scribas, quos ipsi placet appellare *Prophetas*, magnam Historiæ sacræ contentæ in Pentateucho partem litteris consignasse, ex quo liquidò sequitur, Moysem non esse auctorem totius Pentateuchi. Contra igitur omnes illos Scripturæ Sacræ antiquitatis osores ostendam in hocce Paragrapho, Pentateuchum esse genuinum Moysis fœtum, & omnes conjecturas, quibus utuntur, futiles, & ab omni specie veri penitùs alienas esse demonstrabo.

Dico itaque, Moysem esse auctorem totius Pentateuchi.

Probatur hæc assertio primò, quia Pentateuchus, seù quinque Libri legales, tanquàm à Moyse verè conscripti, legebantur non solùm septimo quolibet anno, qui apud Judæos erat Annus Remissionis, coram omni populo, sed etiam per omne Sabbatum in Synagogis legebantur, sicut dicitur Act. Apostol. cap. 15. vers. 21. *Moyses enim à temporibus antiquis habet in singulis Civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur*. Ex quo apertè colligitur, Moysem esse verum & legitimum Penta-

teu-

teuchi auctorem. Nec dici poteſt, hanc fuiſſe traditionem popularem, ſed falſam, quæ apud Judæos inoleverat, & deindè ad Chriſtianos propagata eſt. Id, inquam, dici non poteſt, quia Miracula, Prophetiæ, & Leges in quinque Libris Pentateuchi contentæ, non ſolùm Senioribus Iſraël, & Principibus familiarum Populi Judaici conſignatæ ac concreditæ erant, ſed etiam in ipſo Tabernaculo Fœderis, hoc eſt, ad latus Arcæ Fœderis exterius magna cum ſolemnitate erant repoſitæ, ut legitur lib. Deuteronomii cap. 31. *Scripſit itaque Moyſes Legem, & tradidit eam Sacerdotibus filiis Levi, qui portabant Arcam Fœderis Domini, & cunctis Senioribus Iſraël, præcepitque eis dicens: Poſt ſeptem annos, Anno Remiſſionis, in ſolemnitate Tabernaculorum, convenientibus cunctis ex Iſraël...... Leges verba Legis hujus coràm omni Iſraël, audientibus eis.* Nulla igitur circa Libros Moyſis fraus, aut falſa traditio, aut impoſitio fieri poterat; quò fit, ut ſicut integra fides ſemper adhibita eſt illis populis, qui de Legislatorum ſuorum legibus locuti ſunt, ut, exempli gratiâ, Lacædemoniis de legibus Licurgi, & Athenienſibus de legibus Solonis, immò, ſicut etiamnùm nemo dubitat, has leges à Licurgo, & Solone conditas fuiſſe, quamvis non exiſtant ampliùs illi populi, qui legibus Licurgi, & Solonis ſtatuum ſuorum orignem acceptam referunt; ita nullus dubitare debet, Judæorum legem, quinque Pentateuchi Libris comprehenſam, à Moyſe fuiſſe conſcriptam, cùm tota judaica Natio per totum Orbem diſperſa, à tot ſæculis, tanta cum ſollicitudine & veneratione conſervet hos Libros tanquam à Moyſe Legislatore exaratos, & pro defenſione hujus veritatis, cui à Majoribus traditæ mordicùs adhærent, omnia tormenta, ac ſanguinem profundere paratiſſimos ſe ſe conſtanter exhibeant omnes ad unum Judæi.

Præterea, Ethnici, Samaritani, & Chriſtiani, qui Judæis certè non favent, ultrò tamen cum illis conſentiunt, quòd Moyſes ſit Judæorum Legislator, & legitimus Pentateuchi auctor. Nam primò, Ethnici, ut habemus ex locupletiſſimis teſtimoniis Platonis, Pytagoræ, Theopompi, Dio-

Diodori Siculi, & aliorum, quorum catalogum texere nimis longum esset, Moysem inter antiquissimos Legumlatores recensent. *Longinus* itidèm Zenobiæ Palmyrenorum Reginæ à consiliis & studiis, Moysem eximio prosequitur elogio in lib. *de sublimi genere dicendi*, eò quòd Moyses in exordio Libri Geneseos sic inducat Deum loquentem: *Fiat Lux, & facta est Lux*. Juvenalis Satyrâ decimâ quartâ disertè asserit, volumen Legum judaicarum fuisse à Moyse scriptum:

Judaicum discunt, & servant & metuunt jus,
Tradidit arcano quodcumque volumine Moses.

Nec minùs clarè de Moyse Judæorum Legislatore loquitur *Cornelius Tacitus* lib. 5. Historiæ Romanæ, ubi hæc scribit: *Moses, quò sibi in posterum gentem firmaret, novos ritus contrariosque cæteris mortalibus indidit .... Hi ritus, quoquo modo inducti, antiquitate defenduntur*: Prætermitto, brevitatis ergò, testimonia benè multa aliorum Ethnicorum, qui Moysis tanquam Judæorum Legislatoris meminerunt, cujusmodi sunt *Philocorus*, qui florebat sub Ptolomæo Philopatore Ægyptiorum Rege, *Eupolemus*, qui vivebat sub Ptolomæo Epiphane Ægyptiorum Rege, *Hecatæus*, *Berosus*, *Manetho*, *Alexander Polystor*, *Trogus Pompejus*, *Strabo*, *Nicolaus Damascenus*, *Plinius*, *Plutarchus*, *Numenius*, *Porphyrius*. Quâ de re copiosè, juxtà ac eleganter disserit Illustrissimus Abrincensis Episcopus *Daniel Huetius* in sua Demonstratione Evangelica, Propositione quartâ, ubi etiam variis prophanæ eruditionis monumentis probat, Moysem esse primum omnium gentium Scriptorem, & Pentateuchum ab ipso lucubratum, unicum esse fontem, ex quo totam suam Theologiam hauserunt Ægyptii, Persæ, Indi, Thraces, Germani, Galli, Britanni, Hispani, præcipuè verò Græci, & Romani, qui ex Moysis rivis suos hortos irrigarunt, indeque suas Leges, Ritus, Religionem, Fabulas, aut Historias suas deprompserunt.

Si quis autem à me quærat, quo pacto Græci Philosophi, aliique Ethnici, qui à judaica Natione erant religione, pa-

patriâ, ſocietate, & moribus longè ſejuncti, potuerint Moyſis, ejuſque Librorum habere notitiam? Incunctanter reſpondebo, id facili negotio intelligi poſſe, ſi primò obſervetur, poſt Alexandri Magni expeditionem in Aſiam, jam tùm frequens Judęos inter & Gręcos viguiſſe commercium, quia tunc temporis Judæi Græcorum Imperio ſubditi erant. Secundò, ſi conſideretur, quòd poſt Alexandri Magni obitum *Ptolomæus Lagi* Ægyptiorum Rex invaſit Hieroſolymam, magnum Judæorum numerum abduxit in Ægyptum, eoſque jure Alexandrinæ Civitatis donavit. Deniquè, ſi advertatur, quòd Libri Scripturæ Sacræ, ac ſubindè Libri Moyſis juſſu Ptolomæi Philadelphi Ægyptiorum Regis fuerunt in græcam linguam à Lxx.Interpretibus converſi. Hæc, ſi quis obſervet, facilè poterit intelligere, quo pacto Ethnici, Moyſis, ejuſque Librorum notitiam habuerint. Addo etiam, Ethnicos Moyſis ſacrorum Librorum potuiſſe aſſequi notitiam ex illa imperfecta Scripturæ Sacræ Verſione Græca, quam ante Imperii Perſici excidium, ſeù ante Alexandri Magni in Aſiam expeditionem fuiſſe concinnatam, oſtendam in Paragrapho ſequenti.

Quod autem ſpectat Samaritanos, certum eſt, totum Pentateuchum exaratum characteribus ſamaritanis (qui veteres fuerunt Chananæorum characteres) in tanto pretio, tantâq; veneratione tanquam germanum Moyſis opus apud illos eſſe, ut repudiatis aliis Scripturæ Sacræ Libris, quos Judæi in ſuo Canone reponunt, uni Pentateucho, ſeù quinque Libris Moyſis, divinam Samaritani aſſerant auctoritatem. Hoc autem argumentum ex ipſo Samaritanorum conſenſu repetitum, eò validiùs, majoriſque debet cenſeri roboris, quòd Samaritani diro ſchiſmate & perpetuâ diſſociatione fuerint à Judæis diviſi tempore Alexandri Magni, ex quo videlicet *Manaſſes* Jaddi ſummi Pontificis frater contra legis præſcriptum & patrios Judæorum mores in uxorem duxit filiam Sanaballetis Satrapæ, qui Darii Perſarum Regis nomine Samariam regebat. Ob quam legis tranſgreſſionem Manaſſes ſacerdotio abdicatus eſt, ſed amatam uxorem di-

mit-

mittere nolens, confugit ad Sanaballetem socerum suum, à quo præfectus est Templo in monte Garizim extructo, ibique Pontificem se gessit, à quo tempore Samaritanos inter & Judæos implacabile exarsit dissidium. Quòd ergò Samaritani conveniant cum Judæis, & Moysi Pentateuchum adjudicent, id liquidò probat, Pentateuchum verè fuisse à Moyse exaratum. Characteres autem, quibus, ut mox diximus, descriptus est Pentateuchus Samaritanus, altissimam ipsius produnt antiquitatem. Nam Viri eruditi asserunt, samaritanos characteres esse antiquos Chananæorum characteres. Observat etiam *Josephus Scaligerus* in Dissertatione *de litteris Jonum*, græcos characteres ad exemplum characterum samaritanorum esse formatos. Cùm igitur constet, antiquissimam esse litterarum jonicarum originem, utpotè profectam à Phœnicibus, seù Chananæis, quorum Regionem incolebant Hebræi, manifestò sequitur, altissimam esse litterarum samariticarum antiquitatem, ac subinde antiquissimum esse Pentateuchum, quem à Moyse scriptum esse ultrò agnoscunt, & acerrimè tuentur Samaritani.

Denique, Christiani, quantumvis singulas Moysis leges non observent, constanter tamen profitentur, Moysem esse auctorem Pentateuchi, idque probant ex multis locis novi Testamenti, præcipuè ex Evangelio Joannis, in cujus capite primo dicitur: *Lex per Moysem data est .... Invenit Philippus Nathanaël, & dixit ei: Quem scripsit Moyses in Lege, & Prophetæ, invenimus filium Joseph à Nazareth*. Et cap. 5. sic Christus alloquitur Judæos: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit. Si autem illius litteris non creditis, quomodò verbis meis credetis?* Patet igitur ex perpetuo Ethnicorum, Judæorum, Samaritanorum, & Christianorum consensu, Moysem esse verum & legitimum totius Pentateuchi auctorem.

Respondent quidam Athei & increduli Homines, multa in Libro Genesis narrari facta, exempli gratiâ, de creatione Mundi, de formatione primi Hominis, ejusque lapsu, de promissione mittendi Liberatoris, seù Messiæ, quorum noti-

notitiam Moyses à nullo homine, vel auctore coævo accipere potuit, cùm à creatione Mundi usque ad Moysem, hoc est, usque ad egressionem Populi Israëlitici ex Ægypto, juxta Codicis Hæbræi calculum, Anni 2513. interfluxerint. Undè inferunt, aut Moysem non esse auctorem Pentateuchi, aut prædicta illa facta fuisse de industria conficta à Moyse, qui summâ, quâ pollebat, auctoritate, hæc facta credendi, Hebræis, quos novâ Religione imbuere volebat, indictâ mortis pœnâ, necessitatem imposuit.

Verùm hæc Atheorum responsio multis momentis falsi convinci potest. Primò, quia Moyses hæc facta, quæ narrat de creatione Mundi, de formatione primi Hominis, ejusque lapsu, de promissione mittendi Liberatoris, seù Messiæ, ex continua certaque traditione comperta ac explorata habere potuit, sicut breviter hac Demonstratione Chronologicâ evinco. Adamus vixit annos 930. Mathusalem verò natus est Anno Mundi 687. vixit ergò Mathusalem cum Adamo annos 244. ac subindè potuit Mathusalem discere ab Adamo ea, quæ spectant creationem Mundi, formationem primi Hominis, ejus lapsum & promissionem mittendi Liberatoris. Deindè, Mathusalem, qui vixerat cum Adamo annos 244. vixit etiam cum Semo filio Noëmi 100. annis. Nam Semus natus erat 100. annos, quandò contigit Diluvium, ut colligitur ex Scriptura Sacra, Diluvium autem contigit Anno Mundi 1656. ex quo palàm sequitur, Mathusalem vixisse 100. annis cum Semo filio Noëmi, quia Mathusalem, ut jam diximus, natus est Anno Mundi 687. & vixit annos 969. hoc est, usque ad annum, quo contigit Diluvium. Semus ergò, qui 100. annis vixit cum Mathusalem, notitiam de creatione Mundi, de formatione primi Hominis &c. ab ipso discere potuit. Eamdem notitiam à Semo accepit Isaac filius Abrahami, cum quo Semus vixit quinquaginta annis, nam Semus vixit post Diluvium quingentis annis, & mortuus est anno Mundi 2158. Isaac verò filius Abrahami natus est anno Mundi 2108. immò Jacob, quem Isaac genuit sexagesimum annum agens, decennio post obitum Semi natus

est, viditque filios Josephi, quibus, antequam moreretur, benedixit. Filii autem Josephi viderunt, aut videre potuerunt Moysem, quia à morte Josephi usque ad ortum Moysis intercesserunt tantùm sexaginta quatuor anni. Ex hac itaque Chronologica Demonstratione planè conficitur, Moysem ex certa traditione accepisse omnia facta, quæ ipsemet narrat de creatione Mundi, de formatione primi Hominis, ejusque lapsu, de promissione mittendi Reparatoris. Immò hæc facta historica adeò Hebræis ante Moysis tempora nota ac perspicua erant, ut Moyses nihil falsi, etiamsi voluisset, in illis narrandis affingere potuisset. Sciebant quippè Hebræi, Legem ab origine Mundi à Deo latam fuisse & à suis Majoribus ante Moysis tempora jugiter observatam sanctificandi Sabbatum in memoriam creationis Mundi & diei septimi, *quo complevit Deus opus suum, & requievit ab universo opere quod patrarat*; undè Deus *benedixit diei septimo, & sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo*, ut legitur Genesis cap.2. Sciebant etiam Hebræi, se fuisse à Deo reprehensos, eò quòd in deserto violassent legem non recens impositam, sed antiquam de sanctificatione Sabbati. Sic enim habetur cap.16. lib. Exodi: *In die autem sexta collegerunt cibos duplices, idest, duos gomor per singulos homines, venerunt autem omnes Principes multitudinis, & narraverunt Moysi, qui ait eis: Hoc est, quod locutus est Dominus: requies Sabbati sanctificata est Domino cras, quodcumque operandum est, facite: & quæ coquenda sunt, coquite: quidquid autem reliquum fuerit, reponite usque in mane*. Ubi videre est, Israëlitas cibos duplices collegisse in die sexta propter Sabbati sequentis sanctificationem, & quia aliqui Israëlitæ hanc legem transgressi sunt, statim Deus illos reprehendit his verbis: *Venit septima dies, & egressi de Populo, ut colligerent, non invenerunt. Dixit autem Dominus ad Moysem: Usquequò non vultis custodire mandata mea, & legem meam? Videte quod Dominus dederit vobis Sabbatum, & propter hoc die sextà tribuit vobis cibos duplices. Maneat unusquisque apud semetipsum, nullus egrediatur de loco suo* *die*

die septimo. Et sabbatizavit Populus die septimo. Addo etiam legem de sanctificando Sabbato, quam Deus Moysi in Monte Sinai dedit, his verbis esse conceptam, ut liquidò appareat eam renovatam potiùs, quàm recens latam fuisse: *Memento*, inquit Deus, *ut diem Sabbati sanctifices*, quasi Deus diceret Populo Israëlitico: legem Sabbati ab origine Mundi à me hominibus datam, & à te in Ægypto neglectam atque oblivioni traditam, meliùs deinceps recordare, eamque majori, quam antehàc, diligentiâ observare satage. Patet itaque, Moysem non potuisse Hebræis imponere circa factum de creatione Mundi, quia Hebræi sanctificando Sabbatum, seù diem septimum, memoriæ creationis Mundi celebrandæ singulis hebdomadibus à Deo in ipsa Mundi origine dedicatum, poterant per singulas hebdomades instrui ac moneri de creatione Mundi.

Sed neque Moyses poterat imponere Hebræis circa factum, quod narrat, de promissione mittendi Reparatoris, quia hæc promissio ante Moysis tempora Hebræis non erat ignota. Pervulgata siquidèm erat apud Judęos illa promissio, quâ Deus ab exordio Mundi se se obstrinxerat de mittendo Reparatore, seù Messia, quandò videlicet imprecando Serpenti dixit Deus: *Ipsa conteret caput tuum*, idest Reparator, seù Messias ex muliere aliquandò nasciturus conteret caput tuum. Hinc Patriarchæ, qui ante Moysem vixerunt, nihil tàm in votis habebant, quàm ut hæc divina Liberatoris, seù Messiæ promissio in sua familia compleretur, undè liberis procreandis operam dabant, plures uxores ducebant, sterilitatem probrosam esse putabant, de jure primogenituręacriter decertabant. Solebant etiam Hebræi Deum appellare, Deum Abraham, Deum Isaac & Deum Jacob, quia sciebant divinam illam mittendi Liberatoris promissionem habituram suum in familia Abrahami complementum. Dixit enim Deus Abrahamo: *In te benedicentur universæ cognationes terræ*, Genesis cap. 12. Et rursùs: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes*, Genesis cap. 22. Deniquè, Patriarcha Jacob propediem in Ægypto moriturus prædixit fore ut

N 2 hæc

hæc Reparatoris, seù Messiæ promissio suum haberet exitum post ablatum de Juda, idest, de gente judaica, sceptrum: *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Quod Jacobi oraculum reverà fuisse completum, regnante in Judæa Herode alienigenâ, ostendimus in Tractatu *de Mysteriis & Annis Christi*. Patet itaque, Moysem non potuisse imponere Hebræis circa illud factum, quod narrat, de promissione divina de mittendo Liberatore, quia illa promissio omnibus Hebręis ante Moysis tempora erat apprimè nota.

Advertat obiter Lector, hæc facta, quæ narrat Moyses, de creatione Mundi, de formatione primi Hominis, de illius lapsu, de promissione mittendi Liberatoris, esse solidissima fundamenta non solùm totius Legis Mosaicæ, sed etiam Religionis Christianæ. At enim in Christiana Religione tria potissimùm spectari possunt. Primò, facta, quæ credenda proponit Christiana Religio. Secundò, promissa, in quorum spem erigit fidelium animos. Tertiò, cultus, quem Deo Optimo Maximo exhiberi præcipit, ac præscribit. Facta, quæ proponit Christiana Religio, sunt Mundi creatio, primi hominis, scilicet Adami, à quo omnes homines propagati sunt, formatio; ejusdem Adami paulò post Legem sibi à Deo datam violantis lapsus, Reparatoris, seù Messiæ & Servatoris ex fæmina nascituri promissio, ejusque executio per actualem Christi Servatoris nostri adventum, quod totius vitæ Christi Domini continet æconomiam. Promissa, in quorum spem Christiana Religio erigit fidelium animos, sunt Remissio peccatorum, futura Resurrectio corporum, & æternus in Cælo Beatitudinis Status. Deniquè, cultus, quem Christiana Religio præscribit, consistit in obedientia Legi divinæ exhibenda, in adoratione supremi Numinis, in precibus, quibus peccatorum efflagitamus veniam, Dei opem imploramus, eique grates rependimus pro beneficiis acceptis. Porrò, promissa & cultus Christianæ Religionis fundantur in certissimis illis & indubitatis factis, quæ narrat Moy-

Moyses. Nam impossibile est, ut ille, qui firmissimè credit Mundum fuisse à Deo conditum, omnes homines à primo homine, seù Adamo, originem ducere, promissam esse à Deo statim post primi hominis lapsum totius generis humani reparationem, illudque genus humanum fuisse reverà reparatum per Jesum Christum Servatorem nostrum verum Messiam, impossibile, inquam, est, ut ille, qui hæc facta, quæ sunt extra omnem dubitationis aleam posita, firmissimè credit, absque ulla cunctatione itidèm non credat omnia promissa, quæ facit Christiana Religio, à Deo, qui fidelis est in verbis suis, completum iri, seque non videat omnibus erga Deum obstrictum obsequiis, quæ Christiana Religio exigit, ac præscribit.

Diluuntur
Atheorum, Infidelium, & Criticorum
Objectiones.

Arguitur primò: Multa leguntur in Pentateucho, quæ Moyses scribere non potuit: Exempli gratiâ, in calce Libri Deuteronomii describitur obitus Moysis, sæpiùsque Moyses inducitur loquens in tertia persona. Secundò, in Libro Numerorum texitur Moysis encomium. Quis autem tàm bonus, ut credat, Moysem mortem suam describere, suasque virtutes palam jactare voluisse? Tertiò, cap. 14. Libri Geneseos, Urbs *Lais* vocatur *Dan*, cùm tamen, sicut fatentur omnes Scripturæ Sacræ Interpretes, hæc Urbs longè post Moysis tempora eo nomine *Dan* fuerit donata. Similiter, Genesis cap. 22. Mons Moria appellatur: *Mons Dominus videbit*, quo tamen nomine hic mons solùm post mortem Moysis appellari cæpit, eo videlicet tempore, quo mons ille ædificationi Templi destinatus est. Postremò, alia id genus benè multa extant in Pentateucho, quæ Moysis temporibus longè posteriora esse facilè colligi potest ex Historiis tàm sacris, quàm exoticis. Moyses igitur non est auctor Pentateuchi.

Re-

Respondeo, has & similes conjecturas, quas obtrudunt Aristarchi, seù potiùs increduli quidam homines, frigidas esse, & unico flatu dissipari posse, dicendo: Pentateuchum, seù quinque libros Legis, fuisse à Moyse conscriptos per modum Diarii & Annalium, Josue verò, vel alium post obitum Moysis hos libros in ordinem digessisse, & nonnulla addidisse ac intertexuisse. Nec enim insolens est, ut liber alicujus Scriptoris sacri ab alio auctore Spiritu Sancto afflato in ordinem redigatur. Sic prophetia Hieremiæ digesta est à Baruch ejus Scriba. Sic etiam parabolæ Salomonis ab aliis Scriptoribus sacris fuerunt ex ejus scriptis congestæ & concinnatæ, ut dicitur in Libro Proverbiorum. Potuit ergò vel Josue, vel Esdras, qui post laxatam captivitatem babylonicam Libros sacros recognovit, vel alius sacer Scriptor attexere ad calcem Deuteronomii mortem Moysis, & nonnulla immutare nomina, ut narratio Moysis faciliùs intelligeretur ab his, quibus vetera Urbium, Montium, & Locorum nomina erant ignota. At nemo, me herclè, eò desipiet, ut dicat, aliquem post obitum Moysis voluisse novos ritus, novas cæremonias sub ementito Moysis nomine venditare, promulgare, novamque & plane commentitiam scribere Historiam. Nam si quis post obitum Moysis id tentare, vel exequi ausus fuisset, confestim tàm insignis impostura, quæ nullâ arte celari potuisset, tàm à Judæis, quàm à Gentilibus detecta & propalata fuisset. Quòd autem Moyses sæpiùs in Pentateucho loquatur in tertia persona, id certè minimè probat, Pentateuchum esse Moysi abjudicandum. Alioquin, si id argumenti quidquam virium & roboris haberet, explodi deberent tanquam spurii & suppositititii multi Libri, qui tamen, nemine reclamante, genuini sunt suorum auctorum foetus. Sic Julii Cæsaris Commentarii, sic Josephi Judæi libri de Bello Judaico, sic Matthæi Evangelium illis auctoribus asseri non deberent, quia in his libris laudati auctores de se in tertia persona loquuntur. Sanctus etiam Joannes in Evangelio de se, tanquam de alia persona, loquitur: *Hic est Discipulus ille, quem diligebat Jesus*, & tamen Evangelium fuis-

fuiſſe à S. Joanne conſcriptum nullus in dubium revocat. Deniquè, ſi Moyſes virtutes ſuas alicubi jactare videatur, id minimè arroganti ſupercilio facit, quippè qui ſua etiam errata ingenuè agnoſcit & prodit. Sic Apoſtolus Paulus in Epiſtol. 2. ad Corinth. labores ſuos in miniſterio apoſtolico exantlatos laudibus extollit. Sic Joſephus Hiſtoricus Hebræus ſua ſæpè merita decantat, & nihiloſeciùs Epiſtolam ſecundam ad Corinthios ab Apoſtolo fuiſſe exaratam, & Libros Antiquit. Jud. à Joſepho fuiſſe concinnatos in confeſſo eſt apud omnes.

Arguitur ſecundò, cap. 12. libri Geneſeos hæc verba leguntur: *Pertranſivit Abram terram* (ſupple chananæam) *uſque ad locum Sichem, uſque ad convallem illuſtrem, Chananæus autem tunc erat in terra*. Et capite ſequenti: *Undè & facta eſt rixa inter Paſtores gregum Abram, & Loth. Eo autem tempore Chananæus & Phereſæus habitabant in terra illa*, ex quibus verbis ſic conficitur argumentum. Narrat Auctor libri Geneſeos ea, quæ poſt obitum Moyſis contigerunt: ergò Moyſes non eſt auctor Pentateuchi. Probatur antecedens. Narrat Auctor libri Geneſeos locis mox laudatis, Chananæos, eo tempore, quo ſcribebat, fuiſſe jam à Palęſtinæ finibus pulſos, ſed Chananæi à finibus Palęſtinæ fuerunt dumtaxat expulſi poſt obitum Moyſis: ergò auctor libri Geneſeos ea narrat, quæ tantùm poſt Moyſis obitum acciderunt. Probatur major. Auctor libri Geneſeos ait, quòd eo tempore, quo Abraham terram Chananæam pertranſibat, Chananæus in terra illa, ſeù Palæſtina, habitaret: ergò auctor libri Geneſeos apertè innuit, Chananæos, eo tempore, quo ſcribebat, non ampliùs incoluiſſe terram illam, ſed jam ab ipſius finibus fuiſſe expulſos. Fruſtrà quippè diceret: *Chananæus autem tunc erat in terra*, ſi tempore, quo ſcribebat, Chananæi adhùc terram illam, ſeù Palæſtinam, incoluiſſent. Cùm igitur certiſſimè conſtet, Chananęos fuiſſe dumtaxat è Palęſtinæ finibus expulſos poſt obitum Moyſis, manifeſtò ſequitur, auctorem libri Geneſeos ea narrare, quæ poſt obitum Moyſis contigerunt, ac ſubin-

subindè auctorem Pentateuchi esse posteriorem Moyse.

Respondent nonnulli, hæc verba: *Chananæus autem tunc erat in terra*, potuisse per parenthesim Textui interseri post mortem Moysis, non secùs ac sæpissimè accidit, ut annotationes quædam ad marginem apponantur, quæ postea per parenthesim in ipsummet Textum intruduntur. Verùm repudiatâ illâ responsione

Respondeo, quòd hæc verba: *Chananæus autem tunc erat in terra*, non indicant, Chananæos expulsos fuisse è terra Chanaan eo tempore, quo Moyses scribebat Pentateuchum, sed tantùm significant, quòd Chananæi jam tùm erant in terra Chanaan, idest, in illa terra jam sedes suas fixerant & posuerant, quandò Abraham transivit per illam terram. quod quidèm Moyses consultò annotare voluit, ut Hebræis perspecta esset gentis Chananææ antiquitas, & ut Historia, quam describebat, & quæ ad seram posteritatem pervenire debebat, clariùs intelligeretur ab iis, qui antiquitatis illius gentis & rei chronologicæ notitiam non haberent.

Arguitur tertiò, plurima alia narrantur in Pentateucho, quæ ad tempora Moysis referri minimè possunt. Sicut, verbi gratiâ, Exodi cap. 16. vers. 35. dicitur, quòd *filii Israël comederunt Man quadraginta annis, donec venirent terram habitabilem: hoc cibo aliti sunt usquequò tangerent fines terræ Chanaan*. Quod profectò non contigit, nisi post Moysis obitum, nam Populus Israëliticus terram illam habitabilem, seù Chanaan, non est ingressus, nisi postquam per quadraginta annos in deserto fuisset commoratus, sicut constat ex cap. 5. libri Josue.

Prætereà, Auctor Pentateuchi refert Gen. c. 36. quòd *Reges, qui regnaverunt in terra Edon, antequàm haberent Regem filii Israël, fuerunt hi &c.* Quibus verbis manifestò ostenditur, auctorem Pentateuchi hæc scribere haud potuisse, nisi postquàm filii Israël Regem habere cœperunt, quod, ut nemo nescit, factum est longè post Moysis obitum.

Postremò, auctor Pentateuchi, postquàm, capite mox laudato, texuit seriem vel catalogum octo Regum Edon, seù

seù Idumæorum, transit ad eorum Duces & Principes. Porrò constat ex lib.1. Paralipom. cap.1. vers.51. Idumæos non cæpisse loco Regum habere Principes, seù Duces, nisi multò post Moysis obitum. Patet igitur, multa ab auctore Pentateuchi narrari, quæ solùm contigêre post mortem Moysis, cui subindè, tanquam legitimo auctori, Pentateuchus asseri non debet.

Respondeo primò, hæc verba in objectione citata post mortem Moysis fuisse Pentateucho addita sive à Josue, sive ab Esdra, sive à Synagoga Judæorum, quò Pentateuchi Historia à Moyse concinnata, plenior ac perfectior haberetur.

Respondeo secundò, isthæc verba, quæ in objectione referuntur, potuisse à Moyse spiritu prophetico dici. Neque enim negari potest, Moysem fuisse Prophetam, quippè, qui multa, dùm viveret, prænovit ac prædixit, quorum veritatem eventus comprobavit. Sic Moyses, exempli gratiâ, Deuteronomii cap. 17. vers.14. prænovit ac prædixit, filios Israël habituros aliquandò Regem. His siquidèm verbis alloquitur Populum Israëliticum: *Cùm ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam, habitaverisque in illa, & dixeris: constituam super me Regem, sicut habent omnes per circuitum Nationes, eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus.* Sic etiam Moyses Deuteron. cap. 25. vers. 19. monet Hebræos de exterminanda Amalecitarum gente, postquam Terræ promissæ possessores facti essent: *Cùm ergò Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, & subjecerit cunctas per circuitum Nationes in terra, quam tibi pollicitus est, delebis nomen ejus sub Cælo. Cave, nè obliviscaris.* Hæc & alia id genus futura prædixit Moyses. Quò fit, ut nemini mirum videri debeat, quòd Moyses, Deo auctore, prænoverit futurum ut filii Israël sibi aliquandò præficerent Regem, & alia futura perspecta atque explorata habuerit, quæ dumtaxat post ipsius obitum complementum ac exitum suum habuerunt.

Arguitur quartò, cap. 3. verſ. 11. libri Deuteronomii hæc verba leguntur: *Solus quippè Og Rex Baſan reſtiterat de ſtirpe Gigantum. Monſtratur Lectus ejus ferreus, qui eſt in Rabbath filiorum Ammon, novem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis ad menſuram cubiti virilis manus*. Ex quibus verbis ſic conficitur argumentum: Si librum Deuteronomii ſcripſiſſet Moyſes, neceſſe haùd fuiſſet, ut Og Regis Baſan proceram corporis ſtaturam ex ejus Lecti ferrei magnitudine probaret Iſraëlitis, nam Iſraëlitæ hunc Regem cæſum ac humi jacentem, ſuis propriis oculis cominùs inſpexerant. Probabiliùs igitur eſt, hunc librum fuiſſe conſcriptum ab aliquo auctore, qui eo tempore vivebat, quo Rex ille Og jam erat ignotus Hebræis, quod certè dici non poteſt de Moyſis tempore, quo Rex ille Og erat Iſraëlitis apprimè notus. Moyſes igitur non eſt auctor Pentateuchi.

Reſpondeo, quòd etiamſi magna Iſraëlitarum pars ipſum Regem Og vel vivum, vel cæſum videre potuerit, plures tamen ex ingenti Iſraëlitarum numero, pueri ſcilicet, ſenes, fæminæ, ægroti, abſentes, huic ſpectaculo, quandò cæſus eſt Og Rex Baſan, non interfuerunt. Præterea, Moyſes non ſuæ tantùm ætatis Hebræis, ſed & aliis poſteris legem condebat & Hiſtoriam ſcribebat. Ut igitur illos, qui Og Regem Baſan nec vivum, nec cæſum viderant, de portentoſa Gigantis illius Regis ſtatura certiores faceret, dictiſque ſuis fidem conciliaret Moyſes, Lectum illius Regis proſtare & aſſervari dicit in Rabbath filiorum Ammon. Deniquè, etſi darem hæc verba, quæ de Lecto Og Regis Baſan eo in loco leguntur, fuiſſe vel à Joſue, vel ab Eſdra, vel ab alio Scriptore ſacro poſt obitum Moyſis ad pleniorem Hiſtoriæ notitiam inſerta, quid tùm? Numquid, ſodes, propter illam additionem, Pentateuchus, totus quantus eſt, Moyſi eſſet abjudicandus? Apage hanc futilem & ſimiles ejuſdem farinæ conjecturas, quibus quidam ſupercilioſi, ſeù potiùs increduli homines, ut Scripturæ Sacræ fidem & auctoritatem elevent, indulgere ſolent.

Ar-

Arguitur quintò, Genesis cap. 40. vers. 15. sic Patriarcha Joseph inducitur loquens: *Furto sublatus sum de terra Hebræorum*, ideſt, de terra Chananæa, atqui terra Chananæa cognomen ex Hebræis necdùm habere poterat, quia Hebræi terram Chananæam nondùm occupaverant: ergò hæc verba non fuerunt à Moyse scripta, sed potiùs ab aliquo auctore, qui longè post Moysis tempora vixit.

Præterea, lib. Deuteronomii cap. 1. vers. 1. de Moyse dicitur: *Hæc sunt verba, quæ locutus est Moyses trans Jordanem*, porrò Moyses nec loqui, nec scribere potuit trans Jordanem, sed tantùm cis Jordanem. Moyses enim nunquam transgressus est Jordanem. Non potest itaque Pentateuchus Moysem habere auctorem.

Respondeo ad primum momentum, dicendo, Abrahamum, ejusque filios & nepotes, qui Hebræi appellabantur, & in terra Chanaan sedes suas fixerant, jam in magnum excrevisse numerum, viciniſque gentibus cognitos fuisse. Quocircà mirum non est, si Patriarcha Josephus dixerit: *Sublatus sum de terra Hebræorum*. Hic siquidèm Patriarcha ideò terram Chanaan insigniebat nomine terræ Hebræorum, quia sciebat, hanc terram Chanaan patri suo, avo, & proavo donatam esse à Deo, ipsisque ad eam incolendam & possidendam summo jure concessam.

Ad secundum momentum dico, hanc vocem hebraicam *Beheber*, quæ legitur lib. Deuteronomii cap. 1. vers. 1. significare, *in transitu*, & non præcisè, *trans Jordanem*, ac subindè hanc vocem de ulterioribus æquè ac de citerioribus Jordanis locis intelligi posse, sicut eruditè observant Viri Linguæ Hebraicæ periti, *Pagninus*, *Buxtorfius*, & Illustrissimus *Daniel Huetius* Abrincensis Episcopus in Demonstratione Evangelica, Propos. 4. cap. 14. Quapropter nihil omninò extundi potest ex hac voce *Beheber*, quia hæc vox hebraica ancipitem habet significationem, & ab Hebræis perindè pro ulterioribus ac pro citerioribus locis usurpatur.

Arguitur sextò, Apostolus Paulus Epist. 2. ad Timoth. cap. 3. *Jannis*, & *Mambris*, Magorum Ægyptiorum, qui

Moysi restiterunt, mentionem facit, & tamen nullum ejusmodi nominum extat in Pentateucho vestigium. Rursùs idem Apostolus cap. 12. Epist. ad Hebræos ait, Moysem, ubi montem Sinai ardentem conspexisset, exclamasse: *Exterritus sum & tremebundus*. Quæ verba non inveniuntur tamen in Pentateucho à Moyse prolata. Ex quo saltèm concludi potest, Pentateuchum integrum non esse, sed luxatum, mutilatum & interpolatum ad nos pervenisse.

Respondeo, Apostolum Paulum hæc nomina Magorum Ægyptiorum, qui Moysi restiterunt, & verba, quæ protulit Moyses, dùm montem Sinai ardentem conspexit, didicisse & comperta habuisse non ex Pentateucho, sed ex vetustissimis Historiis, quæ injuriâ temporum perierunt, aut ex perpetua sibique semper constanti Judæorum traditione, in qua Apostolus Paulus versatissimus erat. Quamvis ergò hæc, quorum mentionem facit Apostolus Paulus, non reperiantur in Pentateucho, perperàm tamen infertur, Pentateuchum luxatum & interpolatum ad nos pervenisse; nam, ut in sequenti Paragrapho multis momentis evincam, Pentateuchus nunquam fuit àdulteratus, sed à Judæis & Samaritanis summâ religione fuit jugiter conservatus.

Arguitur septimò, si Pentateuchus fuisset à Moyse reverà conscriptus, Judæi hunc librum, à suo Legislatore scriptum, maximâ curâ & religione conservassent, sæpiùs legissent, nec permisissent unquam ut periret, vel oblivione deleretur; atqui tamen legimus lib. 4. Regum cap. 22. & lib. 2. Paralipom. cap. 34. quòd Josiæ Regis Juda temporibus repertus est Codex Legis ab Helcia summo Sacerdote: *Reperit Helcias Sacerdos librum Legis Domini per manum Moysis*, cùmque librum illum coram Josia legisset *Saphan* Scriba, audissetque Rex *verba Legis*, *scidit vestimenta sua*. Ergò Pentateuchus erat tùm temporis Judæis omninò ignotus, cùm unicum dumtaxat illius voluminis superesset exemplum recens ab Helcia in Templo repertum. Nam, si id temporis alii præ manibus Judæorum fuissent Pentateuchi Codices, tantâ certè admiratione Josias Rex in voluminis istius inven-

ventione non fuisset defixus, nec præ dolore, quo angebatur de libri Legis apud Judæos neglectu, scidisset vestimenta sua. Ex hac itaque Judæorum erga librum Pentateuchi summâ ignorantiâ & incuriâ facilè colligitur, aut Judæos non putasse Pentateuchum fuisse à Moyse exaratum, cujus lectionem tantoperè neglexerunt, aut regnante Josia, suppositum, vel saltèm interpolatum fuisse Moysis Pentateuchum.

Respondeo, sub Manasse & Amone impiis Regibus Juda pessimum ac deploratissimum fuisse Judæorum statum, neglectas ceremonias, Legis præcepta insuper habita, sacrorum Codicum lectionem omissam, cultum veri Dei penè extinctum, & idololatriam latissimè diffusam, quem funestum Judæorum statum immutavit, & Regni judaici decus reparavit religiosissimus Princeps Josias filius Amonis, qui subvertit aras totiès iniquo victimarum sanguine pollutas, Urbem verò ac Templum sic mundavit, ut hæc, Civitas sancta, illud, sedes Dei meritò dicerentur. Inter hæc, Anno decimo tertio Regni Josiæ volumen Legis Helcias invenit in Templo, quod ubi Josiæ recitatum est, graviter indoluit piissimus ille Rex, & ægerrimè tulit, quòd Judæi cæremonias & præcepta Dei tamdiù neglexissent. Indè tamen inferi minimè debet, periisse eâ ætate omnes libros Legis, ac unicum superfuisse illud exemplum, quod Helcias nactus est in Templo. Nam primò, multi Scripturæ Sacræ Interpretes asserunt, hoc volumen Legis ab Helcia in Templo repertum, ipsissimum esse Autographum Moysis, seù manu Moysis scriptum, idque innuere videntur hæc verba Scripturæ: *Reperit Helcias Sacerdos librum Legis Domini per manum Moysi*. Secundò, legimus lib.2. Paralipom. cap.34. eodem anno, quo illud volumen Legis ab Helcia repertum est in Templo, Regem Josiam unà cum omni populo judaico Pascha maximâ cum solemnitate celebrasse, porrò credibile non est, omnes Judæos, sicut Sacerdotes & Levitas potuisse in tàm exiguo temporis spatio addiscere, & memoriâ tenere omnes cæremonias, quæ in celebratione Paschatis fieri solen-

lenne erat, si nullum superfuisset volumen Legis, præter illud, quod ab Helcia repertum est in Templo. Deniquè, libri Moysis in Regnis Juda & Israël à Prophetis, à Sacerdotibus, magnâ curâ & religione servabantur, quin & Samaritani solos libros Moysis pro sacris ac divinis habebant, eosque diligentissimè custodiebant. Quì igitur fieri potuit, ut omnes perirent Pentateuchi Moysis Codices?

Arguitur octavò, Auctor libri Pentateuchi in suo de creatione Mundi systemate, supponit Adamum fuisse primum parentem hominum à Deo creatum, & tamen si consulantur Historiæ Ægyptiorum, Assyriorum, Chaldæorum, & Sinarum, apertè constabit apud illas Nationes orientales institutas esse Monarchias longè ante tempus, quo auctor Pentateuchi scribit Adamum fuisse à Deo creatum. Moyses ergò non est auctor Pentateuchi, quia Moyses, cùm Historias & Antiquitates Ægyptiorum, Chaldæorum, & Assyriorum apprimè edoctus esset, systema suum de creatione Mundi conciliasset cum antiquissima origine Nationum illarum orientalium, apud quas multò ante Adami tempora fuisse institutas Monarchias, luculenter ostendit Peyrerius auctor Systematis Præadamitarum.

Respondeo, caducam esse, nulliusque planè roboris hanc objectionem petitam ex Nationum orientalium Historiis, quia, ut latè commonstravi in Dissertatione quinta Tractatus *de Mysteriis & Annis Christi*, ejusmodi Historiæ Nationum orientalium, quæ sacræ Pentateuchi Chronologiæ adversantur, jure optimo ad aniles fabulas sunt ablegandæ. Scatent siquidem infinitis erroribus, & plusquàm cimmeriis tenebris involvuntur; immò nec minimam veri speciem habet quidquid de fabulosa sua antiquitate ludicrè jactant Ægyptii, Assyrii, Chaldæi, & Sinæ, qui, ut certatim gentis suæ primordia illustriora redderent, splendida mendacia adornarunt, & putidas fabulas obtruserunt. Quod etiam Gentiles Scriptores non latuit; nam Varro Romanorum doctissimus distinguit tempora in fabulosa & historica, incipitque tempora historica narrare à prima Olympiade, quę,

ut

ut fatentur omnes Chronologi, annis dumtaxat septingentis septuaginta sex antevertit Natale vulgare Christi Domini; cætera verò tempora, quæ ante primam Olympiadem fluxerunt, fabulis accenset laudatus Auctor. Uni ergò standum est Historiæ sacræ à Moyse divino spiritu afflato conscriptæ, quæ omnibus veritatis characteribus cùm sit insignita, fabulosas Nationum orientalium Historias falsi apertè convincit. Porrò ridendus potiùs est, quàm confutandus auctor Systematis Præadamitarum, qui Scripturâ Sacrâ valêre jussâ, ex his incompertissimis Nationum orientalium originibus effutire non erubuit, Adamum non esse primum omnium parentem, idest, tàm Judæorum, quàm Gentilium, sed tantùm esse primum parentem Judæorum, ac subindè ante Adamum extitisse homines, quos *Præadamitas* appellat. Quo insulso systemate duo præcipua convelluntur Fidei Catholicæ dogmata, quorum primum illud est, quo firmiter credimus, omnes omninò homines contrahere peccatum originale, quia omnes homines ab Adamo, ceù primo parente, sunt propagati. Alterum istud est, quo profitemur, Jesum Christum esse Servatorem, Mediatorem & Redemptorem nostrum, atque pro omnibus & singulis hominibus mortuum esse, quia omnes & singuli homines peccaverunt in Adamo, qui est primus omnium hominum parens. Quod sanè ad proscribendum insulsum illud Præadamitarum Sistema abundè sufficere debet.

Arguitur ultimò, esto Moyses sit auctor Legis, quæ descripta est in Pentateucho, probabiliùs tamen est, Historiam, quæ narratur in Pentateucho, non fuisse scriptam à Moyse, sed potiùs concinnatam esse post mortem Moysis ab aliquo Scriba, qui à Republica Israëlitarum scribendis Judæorum Annalibus destinatus, excerpsit ex veteribus aliorum Scribarum, qui Moysis temporibus coævi fuerunt, Diariis Historiæ Pentateuchi monumenta, quæ ipse in ordinem digessit, eaque summatim perstrinxit, sicut nunc leguntur in Pentateucho: ergò Moyses non est auctor totius Pentateuchi. Probatur antecedens. Apud Hebræos id muneris obi-

obibant Scribæ, seù Prophetæ divino spiritu afflati, quo fungebantur Hierophantæ apud Ægyptios, Chaldæi apud Babylonios, Magi apud Persas, Gymnosophistæ apud Indos, Litterati apud Sinas, Pontifices apud Romanos, atqui constat his omnibus auctoritate publicâ demandatam fuisse Provinciam referendi in litteras res ætatis suæ memorabiles: ergò verosimillimum est, in Republica Israëlitica fuisse tempore Moysis Scribas, seù Prophetas, qui publicâ auctoritate munìti, Historiam Pentateuchi, seù rerum id ætatis, quæ memorabiles erant, fusiùs descripserunt, quam deindè, post obitum Moysis, alter Scriba, seù Propheta, ex veterum illorum Scribarum Diariis & Annalibus excerptam, in compendium redegit, sicut nunc eam legimus descriptam in Pentateucho.

Prætereà, Diodorus Tarsensis, S. Athanasius, Theodoretus, & alii testantur, quatuor libros Regum, & duos libros Paralipomenon nihil aliud esse, quàm compendiosam historicam collectionem conflatam ex libris Scribarum, seu Prophetarum, qui res memorabiles ætatis suæ, & Regum Juda, sub quibus vivebant, memoriæ prodiderunt, litterisque consignarunt. Sic, verbi gratiâ, Regis Salomonis acta in litteras retulerunt Scribæ, seù Prophetæ *Nathan*, *Abia Silonites*, & *Addo*, qui vixerunt regnante Salomone, sicut dicitur lib. 2. Paralipom. cap. 9. vers. 29. Sic etiam *Addo*, & *Semejas* Scribę ejusdem ævi commendarunt res gestas à Roboamo Rege Juda filio Salomonis, ut dicitur ejusdem libri cap. 12. Sic rursùs idem Scriba, seù Propheta *Addo*, scripsit res Abiæ Regis Juda filii Roboami, sicut legitur ejusdem libri cap. 13. Sic *Jehu* filius Hanani, qui fuit Scriba temporibus Josaphati Regis Juda, scripsit gesta ejusdem Josaphati filii Asæ, & nepotis Abiæ, ut dicitur ejusdem libri cap. 20. Sic deniquè Propheta Isaias, qui prophetiæ suæ initio prodit, se fuisse in diebus *Oziæ*, *Joathan*, *Achaz*, & *Ezechiæ* Regum Juda, scripsit res memorabiles gestas à Regibus Juda *Ozia*, & *Ezechia*. Hinc gesta Ezechiæ Regis Juda, quæ narrantur libri quarti Regum capitibus XVIII. XIX. & XX. deprom-

prompta sunt ex quatuor integris capitibus Prophetiæ Isaiæ, videlicet ex capitibus xxxvi. xxxvii. xxxviii. & xxxix. Sicut ergò quatuor libri Regum fuerunt compilati ab aliquo Scriba, seù Propheta, qui in Epitomem redegit Historiam Regum Juda, quam antehàc alii Scribæ Regibus Juda suppares latiùs conscripserant; sicut etiam secundus Machabæorum liber ex Jasonis Cyrenæi Historia, & ex aliis monumentis depromptis ex Tabulario Hierosolymitano compilatus est ab aliquo Scriba: Sic non absimili ratione dici potest, Historiam Pentateuchi, quæ à veteribus Scribis Moysi coævis fusiùs erat exarata, fuisse deindè ab altero Scriba ex Diariis, seù Actis & Annalibus veterum illorum Scribarum excerptam, & in compendium redactam, quemadmodùm nunc descripta est in Pentateucho. Ex quo palàm sequitur, Moysem non esse auctorem totius Pentateuchi, sed tantùm scripsisse Legem, quæ extat in Pentateucho, eamque tradidisse Judæis.

Respondeo his duobus momentis, quibus potissimùm nititur doctissimus *Richardus Simonius* in sua Historia Critica veteris Testamenti. Undè ad primum dico, me ultrò quidèm & lubenter fateri, sacros Libros conscribendi potestatem non fuisse promiscuè omnibus in Republica Hebræorum permissam, sed, ut inquit Josephus lib. 1. contra Appionem, datam dumtaxat fuisse hanc facultatem Prophetis, antiquissima quidèm & veterrima secundùm inspirationem factam à Deo cognoscentibus, alia verò suorum temporum, sicuti sunt facta, conscribentibus. Ast illi Prophetæ, quibus ex officio incumbebat potestas conscribendi Libros sacros, & de quibus eò loci mentionem facit Josephus, non erant alii à Moyse, à Josue, & à cæteris aliis Scriptoribus, qui divino spiritu afflati, sacros Scripturę Libros, quos nunc habemus, exararunt. Quocircà nullâ efficaci ratione, nullâ alicujus ponderis conjecturâ, nulloque antiquitatis monumento fulcitur novum Systema Richardi Simonii Congregationis Oratorii Presbyteri, qui Capitibus primo, secundo & tertio Historiæ criticæ veteris Testamenti asserit, in Re-

publica Hebræorum fuisse publicos Scribas prophetiæ dono insignes, à Moyse, à Josue, & à cæteris aliis sacrorum Librorum Scriptoribus omninò distinctos, ad quos spectabat res memorabiles suis temporibus gestas in litteras referre, vel ex veterum Scribarum Diariis & Annalibus historicam collectionem excerpere ac compendiosè describere. Horum siquidèm publicorum Scribarum, quos in Republica Hebræorum fuisse à sacrorum Librorum Scriptoribus distinctos dictitat laudatus ille Auctor, nè apex quidèm in Scriptura Sacra, ac nè minimum quidèm occurrit vestigium.

Ad alterum momentum dico, Libros quatuor Regum, & duos Libros Paralipomenon, qui nunc extant, & in compendiariam Historiam conflati sunt, ex publicis Commentariis sacrorum Scriptorum, qui res ætate suâ memorabiles & ad Reges Juda spectantes litteris mandarant, fuisse excerptos non ab uno ex illis Scribis publicis, quales commentus est Richardus Simonius, sed ab aliquo sacro Scriptore, quem alii autumant esse Prophetam Hieremiam, alii verò probabiliùs asserunt fuisse Esdram, qui post laxatam à Cyro captivitatem Babylonicam in colligendis, digerendis, adornandis & componendis Libris ad res sacras pertinentibus, omnem suam posuit industriam, & divino spiritu afflatus Libros sacros castigavit ac repurgavit à mendis, quæ in eos tempore captivitatis irrepserant. Cæterùm, quamvis pervulgata sit, & verosimillima opinio illorum Auctorum, qui affirmant, Libros quatuor Regum, & duos Libros Paralipomenon, necnon librum secundum Machabæorum ex publicis Commentariis excerptos fuisse, & in compendiariam Historiam conflatos, inde tamen perperàm infert Richardus Simonius, Pentateuchum itidèm non à Moyse fuisse scriptum, sed ex publicis & antiquis Commentariis, Diariis, Actis & Annalibus ab aliquo publico Scriba excerptum & concinnatum esse. Ratio hujus discriminis est, quia quatuor Libros Regum, duos Libros Paralipomenon, & Librum secundum Machabęorum fuisse ex publicis Annalibus & Commen-

mentariis excerptos, delibatos atque digestos, liquidò colligitur ex Scriptura Sacra; quod sanè dici haùd potest de Pentateucho, quem potiùs Scriptura Sacra expresse ac disertè innumeris in locis soli Moysi, ceù vero ac legitimo parenti adjudicat, vindicat & asserit. Undè cùm par non sit utrobique ratio, recens à Richardo Simonio de publicis in Republica Hebræorum Scribis excogitatum systema tàm infirmis nixum radicibus corruere necesse est.

PARAGRAPHUS SEXTUS,

De Textibus primigeniis Scripturæ Sacræ, de variis illius Versionibus, præsertim Græcis & Latinis, ac deniquè de auctoritate Editionis Vulgatæ.

Circà Textus primigenios Scripturæ Sacræ tres potissimùm possunt moveri difficultates, quas hìc breviter dirimemus. Prima est, quottuplex sit Textus primigenius Scripturæ Sacræ? Altera est, quo idiomate Libri tàm veteris, quàm novi Testamenti fuerint conscripti? Tertia deniquè est, an Textus primigenii Scripturæ Sacræ fuerint aliquandò interpolati, seù adulterati? Ut tribus istis difficultatibus fiat satis.

Dico primò, Textum primigenium Scripturæ Sacræ veteris Testamenti esse Textum hebraicum, qui diù absque punctis vocalibus fuit exaratus, & cui postea Judæi Scholæ Tiberiadis circa octavum à Christo nato sæculum, ut censet Thomassinus in suo Glossario hebraïco, puncta vocalia & accentus addiderunt, quâ de causâ dicti sunt *Masorethæ*, & & opus ab illis conflatum, *Masora*, appellatum est. Quod opus apud Judæos in tanto pretio erat, ut *Saieg la tora*, seù Sepimentum Legis vulgò diceretur. Masora autem nihil aliud est, quàm Critica quædam sacra, quâ variæ in tota Scriptura Sacra notantur lectiones, simùlque determinatur, quotiès, quo loco, & quâ formâ, quæque dictio in Textu

hebræo inveniatur, ut hoc pacto genuina Scripturæ Sacræ lectio ab omni corruptione ſervetur immunis, undè celebres illi Judæi, dicti Maſorethæ, recenſent omnia Capita, verſus, vocabula, radices, & litteras, quæ in ſacris Scripturis continentur, notantque diverſa loca, in quibus eadem vox repetita legitur in Scriptura Sacra. De Maſoræ utilitate legi poſſunt Ludovicus Cappellus in lib. *de Punctuationis Arcano Revelato*, Buxtorfius, Waltonus, Thomaſſinus, Richardus Simonius, qui de hoc opere uberrimè tractarunt. Antiquos characteres hebraicos retinuerunt Samaritani in Pentateucho Moyſis, quem ideò antiquiſſimum eſſe affirmant *Origenes*, *Julius Africanus*, *Euſebius*, *Diodorus Tarſenſis*, *Cyrillus Alexandrinus & Procopius Gazenſis*. Hunc Pentateuchum ſamaritanum antiquis characteribus exaratum doctiſſimus *Pater Joannes Morinus* Presbyter Congregationis Oratorii Jeſu hiſce poſtremis temporibus publicâ luce donavit, qui in Heptaplis Pariſienſibus, & in Polyglottis Bibliis Londinenſibus fuit inſertus, & perdoctis Diſſertationibus ab eo illuſtratus.

Dico ſecundò, Libros veteris Teſtamenti, quos in ſuo Canone reponunt Judæi, hebraicè fuiſſe ſcriptos.

Hujus aſſertionis veritas patet primò, quia Libri veteris Teſtamenti, quos in ſuo Canone Judæi reponunt, fuerunt ſcripti ante captivitatem Babylonicam, ſeù eo tempore fuerunt conſcripti, quo Judæi hebraicè loquebantur. Judæi ſiquidèm linguæ hebraicæ, & uſus antiquos formandi characteres hebraicos dumtaxat obliti ſunt tempore captivitatis Babylonicæ, quâ laxatâ, Eſdras, mutatis antiquis characteribus hebraicis, ſuffecit characteres chaldaicos, quibus nunc utuntur Judæi, eorumque Biblia hiſce characteribus chaldaicis deſcripta leguntur. Cùm igitur Libri veteris Teſtamenti Canone Judæorum comprehenſi ante captivitatem Babylonicam fuerint conſcripti, ſequitur, illos fuiſſe primitùs ſcriptos in lingua hebraica, quæ ante captivitatem Babylonicam erat apud Judæos vulgaris & vernacula. Secundò, S. Hieronymus in præfationibus, quas attexuit Libris vete-

veteris Teſtamenti,quos ſuo Canoni accenſent Judæi, docet, Libros veteris Teſtamenti inſertos Canoni Judæorum, hebraicè fuiſſe primitùs exaratos, excepto tamen libro Danielis, quem chaldaico ſermone fuiſſe conſcriptum, teſtatur idem Sanctus Doctor præfatione in ipſum Danielis Librum.

Quantùm autem ad Libros veteris Teſtamenti, quos Catholica Eccleſia,ſpeciali adjuta Spiritus Sancti aſſiſtentiâ, Canoni Judæorum addidit, hiſque divinam aſſeruit auctoritatem, pauci ſunt, qui primitùs non fuerint hebraicè conſcripti. Libros Tobiæ & Judith chaldaicâ linguâ ſcriptos fuiſſe affirmat Sanctus Hieronymus in præfationibus ad Libros Tobiæ & Judith. Liber primus Machabæorum videtur primitùs ſcriptus hebraicè, ut obſervat Sanctus ille Doctor in Prologo galeato, ſed primi Machabæorum Libri Textus hebraicus non extat ampliùs. Secundus autem Machabæorum Liber fuit græcè exaratus. De Libro Sapientiæ, quâ linguâ ſcriptus ſit? incertum omninò eſt, hebraicum tamen reperiri innuit Sanctus Hieronymus præfatione in Libros Salomonis. Idem ſtatuendum eſt de Libro Eccleſiaſtici, quem antiquitùs fuiſſe hebraicè ſcriptum, non obſcurè inſinuat Jeſus junior *in Prologo in Eccleſiaſticum*, ubi ait, hunc Eccleſiaſtici Librum ab avo ſuo Jeſu ſeniore hebraicâ linguâ compoſitum eſſe, & in linguam græcam à ſe translatum: *Deficiunt*, inquit, *verba hebraica, quandò fuerint translata ad alteram linguam*.

Dico tertiò, Textum primigenium Librorum novi Teſtamenti eſſe Textum græcum, ac ſubindè Libros novi Teſtamenti, ſi unum, aut alterum excipias, fuiſſe græcè ſcriptos. Undè conſentiunt omnes, græcè ſcripta eſſe Evangelia Lucæ,& Joannis, tres Epiſtolas ejuſdem Sancti Joannis Evangeliſtæ & Apocalypſim, Acta Apoſtolorum, tredecim Epiſtolas Pauli, duas Petri, unam Jacobi & unam Judæ. De Epiſtola Pauli ad Hebræos, quæſtio eſt inter eruditos, hebræo nè, vel græco ſermone primitùs prodierit? De Evangelio itidèm Sancti Marci quidam cenſent primò fuiſſe græcè exa-

exaratum, quidam latinè, sed ab ipso Marco in græcum sermonem fuisse deindè conversum, idque probant ex ejusdem Evangelii S. Marci autographo, quod latino idiomate scriptum summâ religione Venetiis asservatur. Denique, convenit fermè inter omnes, Matthęi Evangelium hebraicè, aut potiùs syriacè (quæ lingua syriaca tùm temporis erat Judæis vernacula, & nunc latiori sensu nonnunquam hebraica appellatur) fuisse scriptum. Refert siquidèm Eusebius lib.5. Histor. Eccles. cap.10. Pantænum apud Indos reperisse Evangelium, quod hebraico idiomate scriptum ipsis S.Bartolomæus tradiderat. Testatur etiam S. Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, se vidisse Evangelium S.Matthęi scriptum hebraicè in Bibliotheca Sancti Pamphili Martyris. Ast nunc nonnisi græcum Evangelii S. Matthæi Textum habemus, immò ille Textus græcus pro Textu primigenio reputatur. Evanuit quippe multis ab hinc sæculis syriacum Matthæi Evangelium. Cùr autem Libri novi Testamenti fuerint græcè, & non hebraicè scripti? Duæ possunt assignari rationes: prima est, quia Libri novi Testamenti fuerunt in Græcia scripti, & ad populos græcos directi. Altera est, quia eo tempore, quo sacri Scriptores Libros novi Testamenti composuerunt, lingua græca florebat ubiquè, & pervulgatissima erat. Undè Josephus etsi Judæus, qui eodem ferè tempore animum ad scribendum appulit, græco idiomate opera sua lucubravit.

Dico quartò, Textum hebræum Librorum veteris Testamenti nunquam fuisse à Judæis de industria mutilatum, neque Textum græcum Librorum novi Testamenti fuisse unquam interpolatum in his, quæ fidem & mores spectant, quamvis illi Textus non sint ita puri, ut nulla levis momenti errata, nulla menda in illos invecta sint.

Hæc assertio multis rationibus evincitur. Primò, quia Judæi nec ante, nec post Adventum Christi Codices hæbræos corruperunt. Non quidèm ante Adventum Christi, hanc siquidem corruptionem, si qua à Judæis facta fuisset, Christus & Apostoli omni procùl dubio reprehendissent, nec

nec jussisset Christus Pharisæos in Cathedra Moysis sedentes audire, & scrutari Scripturas, si tùm temporis Codices hebræi fuissent vitiati & interpolati. Nec etiam post Adventum Christi Codices hæbreos Judæi adulterare potuerunt. Nam benè multi Judæi ad fidem christianam in primis Ecclesiæ sæculis conversi, qui linguam hebraicam apprimè callebant, & fontes hebraicos sæpè adibant, fraudem illam nullo negotio retegere & redarguere potuissent, non secùs ac Sancti Patres, qui primis Ecclesiæ temporibus floruerunt, Judæorum conatibus obstitissent, eorumque malitiam propalassent, si ipsi sacros Codices depravare, violare ac temerare voluissent. Hoc argumentum suppeditat mihi S.Hieronymus in cap.6. Isaiæ, ubi hæc habet: *Quòd si quis dixerit, hebræos Libros posteà à Judæis fuisse falsatos, audiat Origenem, quid in octavo volumine explanationum Isaiæ huic respondeat quæstiunculæ, quod nunquam Dominus & Apostoli, qui cætera crimina arguunt in Scribis & Pharisæis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuissent. Si autem dixerint, post Adventum Domini Salvatoris, & prædicationem Apostolorum, Libros hebræos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero, ut Salvator & Evangelistæ & Apostoli testimonia protulerint, ut Judæi posteà falsaturi erant.* Sanè, si Judæi sacros Codices interpolare voluisent, id citrà dubium tentassent in vaticiniis de Christo, & in his locis, quæ in Textu hebræo Christianæ Religioni favebant: atqui tamen certissimè constat, omnia oracula, quæ de Christo vero Messia cecinerunt Prophetæ, & omnia veteris Testamenti loca, quæ comprobandæ Religionis Christianæ veritati inservire possunt, intacta & illibata etiamnùm perstare, ex quibus ad Judæorum coercendam petulantiam multò apertiora & illustriora, quam ex græcis Codicibus argumenta deduci possunt. Nunquam igitur Judæi sacros Codices de industria adulterarunt.

Prætereà, Judęos major Codicum suorum tenebat Religio, quàm ut illos consultò, vel ex odio Christianorum depravare voluerint. Sic enim S.Justinus Martyr in suo Dialo-

logo

logo de Scripturarum mutilatione, cujus auctores fecerat Judæorum Principes, inducit Tryphonem judæum respondentem: *Incredibilis videtur res illa, incredibilis, inquàm, profectò videtur: horribiliùs siquidèm est Vituli fabricatione, quàm in terra deserta fecere mannà expleti, aut liberis mactatis Dæmonibus, aut Prophetarum ipsorum occisione*. Eamdem omnium Judæorum animis ergà Libros sacros insedisse Religionem testatur Josephus judæus. Idem planè colligi potest tùm ex Masora, quam herculeo & indefesso labore peritissimi Scholæ Tyberiadis Rabbini adornarunt, ut puram Scripturæ Sacræ lectionem sartam tectam jugiter custodirent, tùm etiam ex Libro *Sopherim*, seù Scribarum, in quo Judæi diligenter & tantùm non superstitiosè agunt de litteris majusculis, minusculis, suspensis, intortis, de dictionibus, quæ superpunctari, quæ scribi, & non legi, quæ non scribi, & legi, quæ aliter legi, aliter scribi debent, & de aliis id genus præceptis necessariis ad rectam sacrorum Librorum descriptionem, nè quid videlicet vel levissimi erroris in eos obrepat. Doctissimus *P. Joannes Morinus* cap. 3. exercit. 14. lib. 2. *de hebræi, græcique Textus sinceritate*, fatetur, solenne esse Judæis hæc in descriptione sacrorum Librorum sedulò observare, videlicet ex cujus animalis pelle charta, in qua sacri Libri describi debent, confici oporteat, quomodo præparari, quanta chartæ longitudo & latitudo, quot lineæ in pagina, quot litteræ in linea. Porrò credibile non est, Judæos in describendis Libris sacris tantam diligentiam, quæ à superstitione non multùm abhorret, observasse, & tamen perfrictæ frontis audaciâ ex solo Christianorum odio sacros suos Codices corrupisse. De hoc Libro *Sopherim* latissimè tractant *Joannes Morinus* cap. 6. exercit. 12. lib. 2. *de hebræi, græcique Textus sinceritate*, *Richardus Simonius* in Disquisitionibus criticis, & *Waltonus* in Apparatu Biblico, Proleg. 8.

Deniquè, incredibile prorsùs est, Judæos, qui per totum, quà latè patet, Orbem erant dispersi, in depravationem sacrorum Librorum ita concordibus votis & animis conspirare

re potuisse, ut nullus tàm immani sacrilegio intercedere, nullus reclamare ausus fuerit. Quod quidèm eò magis incredibile apparebit, si quis consideret, apud Judæos duas fuisse sectas, videlicet *Rabbanistarum*, & *Caraitarum*. Judæi Rabbanistæ dicebantur illi, qui legem oralem suscipiebant, seù qui Rabbinorum traditionibus & explicationibus mordicùs adhærebant. Judæi verò Caraitæ erant hi, qui explosâ lege orali, seù repudiatis Rabbinorum expositionibus, solam Scripturam Sacram excipiebant. Quamvis ergò Judæi Rabbanistæ falsis Rabbinorum suorum traditionibus inducti, sacrorum Codicum interpolationi consentire potuissent, Judæi tamen Caraitæ, qui Judæos Rabbanistas infensissimo odio insectabantur, à tanto scelere abhorruissent, & sacrilegam Judęorum Rabbanistarum in violandis sacris Codicibus temeritatem palàm côarguissent. Samaritani etiam, Judęis invisi, quique Pentateuchum Moysis apud se religiosè asservabant, tàm insignis corruptelæ & nefandi flagitii impatientes, in Judæos illius auctores aperto marte insurrexissent. Nec tacuissent Christiani, qui hanc sacrilegam Judęorum temeritatem facili negotio rescire potuissent ab illis Judæis, qui, teste Eusebio in Histor. Eccles. à Judaismo ad Christianos confugiebant; immò Christiani, sacros Codices fuisse Judæorum malitiâ, vel invidiâ corruptos & mutilatos, confestim probare potuissent ex illis exemplaribus hebraicis, quæ penes se habebant, vel in suis Bibliothecis asservabant, & quæ interpolatrice Judæorum manu adulterari & immutari haùd poterant. At tantùm abest, ut Christiani in Judęos tanquam in Sacræ Scripturæ corruptores aliquandò insurrexerint, eisque hoc execrabile flagitium exprobraverint, ut potiùs eos semper laudaverint, ceù capsarios & fidissimos nostros sacrarum Scripturarum custodes. Sic enim de Judęis loquitur S. Augustinus lib. 18. de Civitat. Dei cap. 46. & in Psalm. 46. *Ut Judæi tanquàm capsarii nostri Libros nostros circumferrent, ut, cùm Pagani non credunt quæ nos de Christo prædicta fuisse dicimus, mittamus eos ad inimicos fidei nostræ Judæos, qui Libros nostros circumferunt, in quibus eadem*

dem habentur, quæ nos prædicamus. Addo etiam, credibile non esse, providentiam Dei permisisse, ut Judæi omnes falsarent Scripturæ Sacræ Codices, quos exarari voluit, ut ex illis sacris fontibus omnes gentes salutares sapientiæ haurirent aquas, & veræ Religionis imbuerentur documentis.

His gravissimis momentis apertè constat, Textum primigenium Scripturæ Sacræ, seù Textum hebraicum nunquam Judæorum malitiâ ex odio Christianorum fuisse depravatum in his, quæ fidei, vel morum dogmata spectant. Idem ferendum est judicium de primigenio Textu Scripturæ Sacræ novi Testamenti, videlicet de Textu græco, qui itidèm in his, quæ ad fidem, aut bonos mores attinent, purus & illibatus perseverat, tùm quia nullo pacto ostendi potest, Textum græcum, qui est Textus primigenius novi Testamenti, fuisse aliquandò corruptum; tùm quia etiam Ecclesia Catholica usque ad exortum Photii schisma in octo prioribus Conciliis generalibus in Oriente celebratis, semper græco novi Testamenti Textu usa est ad profligandas hereses, quæ in Ecclesia Græca identidèm emergebant, quod tamen facere haùd potuisset Ecclesia Catholica, si Textus græcus non fuisset purus & intactus in his, quæ ad fidem & bonos mores pertinent. Si quis verò dicat, post exortum Photii schisma, Textum græcum novi Testamenti fuisse deditâ operâ à Græcis in odium Ecclesiæ Latinæ mutilatum, ex eò maximè revinci debet, quod in Conciliis Oecumenicis post enatum Photii schisma in Occidente habitis, Lateranensi nimirùm quartò, Lugdunensi, & Florentino, nunquam Latini eam Textus græci depravationem objecerunt Græcis, cum quibus tamen in prædictis Conciliis acerrimè disputarunt.

Cæterùm, quamvis Textus Scripturæ Sacræ originarii, videlicet hebraicus veteris Testamenti, & græcus novi Testamenti, sint etiamnùm in his, quæ ad fidem & mores spectant, puri & integri, inconfessò tamen est apud omnes, Scriptorum negligentiâ, vel temporis rerum omnium edacis injuriâ, quædam errata & leviora menda in Textus origina-

ginarios irrepsisse, sicut fusè post Bellarminum, & Melchiorem Canum, evincit Waltonus in Apparatu Biblico, Proleg.7.

Vindicatâ sacrorum Textuum Scripturæ Sacræ primigeniorum auctoritate, nunc de Bibliorum Versionibus breviter disseram, deinde objectiones diluam, quæ proponi solent contra integritatem Textus hebræi, & contra auctoritatem Editionis Vulgatæ.

In primis, non caret probabilitate sententia quorumdam hujus temporis Scriptorum, qui asserunt, vetus Testamentum ab antiquissimis temporibus, hoc est, ante expeditionem Alexandri Magni in Asiam, seù ante Imperii Persici excidium, in linguam græcam fuisse conversum, aut saltèm quantùm ad aliquas partes linguâ græcâ esse donatum. Nam *Clemens Alexandrinus* lib.5. Stromatum, & *Eusebius* lib.8. Præp.Evang. tradunt, quòd Plato Philosophus Libros Moysis legerit, ex his multa hauserit, deflorarit, & in suam doctrinam derivarit, adeò ut Plato fuerit *Moyses Atticus* appellatus. Pythagoram etiam multa ex Libris Moysis suffuratum fuisse testatur *Hermippus Pythagoræus*; quod itidèm de Aristotele affirmat *Clearchus Peripateticus*. Undè S.Cyrillus lib. 1. contra Julianum, fures appellat Platonem & Aristotelem, quòd multa ex sacris litteris excerpserint, & in suos Libros convasaverint. Addo etiam, quòd Aristæas in lib. de Lxx. Interpr. & Josephus lib. 12. Antiquit. cap. 2. asserunt, Theopompum mente fuisse privatum, & Theodectem oculorum usu divinitùs esse orbatum, quod nonnulla de sacris Voluminibus delibata Scriptionibus suis attexere ausi fuissent, sed agnito demùm & emendato errore, fuisse utrumq; sanitati restitutum. Si ergò Theopompus & Theodectes homines græci, & hebraïcæ linguæ prorsùs rudes, sacra Biblia attigerunt & lectitarunt, sequitur, sacra veteris Testamenti Biblia jam tùm græco sermone fuisse donata. Nec valet quod regerunt nonnulli Auctores, non fuisse necessarium, ut jussu Ptolomæi Philadelphi Ægyptiorum Regis nova sacrorum Librorum græca adornaretur interpreta-

tio, si reverà aliquis ante expeditionem Alexandri Magni in Græciam hoc labore fuisset jam defunctus. Non valet, inquàm, hæc responsio, quia Ptolomæus Philadelphus novam jussit sacrorum Librorum lucubrari Versionem plenam, integram, & omnibus suis numeris absolutam, quæ antehàc imperfecta, mutila, & dimidiata dumtaxat circumferebatur. Plura legi possunt apud Illustrissimum Abrincensem Episcopum Propos.4. cap.12. ubi multis argumentis probat, aliquam sacrorum Librorum imperfectam quidèm extitisse Versionem græcam, quæ Platone & expeditione Alexandri Magni in Asiam erat antiquior, ex quo clarissimus ille Præsul invictum argumentum deducit ad adstruendam contra incredulos sacrorum Librorum antiquitatem.

Verùm, cùm hæc Versio græca, Platone antiquior, non fuerit integra, sed imperfecta, nec ampliùs extet, sed vetustate temporum penitùs abolita sit, nunc omnium consensu inter Versiones sacrorum Bibliorum græcas, optimo jure primas tenet Versio illa, quam LXXII. Seniores ab Eleazaro Judæorum Pontifice selecti & ad Ptolomæum Ægypti Regem missi adornarunt trecentis fermè annis ante Natale Christi Servatoris nostri. Quamvis autem LXXII. Interpretes fuerint, qui huic concinnandæ Scripturæ Sacræ Versioni incubuerunt, vulgò tamen hæc Versio græca vocatur Versio LXX. Interpretum.

Circà hanc celeberrimam LXX. Interpretum Versionem, ex qua, ut ait doctissimus *Waltonus* Proleg.9. Apparatus Biblici, omnes Versiones antiquitùs ab Ecclesia approbatæ (solâ excepta Syriaca) prodierunt, videlicet Arabica, Æthiopica, Armena, Illyrica, Gothica, & Latina vetus ante Hieronymum, quam Patres ac Theologi tàm Græci, quàm Latini, egregiis Commentariis illustrarunt, suisque in scriptis sæpiùs laudarunt, nonnullæ solent proponi difficultates, quibus hìc breviter faciam satis.

In primis quæritur, sub quo Rege Ægypti adornata fuerit hæc Versio LXX. Interpretum? Cui quæstioni respondeo: quosdam esse Auctores, qui, cum Sanctis Patribus Irenæo,

næo, & Clemente Alexandrino, existimant, hanc Versionem factam fuisse sub Ptolomęo Lagi filio. Sed communior sententia eorum est, qui prædictam Versionem elaboratam esse sentiunt sub Ptolomæo Philadelpho. Id enim non obscurè colligitur ex Epistola, quam *Demetrius Phalereus* scripsit ad Ptolomæum Philadelphum Ægypti Regem, cujus insignis Bibliothecæ Præfectus erat. Hanc Demetrii Phalerei ad Ptolomæum Philadelphum Epistolam referunt Josephus lib. 12. Antiquit. cap.2. & Eusebius lib.8. Præpar. Evang. cap.3. ad ejusdem Ptolomæi Philadelphi Ægyptiorum Regis tempora, hanc Versionem Lxx. Interpretum referunt Philo Judæus, Tertullianus, Athanasius, Epiphanius &c.

Quæritur secundò, an Lxxii. Interpretes hanc Versionem ediderint seorsim, & totidèm in Cellulis inclusi?

Respondeo, circa hanc quæstionem necdùm convenire inter Viros eruditos. Alii namque secuti Sanctos Patres Justinum, Irenæum, Cyrillum Hierosolymitanum, asserunt Lxxii. Interpretes seorsim & totidèm in Cellulis inclusos hanc Versionem perfecisse. Alii cum S.Epiphanio in lib. *de Ponderibus & Mensuris*, binos in qualibet cellula Interpretes inclusos fuisse sentiunt. Alii deniquè cum S.Hieronymo probabiliùs censent, Lxxii. Interpretes in publico quodam loco, seù in magna Basilica ab omni tumultu & strepitu remota congregatos, & invicem conferentes hanc Versionem absolvisse. Hæc sententia S.Hieronymi videtur probabilior, tùm quia *Aristæas* testis oculatus, omnique exceptione major, qui totius rei gestæ Historiam descripsit, de his 70. cellulis nè minimam quidèm mentionem facit, sed solùm scribit, Lxxii. Interpretes in magnam Basilicam convenisse, ut sacros Libros interpretarentur; tùm quia etiam Josephus Judæus 70. illarum cellularum nusquàm in suis Libris Antiqu. Judaic. meminit. Non inficior tamen, Lxxii. illos Interpretes singulos proprium habuisse cubiculum, seù cellulam, in qua studiis & orationi vacare possent, & Scripturæ Sacræ meditationi incumbere, nec enim credibile est, Lxxii. Inter-

terpretes in Insula Pharos sub Dio jacuisse, nullamque habuisse cellulam, in quam statis horis se se reciperent. Id unum igitur dumtaxat nego, videlicet LXXII. Interpretes in totidèm inclusos cellulis seorsim universam Scripturam Sacram in græcum vertisse sermonem, sicut negat S.Hieronymus, qui hæbræis, græcisque litteris expolitus plurimos annos vertendis sacris Libris feliciter desudavit, nec unquam incertis opinionibus falso rumore sparsis aurem accommodavit, sed potiùs summâ prudentiâ & accuratissimo judicio verum à falso secrevit.

Quæritur tertiò, utrùm LXXII. Interpretes solos Legis libros, seù Pentateuchum transtulerint, vel universam Scripturam Sacram in græcum sermonem verterint?

Respondeo, probabiliùs esse, Versionem, quam cuderunt LXXII. Interpretes, complexam fuisse omnes veteris Testamenti Libros. Id constat, primò, quia hæc Versio LXXII. Interpretum erat longè accuratior & plenior eâ Versione græcâ, quæ ante Ptolomaica tempora, & ante expeditionem Alexandri Magni in Asiam, facta est, porrò hæc antiquior Versio græca continebat dumtaxàt Pentateuchum in græcum sermonem conversum, probabiliùs igitur est, Versionem LXXII. Interpretum complexam fuisse omnes Libros veteris Testamenti in græcum sermonem translatos. Prætereà, credibile non est, Ptolomæum Philadelphum Ægypti Regem, qui tanto studio omnia antiquitatis monumenta conquirebat, & Demetrium Phalereum ejus Bibliothecæ Præfectum, qui plures Voluminum Myriades ex omnibus terræ partibus collegit, ut juxtà Regis desiderium eam innumeris locupletatam Codicibus omnium celeberrimam efficeret, contentos fuisse librorum Legis, seù Pentateuchi contextu, & cæteras nobilissimæ tùm temporis gentis judaicæ admirandas Historias, & prophetica oracula neglexisse.

Nec quemquam movere debet, quòd Josephus & Philo judæi scribant, libros Legis fuisse à LXXII. Interpretibus græco sermone donatos, ex quorum testimonio inferri

ferri posse videtur, Lxxii. Interpretes solius Legis, idest, Pentateuchi Versionem edidisse. Neminem, inquàm, prædictorum auctorum testimonium movere debet, quia Lex aliquandò pro toto veteri Testamento usurpatur, sicut, verbi gratiâ, quandò Christus cap. Joannis 10. dicit Judæis: *Nonnè scriptum est in Lege vestra: quia ego dixi, Dii estis?* Et iterùm Joannis cap. 15. idem Salvator de Judæis sic loquitur: *Ut impleretur sermo, qui in Lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis*. Quæ duo testimonia non ex Pentateucho Moysis, sed ex Psalterio Davidis desumpta sunt. Primum quidèm ex Psalmo 81. alterum verò ex Psalmo 34. per libros igitur Legis à Lxxii. Interpretibus in græcum sermonem versos *Josephus*, & *Philo* Judæi non modò Pentateuchum, sed omnes veteris Testamenti Libros intellexerunt. Fateor quidèm, S.Hieronymum disertè interdùm asserere, Versionem Lxx. Interpretum non fuisse integram totius veteris Testamenti, sed solius Pentateuchi Moysis translationem. Verùm idem S.Doctor in Apologia contrà Ruffinum apertè innuit, Versionem Lxx. Interpretum alios veteris Testamenti fuisse complexam, quàm libros Pentateuchi. Sic enim ait loquendo de Lxx. Interpretibus: *Tractatus mei horum testimoniis texti sunt. Commentarii in 12. Prophetas, & meam & Lxx. Versionem edisserunt*. Cùm igitur S.Hieronymus modò uni, modò alteri sententiæ faveat, nihil certi ex ejus testimonio colligi potest.

Quæritur quartò, utrùm Lxxii. Interpretes Versionem suam ex turbidis rivulorum lacunis, seù ex vulgatis & popularibus Libris Chaldaicis, Syriacis, & Samaritanis Codicibus, qui plebis injuriâ mutati & corrupti erant, confecerint, vel potiùs eam ex puris hebraicis fontibus expresserint?

Respondeo, Lxxii. Interpretes suam Versionem ex puris hebraicis fontibus concinnasse. Id solidis rationibus evincit doctissimus *P. Joannes Morinus* adversùs Rabbinum *Azariam*, multaque adducit Sanctorum Patrum, & Judæorum testimonia, ex quibus liquet, Versionem Lxx. Interpre-

pretum exactam fuisse ad normam puri hebraici Textus. Hinc prædicta Versio maximo semper in honore atque in singulari veneratione fuit in Ecclesia. Nam eâ usi sunt Apostoli & Evangelistæ, qui, ut notant Irenæus lib.3. cap. 25. & S.Hieronymus prefat. in Evangelia, loca Scripturæ Sacræ laudant ex Versione Lxx. Interpretum, & per illam instituerunt, aluerunt, educarunt, atque in fide confirmarunt nascentem Ecclesiam. Sancti Patres eamdem Versionem uno ore laudant, non solùm ut accuratam & Textui primigenio, seù hebræo, apprimè consonam, sed etiam ut divino afflatu editam. Undè, quandò S.Hieronymus hanc Versionem Lxx. Interpretum interdùm reprehendere videtur, non ipsam Versionem carpit & improbat, sed dumtaxat perstringit & insectatur vitia & errata, quæ in illam injuriâ temporum irrepserant, ut constat ex eodem S.Doctore præf.1. in lib. Paralipom. in qua hæc scribit: *Si septuaginta Interpretum pura, & ut ab eis in græcum versa est, editio permaneret, superfluè me, Chromati, Episcoporum sanctissime atque doctissime, impelleres, ut hebræa tibi Volumina latino sermone transferrem*. Hinc Viri hujus temporis eruditi, quamvis non inficientur, hanc Versionem Lxx. Interpretum inevitabili & communi omnibus fato maculas aliquas levioris momenti, præsertim in rebus chronologicis, ex Amanuensium culpa contraxisse, constanter nihilosecius docent, eam, ubi non discrepat ab Editione Vulgata, adhùc valere ad stabiliendam fidem & benè informandos mores; tùm quia Ecclesia Greca semper usa est illâ Versione Lxx.Virûm, eâque etiamnùm utitur, sciente, nec reclamante Ecclesia Latina; tùm quia etiam Sixtus V. Summus Pontifex hanc Versionem Lxx. Interpretum studio Cardinalis Caraffæ Apostolici Bibliothecarii ex antiquissimo Bibliothecæ Vaticanæ Codice omnibus numeris absolutam, pristinoque suo nitori & integritati restitutam auctoritate suâ approbavit. Huic Editioni Romanæ auspiciis Sixti V. elaboratæ, primas tribuit inter omnes Versiones græcas *P. Joannes Morinus*. Deniquè, ut Versio Lxx. Interpretum, quæ nascenti Ecclesiæ bonæ obstetri-

ſtetricis, & creſcenti nutricis præſtitit officium, non periret, ſtrenuè adlaboravit doctiſſimus *Flaminius Nobilius* in ſcriptis Sanctorum Patrum verſatiſſimus. Ille ſiquidèm clariſſimus Auctor Editionem Italam, ſeù vulgatam & veterem dictam, quæ ex Verſione Lxx. Interpretum erat expreſſa, & quæ ante Hieronymianam Editionem publicè in Eccleſia legebatur, ſed jam à mille & ampliùs annis evanuerat, luci denuò reſtituit, interpretationem Textus græci ex variis Patrum ſententiis hàc illàc diſperſis & improbo labore conquiſitis, collegit atque contexuit, edique curavit Romæ Anno 1588. Eamque iterùm editam Pariſiis unà cum græco exemplari Vaticano publici juris fecit Joann. Morinus Congreg.Oratorii Presb.Anno 1628. In his verò, quæ ex Sanctis Patribus excerpere haùd potuit Nobilius, transferendis, veteris illius Editionis ſtylum & ſimplicitatem exprimere pro viribus ſtuduit, ſicque antiquam illam Verſionem extinctam nobis redivivam exhibuit.

Quæritur quintò, quottuplex fuerit apud Judæos ante tempora Chriſti Domini Verſio græca Scripturæ Sacræ?

Reſpondeo, unicam fuiſſe apud Judæos ante tempora Chriſti Domini Verſionem græcam Scripturæ Sacræ, ſeù Verſionem Lxx.Interpretum, quæ, ſicut obſervat S.Hieronymus in Epiſtola 135. ad Sunniam & Fretellam, pura, caſtigata & incorrupta legebatur,deſcripta in Hexaplis Origenis, ſed eadem Verſio Lxx. Interpretum, quatenùs manibus omnium paſſim terebatur, pro locis, temporibus & voluntate Scriptorum multis ſcatebat erroribus, eamque Origenes, Euſebius Cæſarienſis, omneſque græci Tractatores appellant Κοινὴ, ideſt, communem, quia communi fidelium uſui inſerviebat. Falluntur igitur *Vſſerius Armachanus*, & *Fronto Ducæus*, dùm dicunt, Verſionem dictam Κοινὴ, eſſe planè diverſam à Verſione Lxx. Interpretum. Volunt quippè prædicti illi Auctores, geminam ante Chriſti Domini extitiſſe Scripturæ Sacræ Verſionem græcam; unam videlicèt, quæ libros duntaxàt Pentateuchi complectebatur, quam ſub Ptolomæo Philadelpho Ægyptiorum Rege fuiſſe

adornatam, & Textui hebręo consonam asserunt, eamque fuisse veram Versionem Lxx. Interpretum, quæ semper delituit in Bibliotheca Alexandrina, nec lecta unquàm, scriptave est à quoquam, ac demùm annis ante Christum quadraginta octo fuit incendio consumpta, quandò videlicet Bello priori Alexandrino à Cæsare Augusto confecto ex Militum seditione celeberrima illa Bibliotheca conflagratione periit. Alteram Scripturæ Versionem græcam dictitant illi Auctores procusam fuisse anno quarto Ptolomæi Physconis Ægyptiorum Regis, eamque comprehendisse omnes Libros veteris Testamenti, quos in suo Canone reponunt Judæi, & hanc integram Scripturæ Sacræ Versionem græcam non fuisse à Lxx. Interpretibus elaboratam pertendunt. Verùm hæc duarum Scripturæ Sacræ græcarum Versionum distinctio est omninò fictitia, fuitque planè incognita Philoni & Josepho, Apostolis & Evangelistis, Justino, Irenæo, Clementi Alexandrino, Origeni, Epiphanio, Hieronymo, & omnibus antiquis Patribus, qui unius dumtaxàt Versionis græcæ à Lxx. Interpretibus sub Ptolomæo Philadelpho lucubratæ meminere. Addo etiam, me superiùs hoc novum commentum satis superq;confutasse, ostendendo Versionem Lxx. Interp. non solùm comprehendisse Pentateuchum, sicut falsò asseverant citati illi Auctores, sed etiam continuisse omnes veteris Testamenti Libros, quos suo Canoni adscribunt Judæi.

Quæritur sextò, an Historia, quam referunt *Aristeas*, *Aristobulus*, *Hecatæus*, *Clearcus*, Scriptores Ethnici, *Josephus* & *Philo* Judæi, de numero Lxx. Interpretum, & de modo, quo Scripturam Sacram interpretati sunt, vera sit, vel potiùs inter nugas à Judęis Hellenistis excogitatas sit referenda?

Respondeo, veram esse illam Historiam, tùm quia nullus inter omnes, qui, sive ex Judæis, sive ex Christianis Scriptoribus, de hac Versione à nato Christo mentionem fecerunt, per quindecim sæcula repertus est, qui hanc Historiam de numero Lxxii. Interpretum, & de modo, quo ab eis hæc Ver-

Versio absoluta est, in dubium revocaverit; tùm quia etiam S.Hieronymus, qui nullum lapidem non movit, ut Versionem Lxx. Interpretum, suâ ætate vitiatam, deprimeret, nunquam tamen dubitavit de numero Lxx. Interpretum, & de Historia Aristeæ, vel Josephi, sed potiùs Aristeam & Josephum citat. Quocircà jure merito explodi debent vanæ conjecturæ, quibus plus æquò indulgent moderni quidam Critici, videlicet Henricus Valesius, Ægidius Menagius, Humfredus Hody in opere contra Historiam Aristeæ, Antonius Van Dale in Dissertatione supra Historia Aristeæ, *Ludovicus Vives* in lib.11. S.Augustini de Civit.Dei, & *Scaligerus* Animadvers. in Chronic. Eusebii ad annum 1734. aliique non pauci, qui, rejectâ antiquitate, Talmudis fabulas & ineptias secuti, asserunt, hanc Versionem esse *opus quinque Seniorum*, & quasi de Tripode decretorio judicio pronuntiant, Libros, qui nunc circumferuntur, Aristeæ, Aristobuli, Hecatæi, & Clearci nominibus inscripti, non esse genuinos illorum Scriptorum Ethnicorum fœtus, sed ipsis fuisse à Judæis Hellenistis datâ operâ affictos, quò faciliùs sub illis speciosis titulis, velut sub larva latitantes, simplicibus fucum facere, & prędictæ Versioni græcæ, quam in summo pretio habebant, majorem possent conciliare auctoritatem. Verùm istorum hominum, qui certissima Historiæ, & antiquitatis monumenta à locupletissimis Testibus litteris consignata falsi insimulare præsumunt, futiles conjecturas flocci facere debemus, nec in his confutandis tempus & operam malè locare, maximè cùm eâ Provinciâ tàm egregiè jam defuncti fuerint Viri eruditi, nimirùm *Usserius*, *Waltonus*, uterque *Vossius*, ut eorum labori aliquid addidisse, decerpsisse sit.

Hîc tantùm in rem Lectoris breviter referam hanc Historiam Versionis Lxx. Interpretum excerptam ex Aristeæ Epistola ad Philocratem, quæ hactenùs extat, & Eruditorum teritur manibus. Demetrius Phalereus Bibliothecæ Philadelphi Ægypti Regis Præfectus, conquisitis undiquè Libris eam usque adeò auxerat, ut plusquàm ducenta Volu-

minum millia complecteretur. Quod cùm sciscitanti Regi, præsente Aristea, renunciaret, adjecit effecturum se, ut brevi ad quingenta millia Librorum numerum pertingeret, eique significavit, Judæorum Leges dignas esse, quæ in ejus Bibliotheca reponerentur, dummodò in linguam græcam converterentur. Ejus petitioni annuit Rex, scripsitque ad summum Judeorum Sacerdotem Eleazarum, qui in gratiam beneficiorum, quæ Judæi acceperant à Rege, sex ex singulis Tribubus Senes honestate vitæ, & peritiâ Legum præstantes ad interpretandas Scripturas Sacras misit ad Regem, à quo, postquàm perhumaniter fuissent excepti, in proximam Insulam delati sunt à Demetrio, & in splendida Domo locati, in qua quotidiè ad nonam usque horam Legis interpretationi dabant operam; sicquè collatis exemplaribus, unàque congregati, spatio septuaginta duorum dierum interpretationem absolverunt. Demetrius totam interpretationem coràm Judæis, qui in Ægypto erant, legit, qui summis eam celebrarunt laudibus, & diras imprecati sunt his, qui huic Versioni aliquid addere, vel demere, vel quidpiam in ea immutare præsumerent. En, juxtà Aristeæ Epistolam, Versionis Lxx. Interpretum Historiam, quam S.Justinus in Apologia secunda pro Christianis enarrans, in gravem anachronismum lapsus est. Ait quippè, Ptolomæum Ægyptiorum Regem, cùm Libros undiquè parandæ Bibliothecæ comportari satageret, Herodem Judæorum Regem rogasse, ut Prophetarum Libros ad se mitteret, at cùm hebraicos Libros legere haùd posset, rursùm ab eodem Interpretes postulasse, qui hebraica græcè converterent. Qua in narratione, ut nemo non videt, non levis occurrit anachronismus, cùm Herodes annis circiter ducentis quinquaginta post Ptolomæi Philadelphi obitum cæperit in Judæa regnare.

Quæritur septimò, quot Versiones græcæ prodierint post Versionem Lxx.Interpretum?

Respondeo, novem in integrum recenseri græcas veteris Testamenti Versiones, quarum prima, ut jam diximus, est Versio Lxx. Interpretum facta temporibus Ptolomæi Phi-

Philadelphi Ægyptiorum Regis. Altera Versio græca edita est ab *Aquila* Pontico, Rabbini Akibæ discipulo, qui primùm Religione Gentilis fuit, deindè Christianus, postmodùm, cùm ab Ecclesia, ob Astrologiæ judiciariæ studium, pulsus esset, cultum amplexus est Judæorum, apud quos Versionem suam Anno XII. Imperii Adriani, idest, circà annum æræ Christianæ 128. edidit, quæ hanc ob causam valdè suspecta est. In ea quippè Versione quædam Scripturæ Sacræ loca, quæ Christanæ Religioni favebant, de industria interpolavit, &, ut ait S.Hieronymus in cap.8.Isaiæ, Aquila, *Biblia in linguam græcam contentiosè transtulit, & non solùm verba, sed ethymologias verborum transferre conatus est, undè jure projicitur à nobis.*

Tertia Versio græca edita est à Theodotione, qui ex hæretico Marcionita factus Judæorum Proselytus, majori, quàm *Aquila*, fide Libros sacros transtulit. Undè Ecclesia Librum Danielis retinuit ex Versione Theodotionis, sicut refert S.Hieronymus præf. in Danielem. Suam autem Versionem condidit Theodotio, imperante Commodo, ut testatur S.Epiphanius.

Quartam Versionem græcam adornavit Symmachus, qui Natione Samaritanus, nomen posteà judaismo dedit; deindè Christianam Religionem amplexus, ad Ebionitarum sectam deniquè se contulit. Doctissimus Petavius asserit, hanc Versionem factam non esse sub *Severo* Imperatore, sed *Lucii Veri* Imperatoris temporibus prodiisse, quia veteres Scriptores statim post Versionem Aquilæ recensent Versionem Symmachi, sicut etiam videre est in Hexaplis Origenis. Porrò, si Versio Symmachi edita fuisset sub Severo Imperatore, antiquior non esset, & prior Versione Theodotionis factâ sub Imperatore *Commodo*, cùm certum sit, Imperatorem *Commodum* antiquiorem esse Imperatore *Severo*. Verùm hæc Petavii sententia optimo jure rejicitur à doctissimo *P.Bernardo de Montfaucon* in suis Præliminaribus in Hexapla Origenis, ubi ex Chronico Alexandrino apertè evincit, Theodotionis editionem in annum sextum *Commo-*

di

di Imperatoris esse conferendam; Symmachi verò interpretationem Anno *Severi* Imperatoris nono fuisse lucubratam, adeòque Theodotionis editionem priorem esse editione Symmachi. Cùr igitur in Hexaplis Origenis editio Symmachi posita sit ante Versionem Theodotionis? Hanc rationem affert eruditissimus ille Auctor, quia in hoc situ non ratio temporis, quo singulæ editiones adornatæ fuerunt, spectari debet, quandò quidèm Versio Lxx. Interpretum, quæ, nemine reclamante, omnium antiquissima est, attamèn post Versionem Symmachi in Hexaplis Origenis reponatur; sed ideò Aquilæ primum locum dedit, ejusque editionem priorem posuit Origenes, quia Aquila scrupulosiùs, quàm cæteri omnes, Hebraicam Scripturam verbum è verbo reddere statuerat. Post hunc autem, Symmachum locavit, quia Symmachus propiùs quàm Lxx. Interpretes & Theodotio ad veritatem hebraicam accedebat. Deindè Versionem Lxx. Interpretum præposuit Origenes Versioni Theodotionis, quia Theodotio Lxx. Interpretes è vestigio penè sequi videbatur.

Quinta Versio græca est cujusdam ignoti auctoris, quæ in doliis quibusdam apud Urbem *Hierico* inventa est anno septimo *Caracallæ* Imperatoris filii Severi, seù anno æræ Christianæ 217. hæc quinta Versio vulgò vocatur Hiericuntina. Christianus nè, an Judæus, Samaritanusve fuerit, qui hanc editionem quintam edidit? Nec ex veterum testimonio, nec ex ejus interpretatione colligi posse videtur.

Sexta Versio græca certum itidèm non habet auctorem, & imperante *Alexandro* Mammeę filio reperta fuit Nicopoli anno æræ Christianæ 228. eâque de causa vocatur Versio Nicopolitana. Auctorem istius sextæ editionis christianum Virum fuisse asserit clarissimus *P. de Montfaucon*.

Ex his Versionibus græcis, unà cum Textu hebræo ea Volumina contexuit Origenes, quæ vulgò *Tetrapla*, *Hexapla*, *&* *Octapla* nuncupantur. *Tetrapla* nihil aliud sunt, quàm Volumen, in cujus singulis paginis quatuor extant columnæ. In prima descripta est Versio Aquilæ, in secunda,

da, Verſio Symmachi, in tertia, Verſio Lxx. Interpretum, in quarta, Verſio Theodotionis, ſicut videre eſt in hoc ſchemate.

Tetrapla Origenis :

1. Columna.	2. Columna.	3. Columna.	4. Columna.
In ea Columna deſcripta eſt Verſio Aquilæ.	In hac Colum. deſcribitur Verſio Symmachi.	In hac Colum. deſcribit. Verſio Lxx. Interpretum.	In hac Colum. deſcribitur Verſio Theodotionis.

Hexapla Origenis nihil aliud ſunt, quàm Volumen, in cujus ſingulis paginis ſex ſunt Columnæ. In prima deſcribitur Textus hebraicus litteris hebraicis exaratus. Secunda exhibet eumdem Textum hebraicum litteris græcis deſcriptum. Tertia continet Verſionem Aquilæ. Quarta, Verſionem Symmachi. Quinta, Verſionem Lxx. Interpretum. Sexta, Verſionem Theodotionis. Hoc opus propter ſex illas Columnas ordine diſpoſitas, appellatur *Hexapla*.

Hexapla Origenis.

1. Columna.	2. Columna.	3. Columna.	4. Columna.	5. Columna.	6. Columna.
Textus hebraicus litteris hebraicis exaratus.	Textus hebraicus litter. græcis deſcriptus.	Verſio Aquilæ.	Verſio Symmachi.	Verſio Lxx. Interpretum.	Verſio Theodotionis.

Octapla deniquè Origenis, nihil aliud ſunt, quàm Volumen, in cujus ſingulis paginis duæ Columnæ adduntur ſex illis Columnis, quæ ſunt in Hexaplis, ita ut ſint octo Columnæ in Octaplis Origenis, in quarum ſeptima deſcribitur Verſio Hiericuntina, & in octava Columna, exhibetur Verſio Nicopolitana.

Octa-

Octapla Origenis.

1.Colum.	2.Colum.	3.Colum.	4.Colum.	5.Colum.	6.Colum.	7.Colum.	8.Colum.
Text. hebraicus litter.hebraicis exaratus.	Text. hebraicus litt. græcis descriptus.	Versio Aquilæ.	Versio Symmachi,	Versio Lxx. Interpretũ.	Versio Theodotionis.	Versio Hiericũtina.	Versio Nicopolitana.

Hoc perutile, summisque curis elaboratum Origenis opus, quod ipsa diuturnitate, injuriaque temporum ita perierat, ut nè ipsius quidèm vestigium superesset, sicut ab Origene fuerat concinnatum, feliciter tandèm restauravit doctissimus *Pater Bernardus De Montfaucon* Reipublicæ Litterariæ bono natus, illudque in publicam lucem productum, ita perdoctis dissertationibus & annotationibus illustravit, ut quod animis, votisque conspirantibus expetitum tandiù fuerat, illud egregiè, atque omni ex parte fuerit ab eo confectum.

Quocircà, si Lector scire aveat, quâ ratione & quo tempore Origenes Tetrapla, Hexapla, Octapla, itemque Enneapla digesserit? an Origenes Samaritani & Syri Codicis lectiones in marginibus Hexaplorum locaverit? quænam fuerit ratio interpretandi, quâ usi sunt Aquila, Theodotio, & Symmachus? an Textus hebraicus in Hexaplis descriptus, idem fuerit qui hodiernus? quandò nam perierint Hexapla Origenis? &c. Harum, inquàm, & similium perutilium quæstionum si plenissimam notitiam habere desideret Lector, adeat præliminaria doctissimi illius Auctoris in Hexapla Origenis, ubi sitim suam ad satietatem usque restinguere poterit. Nobis verò, compendii causâ, digitum ad fontem intendisse sufficiat.

Septima Versio græca dicitur Origenis, non quod reverà Origenes ex hebræo Textu Scripturam Sacram in græcum sermonem transtulerit, sed quia Versionem Lxx. Interpretum jam multis scatentem erroribus repurgavit, emendavit, castigavit, pluribus in ea immutatis locis, correctis & ex-

& expunctis, aliis verò ex Textu hebræo, vel ex aliis Versionibus additis, cum hoc tamen discrimine, quod ea, quæ ex Textu hebræo, vel ex aliis Versionibus addidit Origenes Versioni Lxx. Interpretum, notarit Asterisco, qui apud Sanctum Hieronymum istius figuræ est ※. Ea verò, quæ reliquit in Versione Lxx. Interpretum, & tamen non legebantur in Textu hebræo & in aliis Versionibus, transfixerit Obelo, qui apud Sanctum Hieronymum hanc figuram exhibet ÷ Quapropter ubi Lector inveniebat appositos Asteriscos, confestim intelligebat, hæc ab Origene ex Textu hebræo, vel ex aliis Versionibus addita esse Versioni Lxx. Interpretum. Ubi verò Obelos offendebat, perspectum habebat, ea, quæ legebantur in Versione Lxx. Interpretum, non extare in Textu primigenio Scripturæ Sacræ, seù in Textu hebræo, ac proindè esse resecanda, vel, ut loquitur S.Hieronymus, veru antepofito jugulari debere. De illis Asteriscis, Obelis, Lemniscis, Hypolemniscis perdoctè disserit clarissimus *P. De Montfaucon* in suis præliminaribus in Hexapla Origenis.

Octava Versio græca ea est, quam edidit *S. Lucianus* Martyr in persecutione Diocletiani. Ille quippè in Versiones Scripturæ Sacræ errata benè multa injuriâ temporum irrepsisse cùm animadverteret, aliam Versionem græcam emendatiorem magno labore & studio confecit.

Nonam deniquè Versionem aggressus est, publicique juris fecit *Hesychius* in Ægypto Episcopus & Martyr, quæ tamen reverà nova non fuit Scripturæ Sacræ Versio græca, sed potiùs Versionis Lxx. Interpretum emendatio accuratior. De ea Esychii Versione, sicut & de Editione Luciani, & de Codicibus, quos ab Origene elaboratos Pamphilus Martyr, & Eusebius vulgaverunt, sic loquitur S.Hieronymus præf. in libros Paralipomenon: *Alexandria, & Ægyptus in septuaginta suis Hesychium laudat auctorem. Constantinopolis usque ad Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probat. Mediæ inter has Provinciæ Palæstinos Codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius & Pamphilus vulga-*

verunt:totusq;Orbis hac inter se trifaria varietate compugnat.

Præter has Scripturæ Sacræ veteris Testamenti Versiones græcas,aliæ variis in linguis editæ sunt, quas hìc breviter indicare non abs re erit. Antiquissima videtur esse Versio samaritana in Poliglottis Paris. & Lond. sermone Syro-chaldaico scripta & ducta ex Textu samaritano, qui, ut suprà observavimus, samaritanis, idest, antiquis characteribus hebraicis descriptus est. De quo multa legi possunt apud doctissimum P.Morinum, qui hunc Textum samaritanum publicâ luce donavit, & eumdem esse, quem antiquis characteribus exaratum retinuerunt antiqui Samaritani omni argumentorum genere demonstrat.

Altera veteris Testamenti Versio est chaldaica, quæ tribuitur Onkeloso & Jonathani. Hi quippè Judęi vetus Testamentum in linguam chaldaicam transstulerunt non quidèm de verbo ad verbum, sed paraphrasticè. Hæc autem paraphrasis chaldaica vocatur à Judæis *Targum* sive Babylonicum, sive Hierosolymitanum. Targum autem idem est ac Interpretatio. Apud Judæos hæc paraphrasis chaldaica in maximo pretio est, sed apud Christianos vix ullius est auctoritatis, utpotè multis Judæorum fabulis conspersa. Undè ad summum hæc paraphrasis chaldaica valet ad illustrandum Textum Scripturæ Sacræ, & sensum litteralem, sicut ostendit *Lucas Brugensis* in Epistola ad Candidum. Auctores illius Versionis, seù Paraphrasis chaldaicæ anteriores non esse quinto sæculo invictè probat sæpè laudatus Joannes Morinus, primò ex silentio Origenis, Hieronymi, & Epiphanii, qui, licèt in sacrarum Scripturarum interpretatione, & in conquirendis variis editionibus, quæ id ætatis circumferebantur, strenuè adlaboraverint, attamen nè minimum quidèm verbum fecerunt de illa paraphrasi chaldaica. Secundò, quia hæc Versio chaldaica expresè eorum meminit, quæ tantùm post quintum à Christo nato sæculum contigerunt. Meminit scilicet Turcarum,qui vix ante annos Christi 600. è suis eruperunt latebris, ut sui Imperii jacerent fundamenta. Obtrudit etiam hæc Versio chaldaica puras putas-

tasque Talmudistarum fabulas, videlicet lamentationis Dei, Ascensionis Moysis in Cælum, Tabularum Legis ex Zaphyro Throni Dei excisarum, & aliorum sexcentorum id genus Commentorum, queis à capite ad calcem scatet Talmud Judæorum, quod manifestò probat, hanc paraphrasim chaldaicam posteriorem esse Talmude post quintum sæculum à Judæis consarcinato,

Sequitur Versio syriaca veteris Testamenti ab incerto auctore post Christi Domini ortum elaborata. Est etiam novi Testamenti Versio syriaca, cujus auctorem Syri putant esse S. Marcum Evangelistam; sed in hoc turpiter hallucinantur. Nam si S. Marcus illius syriacæ Versionis auctor esset, omni procùl dubio hæc Versio magnæ apud antiquos Patres fuisset auctoritatis; & tamen illius Versionis syriacæ novi Testamenti veteres Patres, etiam illi, qui in Syria, vel in Ægypto propè Syriam vixerunt, Clemens Alexandrinus, Origenes, Athanasius, Eusebius, Epiphanius, Hieronymus, Cyrillus, non meminerunt, quamvis de aliis Scripturæ Sacræ Versionibus mentionem fecerint. Habet igitur hæc Versio syriaca novi Testamenti alium & ignobiliorem auctorem. Hæc utriusque Testamenti Versio syriaca etiamnùm existit. Nam veteris Testamenti Versio syriaca nunc reperitur in Bibliis Polyglottis Parisiensibus & Londinensibus. Novi verò Testamenti Versionem syriacam adhùc extare fidem faciunt Biblia Regia Hispaniarum. Versio syriaca novi Testamenti magnę utilitatis esse potest ad convincendos nostri temporis Hæreticos. In sectionibus siquidèm Capitum meminit jejuniorum, suffragiorum pro mortuis, sacrificii Eucharistiæ, & aliorum id genus, quæ moderni Hæretici calumniantur à Romanis Pontificibus fuisse inventa. Hinc enim clarè demonstratur hæc omnia nec nova esse in Ecclesia, nec à Romanis Pontificibus invecta, sed jam pridèm in Ecclesiis remotissimis celebrata & observata esse, non privatâ conspiratione, sed antiquâ traditione ab ipsis Apostolis Ecclesiarum Fundatoribus tradita, propugnata, & inviolabili sæculorum serie jugiter in Ecclesia

Romana, quæ omnium Ecclesiarum Mater est, conservata.

Sunt etiam aliæ veteris Testamenti Versiones, videlicet, Arabica, Persica, Coptica, seù Ægyptiaca &c. quas indicasse abundè sufficiat, de his quippè latè disserit doctissimus Waltonus in suis Prolegomenis in Polyglotta Londinensia, quem Lector adire potest, si velit.

Illud tamen Lector hìc obiter velim observet, omnes istas sacrorum Bibliorum Paraphrases, Versiones, & Interpretationes ortum apud Judæos habuisse ex Linguę hebraicę ignoratione. Nam cùm paucissimi Hebræi post captivitatem Babylonicam hanc linguam callerent, necesse fuit, ut eorum Rabbini sacros Codices in vernaculum sermonem converterent. Hinc Judæi, Græci, Persæ, Arabes, Hispani, Germani, Turcæ, & alii per totum Orbem dispersi Hebręi Versionibus Scripturæ Sacræ Græcis, Persicis, Arabicis, Hispanis, Germanicis, & Turcicis utuntur, quæ tamen Versiones puram non exhibent linguam illarum Nationum, in quibus degunt Judæi, sed frequentibus hebraismis & syriasmis abundant. Exempli gratiâ, Lingua Hellenistica, quam Judæi græci in sua Scripturæ Versione usurpant, nihil aliud est, quàm Lingua Græca, quæ tamen apud illos aliquid Linguæ Hebraicæ & Syriacæ retinet. Idemque in aliis omnibus Linguis, quas Judæi in suis vulgaribus Scripturæ Sacræ Versionibus adhibent, reperire est, ita ut Versiones Judæorum Arabicæ, Persicæ, Hispanicæ, vix ab Arabibus, à Persis, & ab Hispanis intelligi queant, nisi Linguam hebraicam sint edocti. Istum Judæorum sermonem meritò Auctor Disquisitionum Criticarum cap. 16. appellat *Synagogæ sermonem*, quia in Synagogis natus est, & earum usui servit.

Veniamus nunc ad Versiones latinas Scripturæ Sacræ, de quarum numero sic loquitur Sanctus Augustinus lib.2. de Doctrina Christiana cap.11. *Hi, qui ex hebræa lingua Scripturas in græcam verterunt linguam, numerari possunt; Latini autem nullo modo*. Idem testatur S.Hieronymus præf. in Josue, ubi sic loquitur: *Apud Latinos tot sunt Exemplaria, quot Codices*. Verùm inter privatas illas Versio-

siones latinas, quæ antiquitùs circumferebantur, primas tenebat vetus quædam communior ex editione Lxx. Interpretum ducta Versio latina, quam S. Augustinus lib. 2. de Doctr. Christ. vocat *Italam*. Sed cùm hęc Versio mendis non careret, S. Hieron. jussu Damasi Summi Pont. novum hujus Versionis Testamentum juxtà græcam veritatem emendavit. Vetus autem Testamentum bis vertit in latinum sermonem, primò, ex græca Lxx. Interpret. Versione, & deindè ex hebræo fonte. Quæ postrema S. Hieronymi Scripturæ Sacræ Versio ad normam Textus hebræi facta, licèt multos nacta sit ab initio adversarios, qui ei obstreperent, à quibusdam tamen Ecclesiis suscepta est, &, ipso adhùc vivente S. Hieronymo, legi cæpit, sensimque adeò invaluit, ut tempore S. Gregorii Papæ eumdem auctoritatis gradum cum illa veteri Versione itala obtinuerit, sicut testatur Sanctus ille Pontifex præfat. in librum Job. Tandèm progressu temporis Versio illa Sancti Hieronymi, quæ nunc Vulgata dicitur, principem locum obtinuit, & ab universa Ecclesia Latina obviis ulnis excepta est, atque ab Oecumenica Synodo Tridentina omnibus aliis Versionibus latinis antepositia & authentica declarata.

Alias recentiores Scripturæ Sacræ Versiones latinas, quæ tùm à Catholicis, tùm ab Hæreticis concinnatæ sunt, breviter recensebo. Inter Catholicos *Sanctes Pagninus* nobilis Familiæ Dominicanæ Alumnus, hortante Leone X. Summo Pontifice, primus novam Scripturæ Sacræ Versionem ad Codices hebræos adornavit Anno MDXXVII. cum duabus in fronte Epistolis Summorum Pontificum Adriani VI. & Clementis VII. qui hanc Bibliorum editionem singulari laude commendarunt. Altera Versio latina facta est ab *Isidoro Claro* Brixiano, qui ex Monacho Cassinensi, Episcopus Fulginates factus, vertit Biblia integra, exceptâ Apocalypsi Anno 1542. Tertia, est *Ariæ Montani*, qui omnium penè gentium linguis excultus, Sanctis Pagnini Versionem emendavit. Quarta, est *Vatabli* Parisiensis Professoris, qui florebat sub Francisco I. Galliarum Rege. Ab Heterodoxis quo-

quoquè variæ prodierunt sacrorum Bibliorum latinæ Versiones, quas inter prima, est *Munsteri* Anno 1534. Altera, est *Æcolampadii* Anno 1535. Tertia, est *Leonis Judæ*, quæ vulgò dicitur Versio *Tigurina*, eò quòd Tiguri Anno 1543. edita sit. Quarta, est Versio *Sebastiani Castalionis*, quæ Basileæ Typis excusa est Anno 1551. Quinta, est Versio Junii, ac Tremellii, quæ Genevæ prodiit Anno 1590. Sexta, est Versio Genevensis, quæ, ut optimè ait Genebrardus præfat. in Origenem, nihil aliud est, quàm Rapsodia assuta è variis Sanctis Pagnini, Munsteri, Vatabli, & reliquorum centonibus & pannis. De his Scripturæ Sacræ latinis Versionibus, necnon de aliis vulgari Idiomate Gallico, Hispanico, Germanico, Anglicano variis in locis editis Scripturæ Sacræ Versionibus, plura legi possunt apud *Elliam Dupin* Doctorem Sacræ Facult. Parisien. in 2.Part. tom. 1. Prolegom. in Biblia veteris Testamenti, & apud *Richardum Simonium* in Disquisitionibus Criticis cap.22. & aliis sequentibus.

Anno 1515. primus inter Christianos Biblia Polyglotta, quæ vulgò Biblia Complutensia nuncupantur, publicavit *Franciscus Ximenius de Sineros* Cardinalis & Archiepiscopus Toletanus, quæ iterùm, sed longè auctiora Antuerpiæ Anno 1572. edi curavit Arias Montanus sumptibus & auctoritate Philippi II. Hispaniarum Regis, à quo Bibliorum Regiorum, seu Philippi II. nomen sortita sunt. Anno autem 1645. vir eximius *Michaël Le Jay* Parisinus immensis suis sumptibus novam Bibliorum Polyglottorum editionem aggressus est, ac publici juris fecit. Deniquè Anno 1657. prodierunt Biblia, quæ vulgò Anglicana appellantur, sex Tomis comprehensa, in quibus præcipuè eminet Apparatus Biblicus fronti operis affixus, in quo benè multæ quæstiones ad Scripturæ Sacræ, ejusque Versionum notitiam spectantes magna cum eruditione discutiuntur, ac dirimuntur.

Sed his missis, hìc duntaxat breviter observabo, jure ac meritò Patres Concilii Tridentini sanxisse Sess. 4. ut vetus & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus,

bus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica haberetur. Idque duplici de causa sapientissimè decreverunt Patres Concilii Tridentini. Primò, quia eâ ætate multæ procudebantur, & in vulgus spargebantur latinæ Versiones, quæ auctores habebant homines fidei suspectæ, undè prudentissimè illis visum est Tridentinis Antistibus, ut repudiatis latinis hisce Scripturæ Sacræ Versionibus, quæ incautis & simplicibus errores instillare poterant, sola Versio vulgata latina, quæ longè ante exortas id temporis hæreses in omnium manibus versabatur, retineretur in Ecclesiis. Sic enim loquuntur Patres Concilii Tridentini: *Sacro-sancta Synodus considerans non parùm utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis Editionibus, quæ circumferuntur sacrorum Librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit & declarat, ut hæc ipsa vetus & vulgata Editio, quæ longo tot sæculorum usu probata est, in publicis disputationibus, lectionibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur, & ut nemo eam rejicere quovis prætextu audeat.* Quo decreto Patres Concilii consuluerunt tranquillitati Ecclesiæ, & cohibuerunt effrænem audaciam Hæreticorum, qui ex pruritu omnia innovandi, non parùm auctoritatis perversis suis dogmatibus accessurum autumabant, si antiquæ Editioni vulgatæ latinæ, quæ tùm temporis omnium Christianorum terebatur manibus, auctoritatem detraherent, & in ejus locum Versiones erroribus scatentes, substituere possent. Altera ratio, quæ permovit Patres Concilii Tridentini ad præferendam antiquam Editionem vulgatam cæteris aliis Versionibus latinis, fuit, quia sapientissimi illi Patres Spiritus Sancti lumine, quo erant plenissimè affusi, judicarunt, seligendam esse & instar fidei regulæ necessariò statuendam esse aliquam Scripturæ Sacræ Versionem, cui tanquàm sacræ Anchoræ indivulsè adhærerent omnes Christiani. Alioquin, si unicuique privato integrum esset, novam pro arbitrio suo invehere Scripturæ Sacræ Versionem, nullus profectò esset cudendarum Versionum finis, nihil stabile ac solidum permaneret eo in ne-

negotio, in quo fidei, doctrinæque cardo vertitur. Ecquis enim, si tantisper Linguas calleat, novas statim non molia-tur Versiones, easque aliis prioribus non anteponat? Sic-que, proh dolor! brevi fieret, ut essent tot Scripturarum sa-crarum Versiones, quot auctores. Hinc videmus, Hære-ticos, qui Editionem vulgatam rejiciunt, in nulla alia pe-dem figere, novas continuò apud ipsos succrescere, & fungorum instar pullulare & ebullire Scripturæ Sacræ Ver-siones, quas pro more suo figunt ac refigunt, mutantes quadrata rotundis, & rotunda quadratis. Meritò igitur Pa-tres Concilii Tridentini ad tàm grande præcavendum ma-lum sanxerunt, antiquam Versionem vulgatam, præ cæteris aliis Versionibus latinis, aptiorem esse ad confirmandam fidem & ad benè informandos mores, eique tanquàm regu-læ fidei standum esse. Eâ de causa *Bellarminus* lib. 2. de Verbo Dei cap. 10. carpit & insectatur Hæreticos, qui, ut Patribus Concilii Tridentini erroris dicam scriberent, asse-rebant, illos, dùm Versionem vulgatam declararunt authen-ticam, sacris fontibus, hebræis nimirùm & græcis, dero-gasse, hoc, inquàm, putidum Hæreticorum mendacium esse affirmat Bellarminus, & ex eo maximè probat, quod Patres Concilii Tridentini nullam in suo decreto sacrorum Scri-pturæ Sacræ fontium mentionem fecerint. Idem testatur *Genebrardus* in epistola, quam scripsit ad Ariam Montanum, ubi hæc habet: *Tantùm comparat Concilium Tridentinum vulgatam cum cæteris ejusdem generis, propter recentiorum Hæreticorum & aliorum novatorum temeritatem, qui novas subindè Versiones expetunt, veteres fastidiunt, proque innata novarum cupiditate antiqua novis post habent*. Quin & do-ctissimi Theologi, qui Concilio Tridentino interfuerunt, ejusque mentem probè perspectam habebant, videlicet *An-dreas Vega* lib. 15. in Concilio Trid. cap. 9. & *Alphonsus Sal-mero* Societ. Jesu, disertè tradunt, in Concilio Tridentino nihil omninò de primigeniis Textibus Scripturæ Sacræ, he-bræis scilicet & grecis, actum esse, sed tantùm tot inter Edi-tiones latinas, quæ spargebantur in vulgus, quænam ex illis præ-

præstaret, fuisse sermonem, & rejectis reliquis latinis, unam hanc vulgatam, aliis tanquàm veriorem, puriorem, dilucidiorem, ac suis fontibus, undè orta est, magis consentientem declaratam fuisse. Sic explicatâ mente Patrum Concilii Tridentini, superest nunc, ut in calce hujus Paragraphi primò diluam objectiones, quibus Hæretici Editionis vulgatæ auctoritatem labefactare nituntur, & deindè faciam satis argumentis aliorum, qui contendunt, Textum primigenium Scripturæ Sacræ, seù Textum hebraicum, à Judæis de industria fuisse interpolatum.

Diluuntur Objectiones

Queis Hæretici Editionis vulgatæ auctoritatem labefactare moliuntur.

ARguunt primò Hæretici, Versio vulgata, licet longo Ecclesiæ usu comprobata sit, variis in locis est vitiata, mendosa, idque probant ex benè multis locis, quæ hic inserere, & singillatim expendere nimis longum foret, atque hinc se demonstrasse putant Hæretici, novas suas Versiones ex ipsis fontibus hebræis & græcis confici debuisse, easque jure meritò huic turbato Editionis vulgatæ rivulo, longè esse præferendas.

Respondeo primò, me in responsionibus ad 3. & 4. objectiones Paragraphi IV. primæ Partis hujus Tractatus nonnulla expendisse loca, quæ in Editione vulgata esse vitiata ogganniunt Hæretici, palàmque ostendisse, Editionem vulgatam his in locis sub nullo mendo cubare. Quocircà, nè iteratâ repetitione Lectori fastidium ingeram, iis referendis & denuò explicandis impræsentiarum supersedebo. Obiter tamen observabo, hęc loca Editionis vulgatæ, quæ olim Heterodoxi magno animorum æstu mendosa esse pertendebant, eaque, ut originario Textui dissona, culpabant, attamen diligentiùs postmodùm discussa, primævis ac emendatioribus originariis Textibus planè consona reperta fuisse.

Undè pacato primo illo Hæreticorùm contra Editionem vulgatam furore, plerique ex ipsis Doctissimi vulgatam Editionem summis laudibus extulerunt, & loca, quæ ab aliis reprehensa & exagitata fuerant, sincera & integra esse demonstrarunt. Quamquàm verò illorum testimoniis non egeat Editionis vulgatæ auctoritas Ecclesiæ approbatione contenta, non abs re tamen erit aliqua referre. *Theodorus Beza* præf. in novum Testamentum Anni 1559. Erasmum castigat, quòd vulgatum Interpretem liberiùs rejecerit. *Paulus Fagius* in cap. 4. Versionis suæ latinæ Paraphrasis chaldaicæ, arguens vulgatæ Versionis reprehensores: *Non attendunt*, inquit, *quid, vel quem sequutus fuerit vulgatus Auctor. Cùm enim à veritate hebraica dissentire videtur, vel* LXX. *Interpretes, vel Versionem chaldaicam, vel aliquem ex Rabbinis sequutum fuisse ferè semper deprehendo. Non est ergò temerè nata vulgata Editio, ut scioli stultè & imprudenter clamitant*. *Ludovicus de Dieu* præf. in notis ad Evangelia: *Si vulgatum Interpretem*, inquit, *quisquis is tandèm fuerit, doctum, immò doctissimum Virum fuisse asseram, non me peccasse judicavero. Suos habet nævos, fateor, habet & barbarismos, sed quia passim fidem ejus & judicium admirer, ubi etiam barbarus videtur, negare non possum*. Observat etiam Casaubonus in notis ad Evangelia & Actus, vulgatam Versionem, ubi à græco dissentit, non proptereà esse vitiosam, sed interpretem Codicibus emendatioribus usum fuisse Codicibus, quàm sint nostri. Idem sæpiùs à se observatum doctissimus *Waltonus*, aliique eruditi fatentur, Prolegom. X. Polyglottorum. Denique *Hugo Grotius* præf. in annotationes veteris Testamenti: *Vulgatum*, ait, *Interpretem semper plurimùm feci, non modo, quòd nulla dogmata insalubria contineat, sed etiam quod habet multum in se eruditionis, quamvis in dicendi genere satis horridus*. Ex hac itaque ingenua Hęreticorum confessione liquidò patet, ea Editionis vulgatæ loca, quæ ab illis antehàc invidiæ facibus accensis erroris insimulabantur, post sedatum furorem, & diligentius adhibitum examen, pura & sincera ab iisdem fuisse reperta.

Re-

Respondeo secundò, his in locis Editionis vulgatæ, quæ perstringunt & reprehendunt Hæretici (nisi fortè quædam sint levioris momenti errata Typographorum, quæ in castigatione Editionis vulgatæ Correctorum diligentiam subterfugerunt) præter hæc, inquàm, loca, nihil in cæteris esse, quod facili negotio defendi haùd possit. Verùm, cùm singula illa loca, quæ magno quidèm, sed inani studio congerunt Hæretici, expendere prolixiùs foret, jamque multa ex his locis, ut supra annotavi, attigerim & vindicaverim, sufficiet hìc Regulas quasdam generales indicare, quibus ejusmodi loca purgari poterunt ab illa erroris nota, quam ipsis temerè inurunt Hæretici.

Prima Regula hæc est: Cùm vulgata Editio discrepat à Textu hebræo, vel græco, non continuò sequitur, eam esse mendosam, quia & ipsi hebræi & græci Codices possunt esse vitiosi, immò eos in plerisque locis vitio Librariorum esse corruptos Eruditi demonstrant.

Secunda Regula hæc est: Vocabula hebræa varios quandòque sensus admittunt, sicut fatentur omnes Linguæ hebraicæ periti, vitio igitur verti non debet auctori Editionis vulgatæ, si vocem aliquandò vertat eo sensu diverso ab illo, quem nunc nonnulli meliorem esse sibi falsò persuadent, Nec enim verosimile est, modernos Hebræos in reddendis vocum sensibus eruditiores esse illis antiquis Hebræis, quos auctor Editionis vulgatæ sequutus est; tantò siquidèm ignotior fit hebraica Lingua, quantò longiori tempore ab origine sua primęva recedit.

Tertia Regula hæc est: Pleraque offenduntur loca in Editione vulgata, quæ non concordant Textui hebræo, iis notato punctis, quibus nunc notatur. Porrò hæc puncta recentiùs inventa esse concors est omnium Criticorum sententia, quò fit, ut ex his firmum aliquod momentum ad elevandam Versionis vulgatæ auctoritatem desumi non possit.

Arguitur secundò, S. Hieronymus nonnulla loca, ut mendose translata, reprehendit, quæ etiamnùm in Editione

vulgata reperiuntur, igitur ipsius S.Hieronymi judicio vulgata Editio corrupta est.

Prætereà, Auctor Editionis vulgatæ, quisquis ille fuerit, labi potuit, non enim infallibili Spiritus Sancti movebatur afflatu, sicut movebantur sacri Scriptores, possumus itaque absque scrupulo illum reprehendere, immò & deserere.

Deniquè, multi hujus tempestatis Catholici Doctores ultrò fatentur, aliquot in Editione vulgata extare menda, quæ putant corrigi & emendari posse non quidèm privatâ, sed publicâ Ecclesiæ auctoritate. Editio igitur vulgata non potest haberi tanquàm authentica.

Respondeo ad primum, S.Hieronymum quædam in Editione vulgata mutanda esse censuisse, quæ posteà ut recta approbavit. Undè mirum non est, aliqua in Editione vulgata remansisse loca, quæ S.Hieronymus aliquandò reprehendit. Addo etiam, quòd licèt in Editione vulgata quædam essent S.Hieronymo minùs probata, quia illa tamèn perpetuus Ecclesiæ servavit usus, ille usus auctoritati cujusvis Doctoris præferendus est.

Ad secundum dico, Auctorem Editionis vulgatæ potuisse quidèm absolutè labi, at cùm ejus opus Catholicæ Ecclesiæ usu & auctoritate probetur, reipsâ eum non fuisse lapsum. Quæ autem apud nos vulgata dicitur Editio, ea ferè est S.Hieronymi, si tamen excipias Psalterium & Libros Baruch, Ecclesiastici, Sapientiæ, & Machabęorum, quos ex antiqua Versione itala, quæ ante tempora S.Hieronymi publicè in Ecclesia legebatur, ad normam Versionis Lxx.Interpretum translatos habemus. Doctissimus *P. Martianay* Congregationis S.Mauri Benedictinus inter opera S.Hieronymi, quæ publicâ luce donavit, & eruditis Dissertationibus locupletavit, inseruit Canonem veritatis hebraicæ, seù Bibliothecam S. Hieronymi, quæ sacrorum veteris Testamenti librorum latinam complectitur Versionem à Sancto illo Doctore lucubratam, quæ, nonnisi in rebus levioris momenti, discrepat à nostra Editione vulgata. Undè negari non

non poteſt, Sanctum Hieronymum eſſe auctorem Editionis noſtræ vulgatæ, his tamen exceptis libris, quos mox indicavi.

Quanta autem fuerit S. Hieronymi in adornanda Verſione vulgatâ diligentia, ex eo maximè probat doctiſſimus P. De Montfaucon in ſuis præliminaribus in Hexapla Origenis, quòd Sanctus ille Doctor omnium Editionum adminiculo eam ſummo labore & accuratione concinnaverit. Etſi enim, cùm huic Verſioni incumberet S. Hieronymus, præ manibus ipſa Hexapla & Octapla Origenis haberet, non ille tamen fortuitò & indiſcriminatim omnes lectiones, interpretationeſque quaslibet amplectebatur, ſed cum maximo delectu & conſilio doctiſſimorum ex Hebræis, eas, quæ meliores & ad veram hebraici exemplaris lectionem accommodatiores erant, latinè exprimere ſatagebat. Hinc Aquilam & Symmachum Interpretum omnium prꝫſtantiſſimos cꝫteris anteferre ſolebat. In Pſalmis autem & Prophetis majoribus frequentiùs Aquilâ, quàm Symmacho uſus eſſe deprehenditur. In Prophetis verò minoribus non raró quintam adhibuit Editionem. Aliquandò etiam, miſſis cæteris Interpretibus, LXX. Editionem, utpotè hebraico Textui propinquiorem ſequebatur; nec infrequenter novam illa, & à cꝫteris diverſam interpretationem efferebat, quandò ſcilicet conſultis Hebrꝫorum Magiſtris, nullam ex editis penitùs quadrare animadvertebat. Pari in variis, dubiiſque hebraici exemplaris lectionibus, quæ frequenter, ut ſuprà dictum eſt, occurrebant, diligentiâ, ſolertiâque uſus ſemper eſt Hieronymus, qui, ut optimam deligeret, non modò Scripturæ Sacræ ſeriem, ſed etiam Hebræorum peritiſſimos adibat. Quarè nihil mirum, ſi tanto ſtudio, tàmque ſolerti operâ emiſſam Editionem, utpotè omnium prꝫſtantiſſimam, Eccleſia Romana omnibus ſequendam eſſe edixerit. Hoc ſapientiſſimum de Editione vulgata, ejuſque auctore S. Hieronymo judicium profert clariſs. ille Scriptor de Eccleſia, & de tota Republica litteraria optimè meritus.

Ad ultimum reſpondeo, Editionem noſtram vulgatam poſt

post varias correctiones diversis temporibus à Summis Pontific. Pio IV. S.Pio V. SixtoV.& Clem.VIII. summis laboribus & vigiliis adornatas,repurgatam fuisse ab omnibus mendis, quæ antehàc in eam irrepserant. Undè persuasum nobis esse debet, Editionem nostram vulgatam, à Summis Pontificibus summo studio castigatam, in omnibus exactam esse, primigeniis Textibus consonam, nullumque continere errorem, qui fidei & moribus perniciosus sit.

DILUUNTUR OBJECTIONES,

Quas ad elevandam sacri Textus hebræi auctoritatem proponunt moderni quidam Auctores.

JOannes *Morinus* in exercitationibus Biblicis, *Pezronius* in defensione Antiquitatis Temporum restitutę,& *Vossius* in Syntagmate de Lxx. Interpretibus, aperto marte contrà Textum hebręum dimicant, eumque nunc mutilum esse, & à Judæis de industria corruptum multis argumentis contendunt, quorum pręcipua, quæ aliquid negotii facessere possunt, hìc subjiciam, eisque breviter faciam satis.

Arguitur itaquè primò, S. Justinus Martyr in Dialogo cum Triphone judæo accusat Judęos, quòd Sacram Scripturam depravaverint. Idem scelus exprobrant Judęis S. Irenęus lib.3. cap.24. & lib.4. cap.25. & Tertullianus lib. de habitu muliebri. Ergò Judęi sacros Codices hebręos reverà corruperunt.

Respondeo, & explico mentem illorum Patrum. S.Justinus in Dialogo cum Triphone non accusat Judęos, quòd sacrum Textum hebręum corruperint, sed tantùm redarguit Aquilam, Theodotionem, & Symmachum, quòd Versionem Lxx.Interpretum vitiaverint in his, quas adornarunt, Scripturæ Sacræ Versionibus. Tota quippè controversia, quæ erat S.Justinum inter & Tryphonem judęum, versabatur circà interpretationem hujus vocis *Alma*, quæ legitur cap.7. Isaiæ, & quam Lxx. Interpretes verterant gręcè

cè παρθένα, ideſt, *Virgo*: *Eccè Virgo concipiet*. Aquila verò, Theodotio, & Symmachus, ut hanc genuinam Prophetiæ Iſaiæ ſignificationem depravarent, & in alium ſenſum detorquerent, hanc vocem *Alma* grecè verterant νεᾶνις, hoc eſt, *Puella*: *Ecce Puella*, *ſeù Adoleſcentula concipiet*. Non igitur Judæos accuſat S.Juſtinus, quòd ſacrum Textum hebrȩum corruperint. Verum quidèm eſt, S. Juſtinum autumaſſe has voces, *à ligno*, fuiſſe à Judæis expunctas è Pſalmo 95. Sed periti Critici, & Scripturæ Sacræ Interpretes obſervant has voces, *à ligno*, potiùs aſſutas fuiſſe Pſalmo 95. quàm prætermiſſas; nam in Editione noſtra vulgata hæc verba, *à ligno*, non leguntur in Pſalmo 95. ſed ſolùm habentur hæc verba: *quia Dominus regnavit*. Undè doctiſſimus *Daniel Huetius* Abrincenſis Epiſcopus Propoſ. ix. Demonſtrat. Evangel. pag. 127. ſic loquitur: *Sed tamen cùm nihil horum verborum*, à ligno, *extet vel in Exemplaribus hebraicis, vel in Thargum, vel in Interpretibus exoticis, neque ea agnoſcunt Symmachus, aut Theodotio, nullum in hoc teſtimonio cauſæ noſtræ firmamentum collocabimus*. Addo etiam, S.Juſtinum, S.Irenæum, & Tertullianum accuſaſſe Judæos, quòd Sacram Scripturam depravaſſent, non quòd reverà Sacram Scripturam depravaverint, ſed quia Judæi à Chriſtianis per Prophetarum vaticinia ad incitas redacti, ex variantibus Scripturæ Sacræ lectionibus, eam potuerunt excipere, ſuiſque Codicibus inſerere lectionem, quæ Chriſtianis non favebat, quæque diſcrepabat à Verſione Lxx. Interpretum, quæ tùm temporis in Eccleſia maximo in pretio erat. Hæc itaque lectionis Scripturæ Sacræ depravatio anſam antiquis illis Patribus dare potuit accuſandi Judæos, quòd depravaſſent Scripturam Sacram, ideſt, Verſionem Lxx. Interpretum, quâ ſolâ his temporibus Catholica utebatur Eccleſia. In eo ſenſu intelligi, & explicari debere antiquos illos Patres, qui ſacrorum depravationis Codicum Judæos inſimulare videntur, diſertè oſtendunt *Waltonus* in Polyglotta Londinenſia, *Richardus Simonius* in Diſquiſit. Criticis cap. 9. & *P. Le Quien* in defenſione Textus hebræi.

Ar-

Arguitur secundo, Judæi Chronologiam Textus hebręi de industria corruperunt: ergò Textus hebręus non est ampliùs purus & integer. Probatur antecedens. Quia Judæi, cùm præfractè nollent confiteri, Christum esse verum Messiam, & tamen inficias ire non possent, tempus adventus Messiæ in ortu Jesu Christi præteriisse (expleti quippè erant anni sex mille à creatione Mundi. Messias autem, juxta pervulgatam Judæorum traditionem, in sexto Mundi millenario nasciturus erat) Judæi, inquàm, ut lucrarentur annos bis mille, quatuordecim sæcula è suis Codicibus expunxerunt; residua autem quinque, vel sex sæcula ut abolerent, decurtarunt intervalla Judicum, omittendo Anarchias, & contrahendo spatia Regum Persarum. Hoc pacto totis bis mille annis mensuram temporis mulctarunt Judæi, ut faciliùs se se expedirent ab illo invicto argumento, quo petebantur à Christianis, qui adversùs illos probabant, Christum esse verum Messiam, quia natus erat in sexto Mundi millenario, juxtà traditionem, quæ apud Judæos erat id ætatis communiter recepta.

Respondeo, hanc Textus hebręi Chronologiæ depravationem à Judæis in odium Christianorum factam, esse purum putumque commentum ab Isaaco Vossio, & Pezronio excogitatum, ut Judæis invidiam conflarent, & Versioni Lxx.Interpretum majorem possent conciliare auctoritatem. At enim prisci Ecclesiæ Patres Julius Africanus, Origenes, Eusebius, Hieronymus, Augustinus, & alii, qui Textus hebręi dissonantias à græcorum, seù Lxx.Virûm Versione in rebus chronologicis diligenter inspexerunt, de hac depravatione Judęis objicienda nunquam cogitarunt. Immò, Sanctus Justinus, qui in Dialogo cum Tryphone Judæos variis modis urget & exagitat, ut gręcam, quæ tunc sola in Ecclesia obtinebat, Lxx. Seniorum Versionem vindicaret, attamen de immutata à Judęis Chronologia, ut causæ suæ patrocinaretur, nè ullum quidèm protulit verbum. Pręstereà, si Judęis in mentem venisset, Codices hebręos corrumpere, nè tempus, quo in sacris litteris venturum Messiam significatur,

tur, elapsum esse videretur, longè potiori titulo adulterassent vaticinia, quæ Prophetæ de Christo cecinerunt, & in eo fuere adamussim completa. Hoc pacto siquidèm Judęi faciliùs se se extricare potuissent ab argumentis Sanctorum Patrum, quos non calculatoriis argumentis, sed Prophetarum vaticiniis contrà Judæos disputasse, certissimè liquet ex libris, quos lucubrarunt ad eorum perfidiam confutandam: porrò certò certiùs constat, hæc Prophetarum de Christo oracula nunquàm fuisse à Judæis interpolata, sed illibata permansisse. Denique, latè commonstravi in Dissertatione quinta libri *de Mysteriis & Annis Christi*, falsum esse, Judæos existimasse, venturum Messiam in sexto Mundi millenario, cùm potiùs Judęi existimaverint, nasciturum Messiam in quarto Mundi millenario, eumque venturum reverà expectaverint eo tempore, quo Jesus Christus Servator noster prodiit in lucem.

Arguitur tertiò, benè multi sunt Theologi, qui docent, non esse ampliùs recurrendum ad Textus Scripturæ Sacræ hebręum & gręcum, quia illi Textus non sunt ampliùs puri & integri. Nam, ut inquiunt, de Judęis notum est, quàm sint infidi, quàm infensi Christianæ Fidei hostes, ut non sine gravi fundamento dici possit, Textum hebręum vel malitiâ, vel incuriâ Judęorum vitiatum fuisse, ut sic à vulgata Christianorum Versione dissideret, & deindè jactarent, ut vulgò factitare solent, Scripturam Sacram apud Christianos non haberi sinceram. Quod verò spectat Textum gręcum, qui est Textus primigenius Scripturæ Sacræ novi Testamenti, certum est, apud Gręcos innumeras ab initio emersisse hæreses, quibus Patriarchæ, & Patriarchales Sedes, ex quibus Gręcorum Ecclesiæ Sacram Scripturam recipiebant, fuerunt infectæ, ac demùm generali schismate, quod etiamnùm durat, ab Ecclesia Latina separatæ. Credibile autem non est, Textum gręcum in tanta errorum & hæresûm colluvie primævam potuisse servare integritatem. Igitur Textus Scripturæ Sacræ hebręus & gręcus non sunt sinceri & integri, sed fuerunt corrupti, variisque scatent erroribus.

Respondeo, quosdam Theologos non ideò asserere ad Textus hebręum & græcum non esse ampliùs recurrendum, quòd putent, Textus hebræum & græcum fuisse à Judęis, & à Græcis de industria corruptos, sed quòd existiment, Editionem vulgatam ex usu & decreto Ecclesiæ probatam, purgatam, & ab omnibus mendis castigatam, conferri non debere ad fontes, seù ad Textus hebręum & græcum. Undè in sententia illorum Theologorum necesse non est asserere, Textus Scripturæ Sacræ hebræum & græcum fuisse malitiâ Judæorum & Græcorum depravatos. Si verò sint aliqui Theologi, qui velint, Textus hebręum & græcum esse nunc superfluos, ipsisque omnem omninò fidem esse abrogandam, ab illa certè Theologorum opinione me propter argumenta superiùs adducta discedere lubens profiteor. Quin & ipse *Melchior Canus*, licèt cap.15. lib.2. de locis, tantam asserat esse Editionis vulgatæ auctoritatem & sinceritatem, ut Textibus hebręo & gręco, quales nunc extant, pręferri debeat; fatetur attamen, Textus hebręum & græcum non esse superfluos, sed potiùs plurimùm conferre ad Ecclesiæ bonum & Scripturæ Sacræ intelligentiam. Primò enim, ut scribit clarissimus ille Auctor, utiles sunt & consuli possunt Textus hebræus & græcus, ut pleraque loca latinis verbis expressa meliùs percipiantur. Sæpè enim in omnibus Versionibus Textum scrupulosè sequentibus contingere solet, ut eadem res, etsi fideliter expressa, meliùs intelligatur in Textu, quàm in Versione. Secundò, cùm ambigua est phrasis, aut vox latina, ad Textus hebræum & gręcum utiliter recurritur, ut ambiguitas tollatur. Tertiò, notitia linguæ hebraicæ & gręcæ non mediocriter juvat ad intelligenda idiomata, emphasim verborum, phrases & proverbia, quæ relicta sunt in Editione vulgata, sine qua intelligentia eorum sensum in Versione, etsi fideliter exhibitum, vix Lector percipere & assequi posset. Quartò, Textus hebręus & gręcus adiri & consuli possunt ad corrigenda errata, si quæ ex Librariorum incuria in Editione vulgata adhùc supersint. Sed hæc delibasse satis est, plura

hanc

hanc in rem legi possunt apud Melchiorem Canum loco laudato.

Sunt alię objectiones, quas contra sinceritatem & integritatem Textus hebręi proponunt adversarii, ad quas diluendas tria hìc obiter advertere abundè sufficiet.

Primò, advertendum est, abhorrere ab omni veri specie quod ait *Joannes Morinus*, videlicet Rabbinos, qui primùm in Palęstina, & posteà Babylone de rebus ad Religionem spectantibus in Synedrio supremâ auctoritate judicabant, consensisse in sacrorum Codicum depravationem, quæ deindè in omnes Synagogas irrepsit, maximè cùm Judæi, ut dictitat ille clarissimus Auctor, decretis illorum Rabbinorum ita adstricti essent, ut ab illis nè latum quidèm unguem desciscere auderent, sed quasi Polypi ad saxum tenaciter illis adhærescerent. Hanc, inquàm, P. Morini conjecturam ab omni veri specie abhorrere abundè patet ex his, quæ inter probandam conclusionem adduxi, demonstrando, Judęos nec potuisse, nec voluisse unquam ex odio Christianorum sacros suos adulterare Codices, sed potiùs ad superstitionem usque verborum Legis & Prophetarum corticem jugiter conservasse, ac summoperè cavisse, nè quis error Libros sacros injuriâ temporum pervaderet. Non eo tamen inficias, Rabbinos ineptas, detortas, & planè nugatorias tradidisse interpretationes, immò & aniles fabulas proprio marte excogitasse, quæ posteà Talmudi tàm Babylonico, quàm Hierosolymitano insertæ fuerunt; verùm has sinistras interpretationes, vanaque commenta & deliria, cùm Rabbini in sacros Codices nunquam intruserint, nullâ ratione dici potest, eos de industria in sacrorum Codicum depravationem certatim conspirasse.

Secundò, advertendum est, in Judęorum Codicibus, seù in Textu hebręo, quasdam reperiri lectiones diversas ab his lectionibus, quæ extant in Editione nostra vulgata, sicut, exempli causâ, Genesis cap. 8. legitur in Textu hebræo: *Corvus egrediebatur & revertebatur*. At in Editione vulgata habetur: *Corvus egrediebatur, & non revertebatur*. Si-

militer, in T extu hebręo, Psalm.22. vers.17. legitur *Cari*, ideſt, *ſicut Lęo*, ſed, juxtà noſtram Editionem vulgatam, legi debet, *Caru*, ideſt, *foderunt*. Verùm ex iſtis diverſis lectionibus colligi non poteſt, Textum hebręum fuiſſe à Judæis corruptum, ſed ad ſummum dumtaxat inferri poteſt, probabile eſſe, Judęos, ubi duæ erant lectiones, quarum una magis favebat Chriſtianis, alteram, quæ ipſis minùs favebat, fuiſſe amplexos. Præterquamquòd dici poteſt, utramque lectionem, Geneſis cap.8. veram eſſe. Nam dùm dicitur in Textu hebręo,quòd *Corvus egrediebatur & revertebatur*, ſignificatur ſolummodò, quòd Corvus revertebatur, non in arcam, è qua demiſſus fuerat, ſed ſupra tectum arcæ, cui inſidebat. Quandò verò in Editione vulgata legitur, quòd *Corvus non revertebatur*, id intelligi debet de reditu in arcam, qua in re nulla omninò eſt diſcrepantia Editionem noſtram vulgatam inter & Textum hebręum. Quod autem ſpectat alteram lectionem Pſalmi 22. in qua, juxta Textum hebręum, lęgitur *Cari*, ideſt, *ſicut Leo*, juxta verò lectionem Editionis vulgatæ legi debet, *Caru*, ideſt, *foderunt*, dicendum eſt, in nonnullis exemplaribus hebraicis antiquis legi *Caru*, ſicut teſtatur Rabbi *Jacob Ben hajim* in Bibl. Venet. Fatendum tamen eſt, in hodiernis exemplaribus hebraicis legi *Cari*, quia ex his duabus lectionibus, quas inter parùm diſcriminis intercedere videtur, Judæi eam ſelegerunt quæ minùs Chriſtianæ Religioni favebat. Quapropter ſtandum eſt huic lectioni, quæ extat in Editione vulgata, ubi habetur *Caru*, ſeù, *foderunt manus meas & pedes meos &c.* Hæc quippè lectio longè meliùs Chriſto patienti, & in manibus, pedibuſque transfixo convenire videtur.

Denique, advertendum eſt, nonnulla loca à Judæis deſignari, quæ à ſapientibus olim immutata, & hodiernis Codicibus inſerta eſſe dicunt, quas mutationes appellant *Correctiones Scribarum*, ex quo conſequi videtur, hodiernos Judæorum Codices non eſſe ſinceros & integros. Verùm *Bellarminus* cenſet, prædictam mutationem, ſeù correctio-

ctionem, quam in quibusdam Scripturæ Sacræ locis factam perhibent Judæi, esse purè fictitiam, ac inane commentum ab ipsis procusum. Non desunt tamen alii gravissimi Auctores, qui putant, veram esse illam correctionem quorumdam Scripturæ Sacræ locorum, sed eam factam esse volunt ab Esdra, qui, post laxatam captivitatem Babylonicam, Libros sacros, in quos nonnulli irrepserant errores, speciali Spiritus Sancti assistentiâ adjutus correxit, castigavit, emendavit. Hæc sententia eò probabilior videtur, quòd prædictæ correctiones, quæ sunt in hodiernis Judæorum Codicibus, reperiantur itidèm in antiquis Scripturæ Sacræ Versionibus ante Christi Domini ortum editis. Easdem etiam correctiones exhibent Versio Lxx. Interpretum; & Editio vulgata. Cùm igitur correctio illa quorumdam Scripturæ Sacræ locorum auctorem habeat Esdram, nullo pacto indè probari potest, Textum hebręum fuisse à Judæis de industria vitiatum.

Ex his, quæ in isto Paragrapho dicta sunt, tria adversùs Atheos & Infideles invicta possunt deduci argumenta. Primum istud est; Textus primigenius Scripturæ Sacræ, seù Textus hebręus, est antiquissimus, utpotè anterior Versione Lxx. Interpretum, quæ 300. annis ante Christum, regnante Ptolomęo Philadelpho in Ægypto, fuit adornata: ergò Athei, & Infideles negare haud possunt antiquitatem Scripturæ Sacræ, quâ utuntur Christiani ad probandum, Christum esse verum Messiam in veteri Testamento promissum, à Patriarchis expectatum, & à Prophetis prædictum.

Alterum argumentum hoc est: Textus primigenius Scripturæ tàm veteris, quàm novi Testamenti, seù Textus hebręus & gręcus, nunquam fuerunt in his, quæ spectant fidem & bonos mores, corrupti, sed puri & illibati etiamnùm perstant: ergò Ecclesia Catholica, quæ vulgatam Scripturæ Sacræ Editionem ex utroque Textu hebręo & græco conflatam, & à Summis Pontificibus Clemente VIII. & Sixto V. à mendis accuratissimè repurgatam conservat, in-

integram & incontaminatam habet Scripturam Sacram tàm veteris, quàm novi Teſtamenti.

Deniquè, Judæi Pentateuchum Moyſis, Libros Prophetarum, alioſque veteris Teſtamenti Libros maximâ cum ſedulitate conſervant, ex quibus Chriſtiani multas prædictiones & locupletiſſima teſtimonia deſumunt, queis luce meridianâ clariùs probant, Chriſtum eſſe verum Meſſiam: ergò Athei & Infideles immeritò aſſerunt, ea Prophetarum oracula, quæ proferunt Chriſtiani, fuiſſe ab illis confiƈta, cùm tamen eadem Prophetarum vaticinia ſincera ac genuina eſſe agnoſcant Judæi capitales Chriſtianorum hoſtes, qui nè fateri cogantur, Chriſtum eſſe verum Meſſiam, prædiƈta vaticinia in alienum ſenſum detorquere, ac violentis interpretationibus incruſtare & obſcurare moliuntur, ſicut latè commonſtravi in Tractatu *de Myſteriis & Annis Chriſti*.



SE-

SECUNDA PARS.

De auctoritate sacrorum Librorum Veteris Testamenti, quos Canoni accensuit Oecumenica Synodus Tridentina.

HAnc secundam istius Tractatus Partem in quatuor dividam Paragraphos. In primo agam de Canone Judæorum, de instauratione Scripturæ Sacræ post laxatam captivitatem Babylonicam factâ ab Esdra, de Canone Christianorum, & de Libris Apocryphis. In altero, diluam objectiones, quas Heterodoxi speciatim proponunt contra Libros *Tobiæ*, *Judith*, *Sapientiæ*, *Ecclesiastici*, *Ecclesiastis*, *Cantici Canticorum*, & contra quædam Libri Danielis Capita. In tertio, faciam itidèm satis argumentis, quibus divina impetitur auctoritas Librorum *Job*, *Estheris*, *Psalterii Davidis*, & duorum priorum Librorum Machabæorum. In postremo, Synopsim exhibebo, seù brevem attexam tractationem rerum, quæ in singulis veteris Testamenti Libris continentur, ibidèmque indicabo Auctores, à quibus fuerunt exarati, & Vaticinia, quæ in illis extant & ad Christum Dominum referuntur.

PARAGRAPHUS PRIMUS,

De Canone Judæorum, de instauratione Scripturæ Sacræ factâ ab Esdra, de Canone Christianorum, & de Libris Apocryphis.

CAnon, vox græca est, quæ nihil aliud latinè sonat, quàm *Regula*, vel *Catalogus*. Hinc Libri Scripturæ Sacræ appellantur *Canonici*, vel quia sunt Regula Fidei nostræ, vel quia continentur in catalogo Librorum sacrorum, quem Sancti Patres Hieronymus in Prologo galeato, & S.Au-

S.Augustinus lib.2. contra Cresconium cap. 33. & lib.2. de Doctrina Christiana, *Canonem* nuncupant. Quo tempore autem, & à quo conditus fuerit Canon Scripturæ Sacræ? necdùm convenit inter Eruditos. *Serarius* geminum admittit Scripturæ Sacræ Canonem, priorem conditum ab Esdra, recentiorem alterum, in quo reliqui Libri sacri, quos prior non continebat, repositi sunt. *Genebrardus* verò triplicem agnoscit Scripturæ Sacræ Canonem: primum Canonem adscribit Synodo magnæ Judæorum, quam quintam appellat, cuique Esdram interfuisse ait. Alterum Scripturæ Sacræ Canonem putat Genebrardus, in Hierosolymitana Synodo sexta fuisse conflatum, quam Synodum de sacris Codicibus ad Ptolomæum Philadelphum mittendis & de Lxx.Interpretibus grecè eos reddituris coactam esse asserit. In hunc autem secundum Scripturæ Sacræ Canonem ab illa sexta Synodo editum, relatos esse docet Genebrardus Libros sacros, qui post quintam Synodum fuerunt exarati, videlicet Libros Tobiæ, Judith, Ecclesiastici, & Sapientiæ. Tertium deniquè Scripturæ Sacrę Canonem asserit idem Auctor, conditum fuisse in septima Synodo, quam ad probandos Pharisæos, & ad proscribendos Saducæos congregatam fuisse arbitratur, & decreto septimæ illius Synodi ait confirmatam fuisse auctoritatem Librorum Tobiæ, Judith &c. qui in sexta Synodo fuerant jam in Canonem cooptati, in eumque tùm primùm adscriptos esse duos priores Machabæorum Libros.

Verùm, si mihi tot inter eruditos Viros meum liceat interponere judicium, & secundùm eos meam dicere sententiam, asseram multò probabilius esse, unicum ante Christi Servatoris nostri ortum Canonem Scripturæ Sacræ conditum fuisse, eumque ab Esdra post laxatam captivitatem Babylonicam esse confectum. At enim Judæi & antiqui Christiani nullum alium, præter Esdrinum, Canonem habuerunt & agnoverunt. Deindè illæ Sinodi, quas Genebrardus ad condendos diversos illos Canones cojisse asseverat, fictitiæ planè esse videntur, tùm quia, si hæ Synodi reverà

verà fuissent celebratæ, & in Canone Scripturæ Sacræ reposuissent, sicut affirmat Genebrardus, Libros Tobiæ, Judith &c. Judæi omni procùl dubio illos Libros tanquam sacros excepissent, & tamen certò certiùs constat, ejusmodi Libros nunquàm à Judæis habitos fuisse ut sacros & canonicos; tùm quia etiam talium Synodorum, quarum meminit Genebrardus, nec vola, nec vestigium extat apud antiquos Auctores tàm Judæos, quàm Christianos; immò Josephus magni apud Judæos nominis disertè testatur, Libros, qui post Regnum Artaxerxis Longimani editi sunt, Canoni Judæorum non fuisse adscriptos, & ea de causa Judæorum Canonem complecti dumtaxat viginti duos Libros, quibus sacram ac divinam Judęi afferunt auctoritatem. Idem docent Sanctus Hieronymus, Epiphanius, aliique antiqui Sancti Patres, ut mox ostendemus. Probabiliùs igitur est, unicum ante Christum conditum esse Scripturæ Sacræ Canonem, ejusque auctorem fuisse Esdram, qui Codices sacros in captivitate Babylonica ob populi incuriam neglectos & corruptos castigavit, reparavit, in unum corpus redegit, antiquos characteres immutavit, eisque chaldaicos, queis Judęi ob diuturnam captivitatem Babylonicam magis erant assueti, suffecit. De modo autem, quo Esdras sacras Scripturas reparaverit? non satis convenit inter peritos. Alii siquidèm existimant, Esdram Spiritu Sancto afflatum omnes Scripturæ Sacræ Libros vel in excidio Hierosolymitano crematos, vel in captivitate Babylonica penitùs abolitos, ad verbum dictasse. Ita sensit auctor libri 4. Esdræ, qui in cap. 14. commentitiam rei gestæ Historiam inseruit. Sed ille auctor, quisquis ille sit, nullam meretur fidem, sive quia Ecclesia hunc quartum Esdræ Librum ceù Apocryphum rejicit, sive etiam quia hic liber benè multis scatet fabulis. In eamdem auctoris libri 4. Esdræ sententiam abierunt Irenæus lib. 3. adversùs hæreses cap. 25. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, Basilius in epistola ad Chilonem, plurimique auctores recentiores, quorum catalogum texere nimis longum esset. Alii verò secuti Sanctos Patres Hieronymum ad-

X ver-

versùs Helvidium cap.3. Hilarium præf. in Psalmos, Chrysostomum hom.8. in epistola ad Hebręos, docent, Libros sacros nec in excidio Hierosolymitano, nec in captivitate Babylonica periisse, sed in eos tamen ob injuriam temporum, & negligentiam Judæorum multa irrepsisse menda, quæ deindè ab Esdra Scripturæ Sacræ instauratore fuere emendata atque repurgata. In hanc postremam sententiam eò lubentiùs ipse descendo, quòd incredibile omninò sit, tantam esse potuisse cladem ac vastitatem, tantamque Judęorum ergà Libros sacros socordiam, ut nè apud privatos quosdam homines ulla asservata fuerint sacrorum Codicum exemplaria, iisque penitùs caruerint Ezechiel, Mardochęus, Tobias, & alii Judæi, qui undecim annis ante excidium Hierosolymitanum unà cum Joakino Rege Juda in captivitatem Babylonicam fuerunt abducti. Incredibile quoque est, Jeremiam Prophetam, quem Nabuchodonosoris jussu Nabuzardan Militiæ Magister ab omni injuria Hierosolymis tutum esse voluit, nullum penès se conservasse Scripturæ Sacræ Codicem. Certè testatur Scriptura Sacra lib.2. Machabæor. cap.2. Jeremiam eripuisse ex incendio Hierosolymitano Arcam & Tabernaculum; porrò Libros fuisse in Arca conclusos docent Sancti Patres Epiphanius lib. de Ponderibus & Mensuris cap.3. Damascenus lib. 4. de Fide Orthodoxa cap. 17. & Tertullianus lib. de Habitu Muliebri cap. 3. Eripuit igitur Jeremias sacros Codices ex incendio Hierosolymitano. Sed ut dem, omnes sacros Codices, qui Hierosolymis asservabantur, fuisse combustos, hanc tamen funestam cladem ac conflagrationem pati haùd potuit Pentateuchus samaritanus, easdemque sacrilegas flammas evaserunt sacri illi Codices, quos Judæi undecim annis ante illam conflagrationem in captivitatem Babylonicam adducti, secum asportarunt. Judæi quippè, ut nemo nescit, præter sacros illos Codices, qui in Templo Hierosolymitano, & in Synagogis maximâ curâ & religione custodiebantur, adhùc penès se multa sacrorum Codicum exemplaria conservabant, quæ sedulò legebant. Profectò, Danielem in capti-

ptivitate Babylonica sacros Codices penès se habuisse, facilè colligitur ex cap.9. vers.11. ipsius libri, ubi sic loquitur Daniel: *Et omnis Israël prævaricati sunt legem tuam, & declinaverunt, nè audirent vocem tuam, & stillaverunt super nos maledictio & detestatio, quæ scripta sunt in Libro Moysi.* Et vers.13. *Sicut scriptum est in lege Moysi, omne hoc malum venit super nos.* Deniquè, cap.8. lib.2. Esdræ dicitur, Judæos statim ac ad proprium solum reversi sunt, petiisse ab Esdra Scriba, *ut afferret librum legis Moysi, quam præceperat Dominus Israëli*; eumque librum fuisse lectum ab Esdra in conspectu virorum & mulierum, & sapientium, & omnem populum aures arrexisse ad lectionem Libri. Superstes igitur tùm temporis erat liber Legis, seù Pentateuchus, quandò Esdras Scripturam Sacram necdùm reparaverat.

Dicent fortè Athei & Infideles: non habent ampliùs Christiani sacrorum Librorum veteris Testamenti Autographa, quæ sacri Scriptores propriis manibus exararunt, sed habent dumtaxat Codices, quos ab Esdra post solutam captivitatem Babylonicam correctos fuisse affirmant. Quomodò igitur Christiani certò probare poterunt, Codices Scripturæ Sacræ, quos nunc habent, conformes esse originariis Scripturæ Sacræ exemplaribus, quæ ampliùs non extant, eosque ab Esdra non fuisse immutatos & interpolatos?

Præterea, fatentur omnes Christiani, multos Libros, qui in veteri Testamento citantur, penitùs interjisse. Quid ni igitur à pari dici poterit, omnes Libros sacros perjisse vel in captivitate Babylonica, vel in persecutione Antiochi, quam auctor lib.1. Machabæor. describens, hæc habet: *Et libros Legis Dei combusserunt igni, scindentes eos, & apud quem inveniebantur libri Testamenti Domini, secundùm Edictum Regis, trucidabant eum.*

Respondeo duobus illis momentis, & ad primum dico, quòd licet Archetypa, seù primigenia sacrorum Librorum exemplaria perierint, quia non erant ampliùs Ecclesiæ necessaria; attamen certos esse Christianos ad illa exempla-

ria originaria exactos omninò esse Codices, quos nunc habent, eosque ab Esdra non fuisse immutatos aut corruptos. Primò, quia Deus, qui speciali providentiâ voluit ut Libri sacri ad utilitatem & instructionem fidelium, ad veri cultus & Religionis incrementum conscriberentur, permittere unquam haùd potuit, ut hi sacri Libri penitùs abolerentur, alioquin Deus deesset hominibus in necessariis, cùm homines verum Dei cultum ac Religionem cognoscere & conservare non possint, nisi ope divinæ Revelationis sacris Libris contentæ. Quamvis ergò perierint sacrorum Librorum autographa, certi tamen sunt Christiani, Sacram Scripturam puram & illibatam etiamnùm conservari in his, quos habent, Codicibus. Certi itidèm sunt Christiani, sacros Codices non fuisse immutatos aut interpolatos ab Esdra, tùm quia in iisdem Codicibus vident eamdem styli Scripturæ Sacræ simplicitatem, antiquitatem, sublimitatem, cum veritate Evangelica & cum Historia prophana consensionem & cæteras dotes, quibus Scriptura Sacra aliis Libris longè antecellit; tùm quia etiam apprimè sciunt Christiani, Esdram adjutum & divino lumine illustratum correctioni & instaurationi Scripturæ Sacræ post solutam captivitatem Babylonicam incubuisse, ejusque correctionem publicâ Synagogæ auctoritate fuisse comprobatam, sicut latè commonstrat Illustrissimus Abrincensis Episcopus in lib. de Demonstratione Evangelica, Propos. 4. pag. 262. Deniquè, ideò Christiani non dubitant, sacros illos Codices, qui nunc extant, fuisse à sacris Scriptoribus exaratos, quamvis ampliùs non extent illorum autographa exemplaria, quia continuâ sæculorum serie constans semper fuit ac perpetua Judæorum ac Christianorum consensio, quòd illi Codices ab his sacris Scriptoribus, quorum nominibus sunt insigniti, fuerunt conscripti. Undè, sicut nemo dubitat Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque ejusmodi auctorum Libros ab his fuisse compositos, quia continuâ temporum sibi succedentium serie prædicti Libri laudatis Auctoribus fuerunt semper asserti, ita Christiani non dubitant, Codices Scripturæ

ræ Sacræ, quos nunc habent, fuisse à sacris Scriptoribus exaratos, quia perpetuâ & nusquàm interrupta temporum serie sacris Scriptoribus fuerunt semper adscripti, quamvis autographa propriâ ipsorum manu scripta omninò perierint.

Ad alterum momentum respondeo, nonnullos quidèm periisse Libros, qui in veteri Testamento citantur, ast illos non fuisse repositos in sacrarum Scripturarum canone, quem texuit Esdras, nec in canone Christianorum, eorumque nec Apostolos, nec alios sacros novi Testamenti Scriptores unquam meminisse. Permisit autem Deus ut perirent isti Libri, quia non erant necessarii, sed sat superque ad conservandam divinam Revelationem hominibus factam, sufficiebant hi Libri sacri, qui nunc sunt in canone Christianorum. Libri igitur sacri non perierunt in captivitate Babylonica, sed nec in persecutione Antiochi perire potuerunt, quia licèt Antiochus cæco furore abreptus plurima Scripturæ Sacræ Volumina flammis voracibus addixerit, in omnes tamen sacros Codices grassari minimè potuit, quos Judæi per totum Orbem diffusi summa cum veneratione conservabant. Notum quippè est, persecutionem Antiochi teterrimi Regis Syriæ non sæviisse per totum Orbem, sed solùm ad duas Tribus Israël, quæ sub ditione Regum Juda remanserant, pertingere potuisse. Immò legimus cap.3. lib.1.Machabæor. quòd immediatè post illud Urbis Hierosolymitanæ excidium, in quo Codices sacri ab Antiocho combusti dicuntur, Judæi in Maspha convenerunt & jejunarunt, & libros Legis expanderunt. Capite etiam duodecimo dicitur, quòd Jonathas sic scripsit ad Spartiatas: *Nos cùm nullo horum indigeremus, habentes solatio sanctos Libros, qui sunt in manibus nostris.* Quod sanè evidenter probat, sacros Libros non omninò periisse in persecutione Antiochi.

Porrò Libri, qui in veteri Testamento citantur, & quos omninò periisse jam observavimus, tales sunt: *Liber Bellorum Domini*, cujus mentio fit cap.21. lib.Numeror. vers.14. *Liber Fœderis*, cujus meminit liber Exodi cap.24. vers.7. *Li-*

Liber Justorum, qui citatur in lib. Josue cap. 10. vers. 13. & cap. 1. vers. 18. lib. 2. Regum. *Liber Prophetæ Nathan*, qui continebat Historiam Regum Davidis, & Salomonis, & citatur in lib. 1. Paralipom. cap. 29. vers. 29. & in lib. 2. Paralipom. vers. 29. *Liber Prophetæ Gad*, in quo descripta erat Historia David, & citatur in lib. 1. Paralipom. cap. 29. vers. 29. & 30. *Liber Semejæ*, qui scripsit Historiam Roboami Regis Juda, & citatur lib. 2. Paralipomen. cap. 12. vers. 15. *Liber Addo Prophetæ*, qui duos scripsit Libros, unum scilicet contra Jeroboamum Regem Israël, de quo fit mentio in lib. 2. Paralipom. cap. 9. vers. 29. & 30. & cap. 12. ver. 15. & alterum, in quo descripsit vitam & gesta Abiæ Regis Juda, sicut dicitur lib. 2. Paralipom. cap. 23. vers. 22. *Reliqua autem sermonum Abiæ, viarumque ejus, scripta sunt diligentissimè in Libro Addo Prophetæ*. Alii etiam Libri citantur in Libris Paralipom. & in Libris Regum, qui nunc non reperiuntur, scilicet *Liber Abiæ Prophetæ*, 2. Paralipomen. cap. 9. vers. 29. *Liber Jehu Prophetæ*, 2. Paralipom. cap. 20. vers. 30. *Liber Samuelis*, 1. Paralipom. cap. ult. *Liber Sermonum Ozai*, 2. Paralipom. cap. 33. vers. 18. & 19. *Liber dierum Sacerdotii Joannis Hyrcani*, de quo dicitur lib. 1. Machabæor. cap. ult. vers. 23. & 24. *Cætera Sermonum Joannis & Bellorum ejus, & bonarum virtutum, quibus fortiter gessit, & ædificii murorum, quos extruxit, & rerum gestarum ejus; ecce hæc scripta sunt in Libro dierum Sacerdotii ejus*. Item perierunt quinque Libri *Jasonis Judæi Cyrenæi*, quos auctor libri 2. Machabæorum uno volumine comprehendit ac perstrinxit, sicut ipsemet asserit cap. 2. ejusdem Libri vers. 24. & 27. sed de his hactenùs satis superque dicta sint.

Nunc, ut dilucidè exponamus ea, quæ spectant canonem Christianorum, debemus in antecessum observare, Scripturam Sacram dividi in Vetus & Novum Testamentum: *Scriptura omnis*, inquit Lactantius lib. 4. Divin. Institut. cap. 20. *in duo Testamenta divisa est. Illud, quod Adventum Domini, Passionemque antecessit, idest, Lex & Prophetæ, Ve-*

Vetus dicitur. Ea verò, quæ post Resurrectionem scripta sunt, Novum Testamentum nominatur. Judæi Veteri utuntur, nos Novo; sed tamen diversa non sunt, quia Novum Veteris adimpletio est, & in utroque idem Testator est Christus, qui pro nobis morte susceptà, nos hæredes Regni Æterni fecit, abdicato & exhæredato populo Judæorum.... Cùm igitur nos anteà tanquàm cæci, & tanquàm carcere stultitiæ inclusi sederemus in tenebris ignorantes Deum & veritatem, illuminati ab eo sumus, qui nos Testamento suo adoptavit, & liberatos malis vinculis, atque in lucem sapientiæ productos, in hæreditatem Regni Cælestis ascivit. Utrumque autem Testamentum distribuitur in Libros Legales, Historicos, Sapientales, & Propheticos. Libri Legales veteris Testamenti appellantur hi, qui divinas continent Leges, nimirùm, Libri *Genesis, Exodi, Levitici, Numerorum*, & *Deuteronomii*, quos complectitur Pentateuchus Moysis. Libri Historici veteris Testamenti dicuntur illi, in quibus rerum gestarum continentur Historiæ, suntque numero septemdecim, videlicet *Josue, Judicum, Ruth*, quatuor *Libri Regum*, duo *Paralipomenon*, duo *Esdræ, Tobiæ, Judith, Esther, Job*, & duo priores *Machabæorum*. Libri Sapientiales veteris Testamenti vocantur hi, in quibus traduntur ea, quæ ad mores benè informandos, veramque sapientiam comparandam juvare possunt, scilicet, *Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia*, & *Ecclesiasticus*. Libri Prophetici veteris Testamenti sunt hi, in quibus futura prædicuntur, & octodecim numerantur, scilicet, *Liber Psalmorum Davidis, Isaias, Jeremias, Baruch, Jeremiæ Scriba, Ezechiel, Daniel*, & duodecim Prophetæ minores, *Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias*. Hi Libri veteris Testamenti simùl collecti sunt quadraginta quinque, quos omnes, ut mox ostendemus, ceù sacros ac divinos Catholica recipit Ecclesia. Ast Judæi illos tantùm Libros tanquàm canonicos agnoscunt, qui hebraico sermone sunt conscripti, alios verò Libros veteris Testamenti, quos græcè scriptos Catholica

lica Ecclesia à Judæis Hellenistis accepit, intrà suum canonem non recipiunt; quò fit, ut, teste Josepho lib. 1. contra Appionem, viginti duos tantùm Libros veteris Testamenti ut canonicos agnoscant Judæi. Quod non aliundè ab illis invectum fuisse autumo, quàm ut ejusmodi sacrorum Librorum numerus ob litteras Alphabeti Hebræorum, quæ similiter viginti duæ recensentur, faciliùs, firmiùsque memoriæ mandetur. Aliquandò tamen Judæi Scripturam veteris Testamenti in viginti quatuor Libros partiuntur, sicut observat S.Hieronymus præfat. in Esdram & Nehemiam; nihil tamen est ea in re inter Judæos discriminis sive viginti quatuor, sive viginti tantùm duos Libros veteris Testamenti numerent, quia illi Judæi, à quibus numerantur viginti quatuor veteris Testamenti Libri, Volumen Ruth ab Historia Judicum, & Lamentationes Jeremiæ ab ejusdem Prophetæ vaticinio sejungunt, quibus non repugnant etiam ætate nostrâ Judæi, qui duos hosce Libros Hagiopraphorum classi, non verò Prophetarum adscribunt.

Novum Testamentum dividitur itidèm in Libros Legales, Historicos, Sapientiales, seù Morales, & Propheticos. Libri Legales novi Testamenti sunt hi, qui continent Legem, seù Doctrinam à Christo Domino promulgatam, videlicet, quatuor Evangeliorum Libri *Matthæi*, *Marci*, *Lucæ*, & *Joannis*. Libri Historici dicuntur hi, qui res à Christo Domino, per Apostolos gestas, narrantur. Talis est Liber *Actuum Apostolorum*. Libri Sapientiales, seù Morales, vocantur hi, in quibus sapientiæ exempla, & benè vivendi traduntur præcepta, nimirùm, quatuordecim *Epistolæ S.Pauli*, tres *Epistolæ S.Joannis*, duæ *S.Petri*, una *Jacobi*, *&* *Judæ* una. Deniquè, Libri Prophetici novi Testamenti sunt hi, in quibus futurus Ecclesiæ prædicitur status, & istorum unus solus est, qui dicitur *Apocalypsis S.Joannis*. Hi novi Federis Libri simùl collecti, sunt viginti septem. Hac præmissâ observatione

Dico, omnes Libros tàm veteris, quàm novi Testamenti mox memoratos contineri in canone Christianorum

rum, eisque divinam asserendam esse auctoritatem.

Hæc assertio invictè contra Heterodoxos probatur ex auctoritate & indeficienti judicio Ecclesiæ Catholicæ, quæ in pluribus Conciliis, sed potissimùm in Synodo Tridentina, Sessione quartâ, sacrorum Librorum veteris & novi Testamenti catalogum deditâ operâ texens, illos omnes Libros sacros ac divinos esse declaravit. Qua in re Patres Concilii Tridentini nihil novi molitos esse, sed potiùs avitæ traditioni indivulsè adhæsisse certissimè constat. At enim Patres Concilii Tridentini in texendo sacrorum Librorum canone sequuti sunt Innocentium I. Summum Pontificem in epistola 3. ad Exuperium Episcopum Tolosanum, Concilium Hipponense celebratum Anno 393. Concilium Carthaginense tertium celebratum Anno 397. Concilium Carthaginense quartum indictum Anno 419. S.Augustinum lib.2. de Doctrina Christiana cap. 8. & Gelasium Papam in Concilio Romæ habito Anno 494. Hæc autem Concilia, & hi Sancti Patres eosdem enumerant Scripturæ Sacræ tàm veteris, quàm novi Testamenti Libros, quorum in suo catalogo meminere Patres Concilii Tridentini. Ex quo liquet, illos non aliquid novi hac in re edixisse, sed traditionis, & veteris Ecclesiæ vestigia fideliter pressisse, atque judicium promulgasse, cui omnes Fideles obtemperare debent. Alioquin, si non ex publico Ecclesiæ judicio, sed ex versatilibus privatorum hominum opinionibus, sicut obstrepunt Hæretici, de sacris Libris judicandum esset, pessimè fuisset Ecclesiæ consultum; nam quandò variarent, ut sæpè contingere assolet, privatorum opiniones, & alius alium Librum censeret canonicum, quis obqrtam litem dirimeret, & certum judicium pronunciaret, si id juris ad Ecclesiam non pertineret? Sic in re tanti momenti contentiones, quæ perpetuò emergerent, corpus Ecclesiæ in varias partes & factiones distraherent, ejusque sacram auctoritatem humanæ opiniones penitùs labefactarent; cui Ecclesiæ divisioni omnem aditum præclusit Christus Dominus, Matth. cap.18. dicens: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.*

Et Matth. cap. 23. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi; quæcumque dixerint vobis servate & facite.* Hinc Apostolus Paulus epist. ad Galatas cap. 2. hæc scribit, quæ maximè commendant Ecclesiæ auctoritatem: *Ascendi*, inquit, *Hierosolymam cum Barnaba, & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in gentibus; seorsùm autem iis, qui videbantur aliquid esse, nè fortè in vanum currerem, aut cucurrissem.* Deniquè, Sancti Patres priorum Ecclesiæ sæculorum, quæ Hæretici *aurea sæcula* appellare solent, disertè docent, Ecclesiam consulendam esse in omnibus dubiis, quæ exoriri possunt. S.Irenæus lib. 3. adversùs hæreses cap. 3. hæc habet: *Ad hanc Ecclesiam*, idest Romanam, *propter principaliorem principalitatem necesse est convenire omnem Ecclesiam, hoc est, omnes, qui sunt undiquè fideles, in qua semper conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.* S.Cyprianus lib. 1. epist. 3. suam mentem aperit his verbis: *Nec enim aliundè hæreses obortæ sunt, aut nata schismata, quàm indè quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex cogitatur.* Rem planè conficit S.Augustinus in libro contra epistolam fundamenti cap. 5. ubi in hæc verba prorumpit: *Evangelio non crederem, nisi Ecclesiæ me commoveret auctoritas.* Cùm igitur omnibus Libris tàm veteris, quàm novi Testamenti superiùs enumeratis, Ecclesia Catholica divinam vindicarit auctoritatem, nemini locus dubitandi superesse potest, illos Libros integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata Editione habentur, pro sanctis & canonicis suscipi debere, sicut definivit Concilium Tridentinum contra illos Hæreticos, qui Protestantium & Reformatorum speciosum titulum perperàm ambiunt, atque sacrilegâ temeritate non solùm quosdam Libros integros tàm veteris, quàm novi Testamenti ex canone sacrarum Scripturarum expunxerunt, sed insignes etiam aliquas sacrorum aliorum Librorum partes tanquam spurias & adulterinas eximere & resecare præsumpserunt, videlicet, sex postrema capita libri Estheris, quædam

dam ex libro Danielis capita, in quibus habentur Hymnus trium Puerorum, Historia Susannæ & Draconis &c.

Argumenta, quæ contra hanc Catholicam assertionem proponunt Hæretici Ecclesiæ auctoritatis osores, quamvis levioris sint momenti, ea tamen hìc diluere non abs re erit, ut Scripturæ Sacræ canon, quem texuit sacro-sancta Synodus Tridentina, ab ipsorum argutiis vindicetur.

Arguunt itaque primò Hæretici, Scripturæ auctoritas est divina, ergò non debet ab hominibus testimonium accipere, juxtà illud Christi, cap. 1. Joannis: *Ego non ab homine testimonium accipio*, atqui judicium Ecclesiæ humanum est, utpotè latum ab hominibus, ergò non pertinet ad Ecclesiam judicare & definire, quinam sint Libri Scripturæ Sacræ canonici, quinam verò spurii?

Præterea, non potest inferior Judex judicare de superiori, cùm igitur Ecclesia inferior sit Scripturâ Sacrâ, nullum de ea ferre potest judicium, nec de Libris canonicis examen instituere.

Respondeo ad primum, divinam Auctoritatem ab homine testimonium quidèm non accipere, homines tamen à Deo missos ei testimonium perhibere posse. Sic Deus Prophetas & Joannem Baptistam misit, ut Christo Domino perhiberent testimonia. Quin etiam ipsemet Christus Apostolos suos tanquam testes misit: *Eritis mihi testes in Hierusalem, & usque ad extremum terræ*, Actuum Apostol. cap. 1. Eo in sensu Ecclesia auctoritate Dei donatâ declarat, nobisque, juxtà avitam Sanctorum Patrum traditionem, testatur, quinam sint genuini Libri sacri, quisnam germanus Scripturæ sensus? Quandò igitur Christus ait loco in objectione laudato: *Ego non ab homine testimonium accipio*, significare dumtaxàt voluit, se non egere aliorum hominum testimonio ad faciendam suæ missioni fidem, quippè quam per sua Opera, seu Miracula sufficientissimè probabat, undè ibidèm subdit: *Ego habeo testimonium majus Joanne, opera enim, quæ ego facio, testimonium perhibent de me*. Addo etiam, vehementer falli Hæreticos, dum fidenter asserunt, aucto-

ritatem Ecclesiæ esse purè humanam, cùm tamen divina sit, manans à Spiritu Sancto, qui Ecclesiam docet, regit, vivificat, & per eam loquitur.

Ad alterum momentum respondeo, auctoritatem Scripturæ Sacræ, & auctoritatem Ecclesiæ non se habere per modum superioris, & inferioris, sed ut eamdem auctoritatem Dei, qui ad nos instruendum utitur & Scripturâ Sacrâ tanquàm instrumento inanimato, & utitur Ecclesiâ tanquàm instrumento & organo vivo. Quò fit, ut Scriptura Sacra & Ecclesia se se mutuò iuvent, non secùs ac Lex & Judex, in quibus eadem publica auctoritas viget, sed diversimodè; Lex enim se habet instar Judicis inanimati, Judex verò, ut Lex viva. Quocircà, sicut Magistratus Legis sensum interpretari debet, non verò quilibet privatus, ita ad Ecclesiam pertinet germanum Scripturæ Sacræ explicare sensum, & definire, quinam Libri sint canonici, quinam verò adulterini.

Arguunt secundò Hæretici, si ratio, propter quam credimus, Libros Scripturæ esse sacros & canonicos, sit auctoritas Ecclesiæ definientis, illos esse canonicos ac divinos, sequitur primò, fidem nostram non resolvi in Deum, qui est prima veritas in dicendo, sed resolvi in Ecclesiam. Secundò, sequitur, dari in fidei nostræ resolutione circulum vitiosum. Nam si quis à nobis quærat undè nobis constet, Libros Scripturæ esse canonicos ac divinos? confestim respondebimus, id nobis innotescere testimonio Ecclesiæ, quæ errare haùd potest. Rursùs, si quis quærat undè hoc habeamus, quòd Ecclesia errare non possit? incunctanter respondebimus, id nobis exploratum esse ex ipsamet Scriptura Sacra, quæ docet, Ecclesiam esse Sponsam Christi, Columnam & Firmamentum Veritatis. Sicque, ut nemo non videt, in resolutione fidei nostræ erit circulus vitiosus.

Respondeo ad illa duo momenta, & ad primum dico, fidem nostram resolvi in Ecclesiam, quantùm ad propositionem directivam, sed non quantùm ad motivum, seù rationem formalem credendi. Hoc est, ea, quæ fide tenemus, acci-

accipimus quidèm ex testimonio Ecclesiæ, quæ est vox Spiritus Sancti, oraculum & organum, quo nobis proponitur fidei objectum, Revelatio tamen divina in sacris Libris contenta, est ratio formalis, seù motivum fidei nostræ. Ex.gr. Credimus Mysterium Incarnationis, quia in sacris Libris à Deo est revelatum, & hæc divina Revelatio est motivum, seù ratio formalis fidei nostræ. Ast quia certi sumus ex indeficienti Ecclesiæ judicio de divina Revelatione in sacris Libris contentâ, ideò fides nostra resolvitur in Ecclesiam, ut in regulam dirigentem, nobisque certò proponentem Revelationem divinam.

Ad secundum dico, nullum in resolutione fidei nostræ dari circulum propriè dictum, sicut falsò sibi persuadent Hæretici. Ex uno quidèm in aliud fit transitus ac regressus, sed diversâ planè ratione, & in diverso causarum genere. Nam divina Revelatio est causa formalis assensus fidei, Ecclesia verò habet rationem dirigentis ac disponentis, seù conditionis, sine qua non crederemus. Sic absque ullo circulo formali & vitioso novum Testamentum è veteri, & versâ vice vetus Testamentum è novo confirmatur. Sic Joannes Baptista venit, ut testimonium perhiberet de lumine, idest, de Christo, & vicissim Christus testimonium perhibuit Joanni. Sic deniquè citrà circulum vitiosum solenne est Philosophis probare causam per effectum, & effectum per causam.

Arguunt tertiò Hæretici, quilibet Fidelis potest per internam Spiritus Sancti assistentiam cognoscere verbum Dei, & discernere Libros sacros à spuriis, ergò necesse non est recurrere ad auctoritatem Ecclesiæ. Probatur antecedens. Dicitur Hieremiæ cap.31. *Non docebit ultrà Vir proximum suum, & Vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: Omnes enim cognoscent me à minimo usque ad maximum.* 1.Joannis cap.2. *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed unctio ejus docet vos de omnibus.* Joannis cap. 7. *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrùm ex Deo sit.* Et cap.10. *Oves meæ vocem meam audiunt.* Hinc Apo-

Apostolus Paulus 1. ad Corinth. cap. 2. sic loquitur: *Spiritualis homo judicat omnia, & ipse à nemine judicatur*. Et 2. ad Corinth. cap. 4. ait: *Quod si opertum est Evangelium nostrum, in iis, qui pereunt, est opertum, in quibus Deus hujus sæculi excæcavit oculos Infidelium, ut non fulgeat eis illuminatio gloriæ Christi*.

Respondeo, hæc omnia laudata Scripturæ Sacræ testimonia evincere dumtaxat præter exteriùs Ecclesiæ testimonium, requiri insuper ad credendum lumen internum & cælestem quamdam unctionem, quâ quisque interiùs persuadetur, & aures accipit ad audiendum, cor ad credendum, prudentiam ad discernendum credenda à non credendis, quod sanè nullus Catholicus it inficias. Verùm hæc interna unctio & cælestis illa lux non prohibet, sed potiùs inter alia maximè docet & præcipit, ut Ecclesiam audiamus, ut ad ejus judicium falli nescium in difficilibus emergentibus quæstionibus confugiamus, ut ejus consensum ac definitionem privato sensui nostro innumeris erroribus obnoxio præferamus. Sic, eâ prælucente & intùs docente unctione, fidem exteriùs edocti acceperunt Eunuchus Candacis Reginæ à Philippo, Cornelius à Petro, Paulus ab Anania. Spiritus scilicet Dei, qui non est spiritus dissensionis, sed pacis & unitatis, intùs docet nos omnia, quæ sunt necessaria ad servandam Ecclesiæ unitatem, ad obediendum Prælatis. Id autem, quod obstinatis animis propugnant Hæretici, docet spiritus dissensionis, erroris & perditionis, videlicet, non audire Ecclesiam, ejus definitionibus privatum suum præferre judicium, ad proprium suum arbitrium fidei regulam examinare, Scripturæ Sacræ interpretationem omnibus indiscriminatim hominibus & mulierculis permittere. Hic enim fons est, ex quo hactenùs scaturierunt omnes hæreses & schismata, hoc est portentosum dogma, quo semèl admisso, omnis omninò ad convincendos Hæreticos, & proscribendos errores præcluditur aditus, cùm omnes Hæretici jus sibi arrogent Scripturam Sacram pro arbitratu interpretandi, & de interna illa Spiritus Sancti assistentia sibi adblan-

blandiantur, cujus beneficio omnia nova, quæ procudunt, dogmata in sacris litteris revelata esse, clarèque contineri præfractè contendunt. Deniquè, quandò Apostolus Paulus ait: *Quod si opertum est Evangelium nostrum &c.* non loquitur Apostolus de Scriptura Sacra, sed de fide in Christum, quam Apostoli sine verborum involucris ubique clarè prædicarunt, & quam tamen multi ex Gentilibus & Judæis odio & livore abrepti, & cordis iniquitate occæcati auscultare & amplecti noluerunt. Addo etiam, Scripturam Sacram esse claram ac perspicuam his in locis, seù capitibus, in quibus vel generalia fidei dogmata, vel morum præcepta continentur, vel sacræ referuntur Historiæ, quo in sensu Apostolus Paulus & aliqui Sancti Patres docent, Scripturam esse claram. Cæterùm, Scripturam Sacram nullibi obscuram esse, & promiscuè ab omnibus citrà externam Ecclesiæ auctoritatem intelligi, penetrari, & explicari posse, insulsum est Hæreticorum dogma superiùs à nobis abundè confutatum.

Arguunt quartò Hæretici, multi Libri veteris Testamenti, videlicet, Libri Judith, Tobiæ, Ecclesiastici, Sapientiæ, & duo priores Machabæorum Libri unanimi veteris Ecclesiæ suffragio è canone sacrorum Librorum fuerunt expuncti. Dubitatum est etiam in primis Ecclesiæ temporibus de epistola Pauli ad Hebræos, de epistola Jacobi, de epistola Judæ, de secunda epistola Petri, de secunda & tertia Joannis, & de Apocalypsi. Non potuit igitur Concilium Tridentinum ejusmodi Libros canoni sacrarum Scripturarum accensere. Probant minorem Hęretici variis momentis: primò, quia sex Libri veteris Testamenti, seù Judith, Tobiæ, Ecclesiastici, Sapientiæ, & duo priores Machabæorum Libri non reperiuntur in canone Judæorum, nec eos ut canonicos agnovit vetus Synagoga, in discernendis Libris sacris, antequàm à Deo reprobaretur, optima regula & à qua vetus Testamentum Catholica suscepit Ecclesia.

Secundò, in canonibus, qui dicuntur Apostolici, canone octuagesimo quarto, ubi recensentur Libri canonici, ex-

excluduntur Libri Tobiæ, Judith, Sapientiæ, & Ecclesiastici.

Tertiò, Melito Sardensis, qui primus Christianorum circà medium secundi sæculi, imperante Marco Antonino, texuit catalogum Librorum veteris Testamenti, qui suo tempore canonici in Ecclesia habebantur, post exactam inquisitionem, sicut refert Eusebius lib.4. Histor. Ecclesiast. cap.26. & postquàm datâ operâ hujus rei explorandæ gratiâ Orientales perlustrasset Ecclesias, à quibus profecta erat Evangelii prædicatio, hos sex veteris Testamenti memoratos Libros in suo canone non reposuit, sed viginti duos Libros dumtaxat veteris Testamenti recensuit. Eosdem etiam sex Libros à suo catalogo rejecit Origenes apud Eusebium lib.6. Hist.Eccles. cap.25. quem Origenis catalogum secuta Laodicena Synodus, in qua primò conditus est canon sacrorum Librorum, sex illos Libros itidèm in suo canone non recepit.

Quartò, antiquum illum canonem Scripturæ Sacræ, à quo sex illi laudati Libri eximuntur, secuta est penè unanimis succedentium Sanctorum Patrum cohors, videlicet, S.Athanasius in epistola sua festali, Auctor Synopsis Scripturæ Sacræ, S.Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi quartâ, Hilarius Præfatione in Psalmos, Amphilochius in epistola ad Seleucum relata à Balsamone, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Hieronymus, Auctor Hierarchiæ Ecclesiasticæ, Leontius Bizantinus in lib. de Sectis, Anastasius Sinaita, Joannes Damascenus, uterque Nicephorus, & multi alii veteres doctrinâ & pietate conspicui.

Deniquè, testatur Eusebius lib.2. Histor. Eccl. cap.23. epistolam Pauli ad Hebræos, epistolam Jacobi, postremam Petri, secundam & tertiam Joannis, & epistolam Judæ non fuisse ab omnibus Ecclesiis receptas. Patres igitur Concilii Tridentini ab avita traditione recesserunt, dùm illis Libris & epistolis divinam vindicarunt auctoritatem, quâ in tota retrò antiquitate caruerunt.

Priusquàm his momentis faciam satis, velim in antecef-

cessum observet Lector, inter Libros tàm veteris, quàm novi Testamenti alios esse, qui dicuntur *Proto-canonici*, alios verò, qui appellantur *Deutero-canonici*. Libri Proto-canonici sunt hi, qui extrà omnem dubitationis aleam positi, semper, ubiquè & ab omnibus fuerunt in Ecclesia tanquàm sacri & canonici recepti, sicut, exempli gratiâ, Pentateuchus Moysis, & quatuor Evangelia. Libri Deutero-canonici sunt hi, qui, licèt in sacrorum Librorum canonem sint modò relati, antiquitùs tamen ut sacri & canonici non admittebantur ab omnibus Ecclesiis, sed anceps erat eorum auctoritas. Ejusmodi sunt in veteri Testamento Libri Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, sex postrema capita Libri Esther, quædam Danielis capita, primus & secundus Machabæorum, & in novo Testamento epistola Pauli ad Hebræos, epistola Jacobi, postrema Petri, secunda & tertia Joannis, epistola Judæ &c.

Hæc igitur omnia momenta, quæ proponunt Hęretici, evincunt quidèm, hos sex recensitos veteris Testamenti Libros non esse Proto-canonicos, at non probant, eos non esse Deutero-canonicos, sicut profitentur omnes Catholici. Quapropter, ut singillatim diluantur hæc Hæreticorum momenta, ad primum respondeo: veterem quidèm Synagogam hos sex veteris Testamenti Libros, de quibus in præsentia lis est, suo canoni non inseruisse, quia post Esdram, qui tempore Artaxerxis Longimani filii Xerxis Persarum Regis vivebat, & Sacram Scripturam post solutam captivitatem Babylonicam instauravit, Prophetarum series defecerat, quorum auctoritate Libri in sacrum canonem referebantur. Cùm igitur hi sex Libri post reditum Judæorum ad patriùm solum fuerint conscripti, ideò non fuerunt repositi in canone, quem texuit & clausit Esdras, non quod re ipsâ canonici non essent, sed defectu Prophetiæ auctoritatis eos approbantis, sicut disertè asserit Josephus lib. 1. contrà Appionem: *Ab Artaxerxe*, inquit, *usque ad nostrum tempus; singula quidèm conscripta, non tamen prioribus simili fide sunt habita, eò quòd non fuerit certa successio Prophetarum:*

Hi igitur ſex Libri, ut loquitur S.Epiphanius in lib.de Pond. & Menſur. *In Aron, ſeù Arca Teſtamenti non reponuntur*, ubi S.Epiphanius per vocem *Aron* intelligit armarium,quod eſt in Synagogis Judæorum, & hodiè *Aron* appellatur, ipſo vocabulo, quo Arca Fœderis olim deſignabatur. Hujus etiam armarii Judæorum meminit Tertullianus lib.de Cultu Femin. in quo librum Enoch non eſſe ſacrum probat, quod *nec in armarium judaicum admittatur*. Verùm hæc auctoritas ſex illos Libros in canonem referendi, quæ poſt ſolutam captivitatem Babylonicam, jam ſeneſcente Synagogâ, defecerat, revixit in Eccleſia Chriſtiana, cujus ſuffragio & indeficienti judicio his ſex Libris divina aſſerta eſt auctoritas. Eccleſia quidèm occidentalis ſex illos Libros in Concilio Tridentino, juxtà antiquam Sanctorum Patrum traditionem, ſolemni decreto canonicos eſſe declaravit. Eccleſia verò orientalis Synodum Carthaginenſem admiſit, quâ omnes iſti Libri cum cæteris nullo diſcrimine in canone Scripturæ Sacræ recipi jubentur. Undè Synodus Bethleemitica quoſdam Libros, qui in Canone Laodiceno, cujus auctoritatem *Cyrillus Lucaris* Calviniſtarum ſectæ adhærens prætexuerat, deſiderantur, cæteris Libris Scripturæ Sacræ addendos eſſe ſancivit. Cui ſanctioni *Dionyſius* Conſtantinopolitanus Patriarcha cum aliis benè multis Epiſcopis & Presbyteris ſuffragatus eſt in reſponſione ad articulos Calviniſtarum Anno 1672. Huic igitur utriuſq; Eccleſiæ orientalis nimirùm & occidentalis circà canonem ſacrorum Librorum conſenſioni fideles omnes accedere, firmiterque adhærere par eſt.

Ad alterum momentum reſpondeo, conſtare apud peritos hujus tempeſtatis Viros, hunc canonem, qui ſub Apoſtolorum nominibus circumfertur, eſſe ſuppoſititium, ac ſubinde dubiæ, valdèque incertæ auctoritatis. Certè negari haùd poteſt, in illo citato canone octuageſimo quarto tres recenſeri Machabæorum Libros tanquàm canonicos. Porrò, ſi ita decreviſſent Apoſtoli, nunquam Eccleſia tertium Machabæorum Librum ad Apocryphorum claſſem ablegaſſet, nec

nec ullo pacto ab errore vindicari possent antiqui Sancti Patres & Scriptores Ecclesiastici, qui diù dubitarunt, an duo priores Machabæorum Libri essent canonici? palàm igitur est canonem illum spurium & addititium esse.

Ad tertium momentum respondeo, Melitonem & Origenem canonis dumtaxat Judæorum rationem habuisse, adeòque eos exclusisse Libros, quos in suo canone Judæi non recipiebant, præcipuè quia Ecclesia tùm temporis super hac controversia decretorium suum judicium necdùm tulerat. Synodus pariter Laodicena hos tantùm Libros canonicos recensuit, de quibus nullus eâ ætate ambigebat Catholicus, illos verò consultò omisit, qui apud aliquas quidèm Ecclesias canonici habebantur, sed de quibus tamen aliæ, salvâ & inculpatâ fide, dubitabant Ecclesiæ. Nunc autem propalatâ circa numerum Librorum canonicorum universalis Ecclesiæ definitione, nullus omninò superest dubitandi locus, sed omnes fideles judicio Ecclesiæ pronis animis acquiescere debent.

Ad ultimum momentum respondeo, Sanctos Patres in objectione laudatos canonem Judæorum fuisse secutos, ac proindè mirum non esse, si hos tantùm Libros tanquam canonicos agnoverint, quos complectitur Judæorum canon. In quam sententiam tùm temporis citrà ullum erroris periculum ire & descendere potuerunt, cùm hac de re quidquàm nondùm definiisset Ecclesia. At nunc cùm Ecclesia, propter procacem Hæreticorum audaciam, in repudiandis, vel infirmandis Libris canonicis, sacrorũ Librorum texuerit catalogum, nemini Catholico integrum est ab eo canone discedere, non secùs ac tanquàm hæreticus apud omnes audiret ille, qui millenariorum errorem jam solemni Ecclesiæ definitione in Conciliis Florentino & Tridentino promulgatâ proscriptum postliminio revocare & propugnare vellet, quamvis aliundè constet, aliquos antiquos Patres & Scriptores Ecclesiasticos, antequàm hæc quæstio ab Ecclesia eliquata ac definita esset, millenariorum opinioni fuisse patrocinatos.

Superest nunc, ut in calce hujus Paragraphi pauca dicam de Libris Apocryphis veteris Testamenti. Per Libros Apocryphos intelliguntur hi Libri, qui in canone Judæorum & Christianorum non extant, idest, quorum nulla, vel dubia est auctoritas, & ideò publicè in Ecclesia non leguntur, sicut observant Sancti Patres Augustinus lib. 15. de Civitate Dei, cap. 23. & Hieronymus epist. 7. ad Lętam. Apocryphi nomen deducitur à verbo gręco αποκρυπτω, quod idem latinè sonat ac occulto, abdo, abscondo. In hac Librorum Apocryphorum veteris Testamenti classe reponi debet oratio Manassis Regis, cujus mentio fit lib. 2. Paralipom. cap. 33. vers. 19. & integra attexitur ad Bibliorum calcem. Ad eamdem itidem Apocryphorum classem ablegari debent Psalmus centesimus quinquagesimus primus, appendix, quæ est in fine libri Job, in qua texitur Genealogia Job, Præfatiuncula, quæ est in capite Threnorum Jeremiæ, libri tertius & quartus Esdræ, libri tertius & quartus Machabæorum, libri de ascensione Moysis, de Testamento Moysis, aliique ejusdem furfuris libri, quos antiquis Patriarchis affinxerunt Hęretici, & Catholica reprobavit Ecclesia. De libro tamen Enoch, qui ampliùs non extat, paulò major est difficultas, an fuerit canonicus, nec nè? Laudatur quidèm hic liber Enoch ab antiquis Patribus, videlicet, Justino, Irenæo, Clemente Alexandrino, Tertulliano, Origene, Athenagora, Augustino, & Hieronymo, sed omnes illi Patres, excepto Tertulliano, ejusmodi librum tanquam Apocryphum, & Patriarchæ Enoch falsò attributum, rejiciunt. Sanè ex fragmento illius libri Enoch, quod Georgius Syncellus suæ Chronographiæ, & Josephus Scaligerus Notis suis ad græca Eusebii inseruerunt, clarè colligitur, hunc librum non ab homine divinitùs inspirato fuisse exaratum, sed potiùs à nugaci quodam & impio Scriptore, qui multa de Stellis, earumque virtutibus, de Angelis mulierum amatoribus, & cum ipsis nefariè se se commiscentibus, de Gigantibus ab ipsis procreatis, de ultimo Judicio, & de Resurrectione Corporum fabulatur. Apostolus quidèm Judas in epistola

sua

sua canonica ait, prophetasse Enochum septimum ab Adamo Patriarcham, & dixisse: *Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis*, sed nulla inde libro Enoch conciliatur auctoritas, tùm quia S.Judas hanc Enochi prophetiam non scripto traditam, sed ore tantùm prolatam vel ex traditione, vel speciali Dei afflatu exploratam habere potuit; tùm quia, ut probabilius censet S.Hieronymus in cap. 1. epistolæ ad Titum, potuit S.Judas in epistola sua canonica citare testimonium desumptum ex libro Enoch, quamvis Apocryphus esset, non secùs ac Apost.Paulus in suis epistolis ad confundendos Gentiles laudat àliquandò Poëtarum Arati, Menandri, & Epimenidis testimonia,quæ sacræ tamen & canonicæ epistolarum Pauli auctoritati non officiunt. Citatur etiam liber Enoch in quodam libro', qui *de duodecim Patriarcharum Testamentis* inscribitur, sed hic liber nullius auctoris nomine inscriptus, tanquam suppostititius & adulterinus jure merito proscribitur ab omnibus, utpotè figmentis, fabulis, erroribus, mendaciis refertus, pluraque continens, quæ cum sacro Scripturæ Textu apertè pugnant, ut videre est apud doctissimum *P.Nicolaum Le Nourry* Ord.S.Benedicti è Congregat. S.Mauri cap.2. dissert.12. *in Apparatu ad Bibliothecam maximam Patrum*.

Præter istos Apocryphos veteris Testamenti libros, alii sunt, quos ad novum spectantes Testamentum Gelasius Papa Apocryphos itidèm esse declaravit in Concilio Lxx. Episcoporum Romæ habito Anno 494. tales sunt octo libri Itinerarii Clementis, liber Pastoris, multa Evangelia Apostolorum nominibus inscripta, Acta Andreæ, Philippi, Petri, Thomæ, nomina falsò præferentia, liber de infantia Salvatoris, alter item de ejus nativitate, Acta Theclæ & Pauli, liber, qui *Mariæ transitus* inscribitur, Epistola Christi ad Abgarum Regem Edessenorum, & vicissim epistola Abgari ad Christum, & alia hujusmodi opera, quæ, quamvis interdùm à SS. Patribus citentur, certâ tamen & publicâ ad faciendam fidem in Ecclesia auctoritate carent, de quibus in ultima hujus libri parte differendi opportunior se se dabit occasio.

PA-

PARAGRAPHUS SECUNDUS,

In quo diluuntur objectiones, quas ſpeciatim Heterodoxi proponunt contra Libros Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Eccleſiaſtis, Cantici Canticorum, & contra quædam Libri Danielis capita.

UT Scripturæ Sacræ contra Atheos, Infideles, & Hæreticos efficaciùs ſtabiliatur auctoritas, diluendę ſunt ſingillatim objectiones, quibus ſacrorum Librorum divina impetitur Revelatio. Ut autem clariori methodo procedam, his in primis objectionibus faciam ſatis, quas proponunt Hæretici contra librum Tobiæ, deindè in eodem Paragrapho, & in alio ſequenti diluam alia objecta, queis aliorum Veteris Teſtamenti Librorum fides perperàm in dubium revocatur.

DILUUNTUR OBJECTIONES

Contra Librum Tobiæ.

ARguunt primò Hæretici, ipſa Tobiæ Hiſtoria præ ſe fert ſpeciem parabolæ, ſeù potiùs piæ cujuſdam fabulæ de induſtria excogitatæ ad conſolandos Judæos, qui in captivitatem Babylonicam erant abducti, variiſque calamitatibus oppreſſi. Liber ſiquidèm Tobiæ exhibet Virum bonum & Dei cultorem, nunc divitiis affluentem, mox illis ſpoliatum, imò viſu privatum inopinato & admodùm extraordinario caſu. Dùm enim Tobias à ſepeliendis mortuis nimiùm fatigatus parieti incumbens placidum ſomnum carperet, calida ſtercora è nido hirundinum in ejus oculos inciderunt, & confeſtim viſu orbatus eſt; ſed poſtea ſanatus dicitur non minùs ſtupendo & incredibili modo, nempè, fel-

felle piſcis. Quis autem non videt, ſimiles circumſtantias & inſperatos caſus conſultò ab auctore iſtius libri inſertos fuiſſe, ut jucundior eſſet lectio, perindè ac factitare ſolent, hi, qui fictas ac fabuloſas narrationes obtrudunt. Quin, quod ſatis feſtivum ac lepidum eſt, non omiſit illius libri auctor canem, qui comitabatur Tobiæ filium, & reditum ejus præfeſtinè percurrendo nunciavit. Cùm igitur hic liber Tobię hæc & alia id genus referat, quæ aniles fabulas olent, ſacer ac canonicus dici haùd debet.

Reſpondeo, ex illa mirabili caſuum varietate & accurata circumſtantiarum in Hiſtoria Tobiæ narratione apertè dignoſci poſſe ſincerum & candidum hujus libri auctoris animum. Quippè qui nihil eorum celare voluit, quæ ad pleniorem Hiſtoriæ notitiam deſiderari poterant. Mirabiles etiam illi atque inopinati caſus, qui Tobiæ contigerunt, demonſtrant ſpecialem Dei providentiam in electos, quos Deus hac in mortali vita adverſis fortunæ caſibus interdùm jactari permittit, ut eos poſt conſtantem in exantlandis laboribus patientiam maximis cumulet beneficiis, & arcanis ſolatiis atque incredibili lætitiâ perfundat. Sicut enim in humana militia vices rerum ſunt, & labores otio, dura jucundis recreantur; & poſt diros in pręliis conflictus celebrantur Epinicia, ita & Deus Optimus Maximus omnia ſapienter moderatur, ut & viciſſim rebus aſperis exerceat, probetque militum ſuorum, ideſt, electorum fortitudinem, & rursùs ſolatio quopiam invitet ad gratulationem & ad gratiarum actionem, quemadmodùm dicit Apoſtolus: *Superabundo gaudio in tribulationibus meis*. Hic eſt electorum triumphus, qui & in afflictionibus ſibi ſemper conſtantes ac invicti ſunt præſidio Dei, & dùm ipſis aliquid proſperitatis affulget, id totum gratis animis adſcribunt bonitati, munificentiæque divinæ, quò fit, ut nec ſæviente fortunâ deſpondeant animum, nec rebus proſperioribus inſoleſcant. Tantùm igitur abeſt, ut Tobiæ Hiſtoria variis circumſtantiis & inopinatis caſibus reſperſa, tanquàm fabuloſa explodi debeat, ut potiùs candorem illius auctoris & eximiam Dei er-

erga electos suos providentiam maximè commendet.

Arguunt secundo Hæretici, Josephus, licèt in Antiquitatibus judaicis versatissimus esset, & ad publicanda gentis suæ decora propensissimus, de Historia tamen Tobiæ nè ullum quidèm verbulum fecit, sed illam altissimo silentio prætermisit, quod argumento est, fuisse Josepho persuasum, hanc Tobiæ historiam esse puram putamque fabulam, indignam, quæ aliis sinceris ac genuinis gentis judaicæ antiquitatis monumentis, quæ describenda susceperat, insereretur.

Respondeo, tribus potissimùm de causis Josephum hebræum nullam in antiquitatibus judaicis de libro Tobiæ mentionem fecisse: primò, quia Historia Tobiæ clàm veluti gesta, & intra unius familiæ terminos domesticos clausa non pertinebat ad publicam gentis judaicæ Historiam, quam Josephus dumtaxat litteris consignandi provinciam susceperat. Prætereà, Josephus ad conscribendam Judæorum Historiam uti noluit libro Tobiæ, quia non hebraicè, sed chaldaicè erat exaratus. Hinc idem Josephus in libris de Antiquitate judaica prætermisit omninò Historiam Job, quæ ad judaicæ nationis Historiam nihil conferebat. Denique, dici potest, librum Tobiæ ideò fuisse à Josepho prætermissum, quia hic liber Tobiæ non extabat in canone primario Judæorum. Sunt enim aliqui Sacræ Scripturæ Interpretes, qui non improbabiliter conjiciunt, Judæos duplicem habuisse sacrorum Librorum canonem; unum primarium, qui continebat libros Prophetarum usque ad tempora Esdræ scriptos, à quo Scriba post captivitatem Babylonicam canon ille fuit obsignatus & clausus: alium quasi secundarium canonem, qui comprehendebat libros prophetico quidèm spiritu conscriptos, sed quodam inferiori prophetiæ genere. Apud Judæos quippè duplex prophetiæ genus distinguitur, unum excellentius sub priori Templo, quod vocant *Spiritum Sanctum*, quodque desiit circà tempora Esdræ; aliud obscurius, quod nuncupant *Filiam Vocis*, idest, Inspirationem, divinam quidèm, sed obscuriorem, quàm esset prior.

Hoc

Hoc genere Inſpirationis ſcriptos Libros, tanquàm divinos, ſeù Agiographos habebant quidèm Judæi, ſed non eodem gradu, quo priores; undè ad primarium canonem eos minimè referebant. In hoc igitur ſecundario canone Judæi reponebant librum Tobiæ & librum Judith, de quo mox dicturus ſum.

Arguunt tertiò Hæretici, auctor libri Tobiæ ſibi apertè contradicit: ergò liber Tobiæ non eſt canonicus. Probatur antecedens. Capp. 3. & 5. libri Tobiæ dicitur, quòd *Sara* cum patre ſuo Raguele maneret in *Rages* Civitate Medorum, & quòd junior Tobias, cùm hùc perveniſſet, apud eos diverterit, & fuerit commoratus. At cap.9. ejuſdem libri dicitur, quòd Tobias ex domo Raguelis miſerit Angelum ad Gabelum in *Rages* Civitatem Medorum. Quo in loco manifeſtâ contradictione ſe ſe implicat illius libri auctor, non ſecùs ac ille palàm ſibi contradiceret, qui, Romæ degens, diceretur mittere aliquem ſervum Romam ad amicum ſuum.

Reſpondeo, nullam in libro Tobiæ reperiri contradictionem. Nam primò fieri poteſt, ut duæ extiterint Civitates ejuſdem nominis *Rages* cum aliqua vocum diſtinctione, quæ in Verſionibus ſenſim intercidit. Secundò, dici poteſt, Gabelum & Raguelem Cives quidèm fuiſſe ejuſdem Urbis Rages, ſed Raguelem cum filia ac totâ familiâ ſuâ manſiſſe in villula rurali ab urbe Rages aliquot milliariis diſſitâ. Gabelum verò habuiſſe domicilium ſuum in ipſamet urbe Rages; quò fit, ut ex rurali domo Raguelis potuerit Tobias mittere Angelum ad Gabelum in urbe Rages manentem. Addo etiam adversùs Hæreticos,in Verſione græca lib. Tobiæ cap.3. dici, Raguelem cum filia ſua Sara manſiſſe non in urbe Rages, ſed in Ecbatanis Metropoli Medorum, quæ civitas erat in planitie, urbs autem Rages ſita erat in monte non procùl diſſito. Per quam græcæ Verſionis lectionem evaneſcit omninò apparens illa antilogia,quæ in libro Tobiæ occurrere videtur.

Arguunt ultimò Hæretici, multa mendacia reperiun-

Aa tur

tur in libro Tobiæ, ab Angelo Raphaële ductore junioris Tobiæ prolata: ergò liber Tobiæ non est canonicus. Probatur antecedens. Angelus Raphaël cap.5. verf.7. lib. Tobiæ interrogatus undè esset? incunctanter respondit: *Ego sum ex filiis Israël*. Et verf.8. interrogatus, an nosset viam, quæ ducit in Regionem Medorum? respondit: *Novi & omnia itinera ejus frequenter ambulavi, & mansi apud Gabelum fratrem nostrum*. Porrò Angelus Raphaël nec erat oriundus ex filiis Israël, nec poterat esse frater Gabeli. Similiter verf.18. ejusdem capitis, Angelus Raphaël interrogatus à Tobia seniore, è qua prosapia suam haberet originem? respondit: *Ego sum Azarias Ananiæ magni filius*. Deniquè, Angelus Raphaël interrogatus à Raguele undè ipse & Tobias junior essent? respondit: *Ex tribu Nephtali sumus*. Certum autem est, Angelum Raphaëlem nec fuisse Ananiæ magni filium, nec ortum ex Tribu Nephtali. Verba igitur Angeli Raphaëlis à mendacio excusari non possunt, ac subindè liber Tobiæ non est canonicus.

Respondeo, nulla in verbis Angeli Raphaëlis reperiri mendacia. Nam primò, potuit citrà mendacium Angelus Raphaël asserere, se esse *ex filiis Israël*, quia Israëlitas & præsertim Tribum Nephtali custodiendi provincia à Deo ipsi fuerat demandata. Secundò, Angelus Raphaël absque mendacio appellavit Gabelum *fratrem suum*, quia, ut ait S.Gregorius Nissenus in libro de vita Moysis, Angelus est quodam modo frater hominis ob intellectualium connexionem, vel quia etiam Angeli sicut & homines eumdem patrem habent, scilicet Deum, eamdem naturæ spiritualis similitudinem, gratiæ sanctificantis adoptionem, & divinæ ac æternæ hæreditatis possessionem. Tertiò, Angelus Raphaël se Azariam esse dixit, quia formam & similitudinem Azariæ præferebat; perindè ac Angelus cap.31. Genesis, sine mendacio se Deum esse dixit, quia Dei personam præferebat, ejusque defungebatur officio. Deniquè, Angelus Raphael interrogatus à Raguele, undenàm ipse & Tobias junior, quem secum ducebat, essent? sine mendacio respondit:

dit : *Ex Tribu Nephtali sumus*, quia reverà Tobias ex Tribu Nephtali suum genus ducebat, Angelus verò Raphaël ad Tribum Nephtali non per naturæ generationem, sed per specialem à Deo deputationem, quâ ad Tribus Nephtali custodiam erat destinatus, pertinebat. Frustrà igitur in his Angeli Raphaëlis verbis mendacia expiscantur Hæretici, frustrà itidèm dubiæ, ancipitisque significationis vocum ex eo Raphaelis loquendi modo usum probare conantur laxones quidam Casuistæ, quorum error sæpiùs fulguritus, ac Vaticanis fuit protritus fulminibus.

Diluuntur Argumenta,

Quæ contra Librum Judith ab Hæreticis proponuntur.

Arguunt primò Hæretici, liber Judith speciem refert non tàm Historiæ, quàm Parabolæ, vel Tragicomediæ ad pietatem tamen & Mysterium aliquod exprimendum concinnatæ, idque ex nominibus, quæ personis hoc in libro imponuntur, facilè colligi posse videtur. At enim nomen *Judith* significat nationem judaicam, quæ tùm temporis, cùm desolata & omni ope humanâ esset destituta, rectè designatur per fæminam Judith, quæ erat vidua. *Nabuchodonosor*, de quo in libro Judith fit mentio, figura est Diaboli populum Dei affligentis. *Holofernes*, chaldaicè idem est ac latinè lictor serpentis. *Joachin*, seù *Eliachin*, idem sonat ac *Deus surgens*, nempè quòd Deus religiosis votis oppressi populi exoratus surgat ad liberandum populum suum. *Bethulia*, idem pollet ac *domus Dei*, idest, Religiosus cultus, quem Diabolus & ministri ejus oppugnant. Ergò ex nominibus, quæ actoribus, seù personis, quæ inducuntur in Historia Judith, imponuntur; facilè colligitur, librum Judith non tàm Historiæ sacræ, quàm Parabolæ, vel Tragicomediæ ad pietatem tamen & aliquod mysterium effictæ speciem præferre.

Respondeo, negando anteced. & ad ejus probationem dico, nemini mirum videri debere, quòd nomina personarum, quarum fit mentio in libro Judith, aliquid Mysticum, rebusque gestis appositè conveniens, significent. Id quippè non est insolens, sed potiùs commune omnibus fermè nominibus, quæ in sacris litteris habentur, quia, ut inquit S.Augustinus, in veteri Testamento & nomina & actiones & personæ aliquid propheticum habent atque figurativum, juxta illud Apostoli: *Omnia in figuris contingebant illis*. Præterquamquòd nomina personarum, de quibus habetur mentio in libro Judith, conficta non esse, duplici momento evinci potest: primò, quia ejusmodi personarum Genealogiæ describuntur in libro Judith, iisque designantur caracteribus, qui fabulosam narrationem minimè redolent, sed veracem potiùs exhibent Historiam. Prætereà, personarum nomina, quæ leguntur in libro Judith, erant tùm temporis in usu illius populi. Nam Gen. cap.26. v.34. legitur nomen Judith, quæ erat uxor Esau, filia Beeri Hethæi. In libro etiam Josue cap.19. mentio fit urbis *Bethul* Tribui Simeon concessæ, ex qua Judith suum genus ducebat. *Joachin* vero & *Eliachin* nomina sunt hebræa, in sacris litteris sat frequenter usurpata, sicut & nomen Nabuchodonosoris. Deniquè, *Appianus* in syriacis meminit cujusdam Holofernis, qui Ariarathis Cappadocum Regis frater erat. Ex quo patet, personarum nomina, quæ leguntur in libro Judith, non esse conficta.

Arguitur secundò, multa leguntur in libro Judith, quę Historiæ sacræ apertè repugnant: ergò liber Judith non est canonicus. Probatur antecedens. Juditha cap.9. se ipsam dicit filiam Simeonis, ac subindè ex ipsius Tribu oriundam. At verò cap.8. ejusdem libri, stirps Judithæ refertur ad Ruben alterius Tribus auctorem; immò, Simeon dicitur filius Ruben, & tamen constat, inter filios Ruben, qui in Scriptura Sacra recensentur, nullum Simeonem memorari. Undè liquidò colligitur, hanc Judithæ Historiam consarcinatam fuisse ab aliquo auctore Genealogiarum judaicarum om-

omninò imperito. Secundò, legitur in calce libri Judith, quòd *dies victoriæ hujus colitur à Judæis ex illo tempore usque in præsentem diem*. Porrò in ritibus judaicis nè minimum quidèm extat vestigium illius festivitatis à Judæis institutæ ad conservandam memoriam illius victoriæ, quam de Holoferne reportavit Juditha. Tertiò, Holoferni Assyriorum Militiæ Principi mentita est Juditha, dùm ei, cap. 11. vers. 15. dixit: *Ego adducam te per mediam Jerusalem*, quem tamen ipsa venerat occisura, eumque reverà occidit. Deniquè, Esdras, qui post solutam captivitatem Babylonicam sacras Scripturas instauravit, librum Judith in Canone non reposuit. Liber igitur Judith non est canonicus.

Respondeo ad singula illa momenta, & ad primum dico, Juditham verè oriundam esse è Tribu Simeon, sicut ipsamet testatur cap. 9. quapropter, quandò cap. 8. dicitur, quòd Juditha sit *filia Merari, filii Idox, filii Joseph, filii Oziæ, filii Salathiel, filii Simeon, filii Ruben*, ibique Judithæ sistitur genealogia, hic *Ruben* non est ille Patriarcha, qui fuit peculiaris Tribus auctor, sed est insignis aliquis Hebræus ex nepotibus Simeon, qui fuit nomine *Ruben* donatus. Addo etiam contra Hæreticos, Versionem græcam libri Judith pro *Rubene* exhibere *Israëlem*, totamque Genealogiam Judithæ terminare in Simeone, qui fuit filius Israël, seù Jacob. Hanc Versionem græcam secutus est S. Fulgentius epist. 2. cap. 14.

Ad alterum momentum respondeo, hunc ultimum versum, qui in libro Judith legitur, de die solemni, quam celebrabant Judæi propter victoriam à Juditha de Holoferne reportatam, non haberi in Versione græca. Verùm quia ille ultimus versus legitur in nostra Editione vulgata, quæ à Concilio Trident. fuit authentica declarata, dicendum est fieri potuisse, ut aliquot annis post victoriam Judithæ elapsis festivitas illa quibusdam in locis, præcipuè in urbe Bethuliæ à Judæis celebraretur, sed perturbatis Judæorum rebus hæc festivitas interciderit, non secùs ac pleraque apud nos lapsu & longo tractu temporum intercidere & antiquari solent.

Ad

Ad tertium momentum respondeo, Juditham non esse Holoferni mentitam, dùm ei dixit: *Ego te adducam per mediam Jerusalem*. Nam reverà Judith stetit promissis suis, si quidèm Holofernem per mediam Jerusalem duxit, non ut victorem, & triumphantem, sicut falsò sibi persuaserat ille Assyriorum Militiæ Princeps, sed victum & capite obtruncatum. Addo etiam cum S. Thoma 2. 2. quæst. 110. art. 3. ad 3. Juditham, factâ hypothesi, quòd Holoferni mentita sit, laudari in Scriptura Sacra, non quòd mentita sit Holoferni, sed propter affectum, quem habuit ad salutem populi, pro qua periculis se se exposuit.

Ad ultimum dico cum Illustrissimo Episcopo Abrincensi, librum Judithæ non fuisse repositum in canone Judęorum, quia eo tempore, quo ab Esdra conditus est ille canon, res judaicæ in tantis erant positæ angustiis, nondùm cinctâ mœnibus urbe, urgentibus undique adversariis, ut popularium suorum scriptiones omnes, quę in eum recipi mererentur, Esdras compilare non potuerit, ac proindè libri, qui semèl à canone fuerant seclusi, in eum ab Hebræis non fuerunt deinceps admissi postquàm clausus ac obsignatus est.

Quo tempore contigerit Historia Judithæ?

Hæretici Judithæ Historiæ fidem derogant, quia, ut inquiunt, circà tempus hujus Historiæ, maxima inter auctores oritur dissensio, nec ullus hactenùs repertus est modus, quem non premant insuperabiles difficultates, quique dilucidè explicare possit, quis sit Arphaxad? quisve Nabuchodonosor? quæ illa civitas Bethuliæ ab Holoferne obsessa? an illa expeditio ante, vel post captivitatem Babylonicam contigerit? In his, ajunt Hæretici, & in aliis id genus explicandis difficultatibus hæret aqua Scripturæ Sacræ Interpretibus, nec ullus tàm felix fuit Scriptor, qui his dissecandis nodis convenientem potuerit adhibere cuneum. At quamvis iniquissimi ingenii sit veteres inficias ire, aut in dubium revocare Historias eo solo nomine, quod cum Chrono-

nologia haùd satis accuratè cohærere videntur, quia, ut probè norunt hi, qui sunt versati in doctrina temporum, antiqua Chronologia obscurissima est, & magna ex parte incerta; Si quid etiam ponderis contra Judithæ Historiam haberet hoc Hæreticorum argumentum, res etiam certissimæ facilè negari, aut in dubium vocari possent. Verbi gratiâ, Christum Dominum natum, baptizatum, & mortuum esse, tàm certum est, quàm quòd maximè, & tamen valdè incertum est quo anno Mundi, & quoto anno imperii Augusti natus sit Christus Dominus, vel quo anno ætatis suæ accesserit ad Baptismum, & Cruci fuerit affixus? In his siquidèm enodandis chronologicis difficultatibus maximoperè insudant Chronologi, variantque linguis & sententiis. Ergò nè propter varias illas Chronologorum opiniones licebit negare Christum natum, baptizatum, & mortuum fuisse? apage nugas. Cæterùm, quamvis incertum sit ad quæ tempora referri debeat hæc Judithæ Historia, si tamen necesse sit præfigere tempus, quo prædicta illa accidit Historia, in eam lubens descendam sententiam, quæ probatur viris doctissimis Petavio, Saliano, Pererio, & Danieli Huetio Abrincensi Episcopo in sua Demonstratione Evangelica, Proposit.4. Hi siquidèm gravissimi auctores Historiam Judithæ ante captivitatem Babylonicam sub Manasse Rege Juda constituunt. At enim eo tempore, ideft, regnante Manasse, Medorum Rex erat *Dejoces* Herodoti libris celebratus, à quo condita est urbs *Hecbatanis*, quique alio nomine in Historia Judithę nuncupatur *Arphaxad*, quod nomen ab *Arbace* (qui rebellando contra Assyriorum Regem, Monarchiam Medorum instituit) ductum usurpabant Medorum Reges. *Arbaces* siquidèm aliâ vocis inflexione *Arpacad*, tùm pinguiore sono *Arphaxad* dicebatur. Nabuchodonosor verò, cujus in libro Judithæ fit mentio, fuit ille Assyriorum Rex, qui id ætatis regnabat in Ninive. Quis autem præcisè fuerit ille Nabuchodonosor? vel quo nomine donetur in Gentilium Historiis? parvi refert. Constat quippè nomina illorum veterum Assyriorum Regum, sicut & Regni tempora confusa admodùm

dùm

dùm & incerta esse, ficut facilè colligitur ex Historiis illarum Nationum concinnatis à Beroso, Manethone, Ctesia, Diodoro, & Herodoto. Id unum tantùm ex initio Historiæ Judithæ compertum habemus, Assyriorum, atque Medorum Regna tempore Iudithæ fuisse divisa & invicem æmula. Non desunt tamen periti hujus temporis Critici, qui opinantur, Nabuchodonosorem illum, qui tempore Judithæ regnabat in Ninive, fuisse Saoduschinum filium Assaradon, qui, ut scribit Ptolomæus, regnabat in Ninive.

Contrà hanc sententiam, quæ Historiam Judithæ ante tempora captivitatis Babylonicæ constituit, multa haùd levis momenti proponunt argumenta clarissimi quidam moderni Scriptores, qui putant, Historiam Judithæ contigisse tantùm post reditum Judæorum è captivitate Babylonica, eamque referunt ad tempora Cambysis, vel Xerxis, vel alterius Persarum Regis, vel deniquè ad tempora Antiochi Epiphanis, paulò ante Assamonçorum, seù Machabæorum Regnum. Quapropter, ad majorem sententiæ nostræ conciliandam auctoritatem, necesse est, ut his argumentis breviter faciam satis.

In primis dicunt, quòd in Historia Judith nulla omninò fit mentio Regis Juda, sed tantùm Summi Sacerdotis. Porrò, si Historia Judithæ contigisset sub Manasse Rege Juda ante captivitatem Babylonicam, omni procùl dubio in prædicta Historia de Rege Juda haberetur mentio. Probabiliùs igitur est, Judithæ Historiam contigisse tantùm post captivitatem Babylonicam, quandò videlicet summâ rerum potiebantur Summi Sacerdotes, & in ipsis administrandæ Judæorum Reipublicæ suprema residebat auctoritas.

Prętereà, tempore Regis Manassis, Bethuliam Israëlitę non incolebant, quippè qui à Salmanazare Assyriorum Rege fuerant temporibus Ezechiæ Regis Juda patris Manassis in captivitatem abducti; undè Bethulia id ætatis incolebatur à Cuthęis, & Babyloniis, qui à Regibus Assyriorum fuerant hùc translati, qui sanè Holoferni à Nabuchodonosore Assyriorum Rege misso non repugnassent, sed eum potiùs tan-

tanquàm sui Regis Ducem ultrò excepissent, ei in omnibus morem gessissent, atque suppetias tulissent. Cùm igitur urbis Bethuliæ incolæ, sicut legitur in Historia Judith, Holoferni magnis animis restiterint, argumento est, hanc Judithæ Historiam non incidisse in tempora Manassis Regis Juda, sed solùm post reditum Judæorum è captivitate Babylonica.

Tertiò, in Historia Judith dicitur, quòd Holofernes postulaverit ab Achiore, quænam esset gens illa Israëlitica? quis illius gentis Rex? quasi gens Israëlitica fuisset ipsi penitùs ignota. Quod sanè dici haùd potest de tempore Manassis Regis Juda, quia, eo regnante, Israëlitarum natio probè nota erat Assyriis, quippè qui illorum Regionem frequenter invaserant; eosque sub Salmanazare captivos in Babyloniam abduxerant. Idq; confirmatur ex responsione Achioris dicentis Holoferni, Israëlitas ex Ægypto in Palęstinam, Deo duce & protegente, esse translatos, sed ob Dei sui cultum neglectum sępè à multis Nationibus fuisse exterminatos, plurimosque abductos in terram non suam, immò Templum, sicut legitur in Versione gręca, solo æquatum, ac penitùs dirutum, nuper verò ex dispersione sua fuisse reductos, & iterùm possidere Jerusalem, ubi sunt Sancta Sanctorum. Constat autem, sub Manasse Rege Juda nullam fuisse Templi eversionem, nullam populi Israëlitici ab urbe Jerusalem abductionem, ad eam reditum nullum. Non igitur sub Manasse Rege Juda, & ante captivitatem Babylonicam contigit Historia Judith.

Quartò, tempore Manassis Regis Juda, Summus Sacerdos non erat *Eliachin*, seù *Joachin*, ut liquidò patet è catalogo Sacerdotum, quem texuit Josephus in libris Antiquit. Jud. Cùm igitur tempore, in quod Judithæ incidit Historia, Summus Sacerdos esset Eliachin, seù Joachin, manifestò sequitur, hanc Historiam ad tempora Regis Manassis referri non debere.

Deniquè, in fine libri Judith dicitur, quòd ipsa vixerit in domo viri sui usque ad annum ætatis suæ centesimum

quintum, & quòd nullus fuerit, qui perturbaret Iſraëlem omnibus annis vitæ ejus, nec etiam multò poſt ipſius mortem. Id autem cadere nequit in tempora Manaſſis Regis Juda. Nam ſupponamus, Juditham natam fuiſſe annos circiter viginti quinque (juvvenis quippè erat, cùm adiit Holofernem, undè Eunuchus *Vagao* eam vocat *puellam*, cap. 12.) Subducamus ergò annos viginti quinque, quos tùm temporis nata erat Juditha, ſupererunt anni octoginta uſque ad ejus obitum, per quos Iſraëlitæ pace perfrui debuerunt. Et tamen ex ſacra Hiſtoria certiſſimè conſtat, Iſraëlitas tempore Manaſſis non fuiſſe per octoginta annos pace potitos. Nam Manaſſes fuit ab Aſſyriis in captivitatem abductus, quæ Regis captivitas abſque aliqua pacis perturbatione accidere haùd potuit. Deindè, à captivitate Manaſſis uſque ad Bellum Ægyptiacum, in quo Joſias Rex Juda, nepos Manaſſis percuſſus & interemptus eſt, non interfluxerunt anni octoginta, ſicut omnes ad unum fatentur ſacræ Chronologię periti. Si igitur hæc Judithæ Hiſtoria ſub Manaſſe Rege Juda contigiſſet, nullâ ratione dici poſſet, per totam Judithę vitam, ac per multos annos poſt ipſius obitum, neminem fuiſſe, qui perturbaret Iſraël, ſicut legitur in libro Judith.

His momentis breviter facio ſatis, & ad primum dico, nullam in Hiſtoria Judithæ fieri mentionem Manaſſis Regis Juda, vel quia ille Rex nihil ad hocce negotium contulit, vel quia in ejus ditione res geſta non eſt, ſed in Tribu Simeon, ex qua Juditha oriunda erat, quæque Regi Juda non parebat, vel quia hæc Judithæ Hiſtoria contigit ſub Rege Manaſſe captivo, aut ſub initium illius Regni, cùm adhùc vix ex Ephebis egreſſus, utpotè duodennis, adminiſtrando Regno impar eſſet. Mentio tamen fit in Hiſtoria Judith Summi Sacerdotis, tùm quia negotium Religionis agebatur, tùm quia Summus Sacerdos profectus dicitur ad illos Iſraëlitas, qui Bethuliæ urbem incolebant & dominio Regis Juda non ſubdebantur, ut illos zelo Dei accenderet, dejectos eorum animos ſpe arrigeret, atque ad ſtrenuam urbis ab Aſſyriis obſeſſę defenſionem animaret.

Ad

Ad secundum dico, Bethuliam fuisse urbem Regni Israëlitici extrà Regnum Juda in Tribu Simeon Idumæis finitimam, quam Israëlitæ possidebant. Decem siquidem Tribus non ita fuere à Salmanazare Assyriorum Rege in Babyloniam abductæ, quin plurimi Israëlitæ in patrio solo remanserint, aut saltem ad illud non multò post fuerint reversi, qui plurimas ex illis civitatibus, præsertim eas, quæ in montanis sitæ erant, occuparunt. Colonia autem illa Cuthæorum & Babyloniorum habitabat dumtaxat in Samaria & in aliis vicinis civitatibus, nec ibi sola degebat, sed plurimis Israëlitis commixta erat, immò cum ipsis Deum Israël colebat, ut habetur lib.4. Reg. cap.17. Nemini igitur mirum videri debet, quòd Israëlitæ & Cuthæi urbis Bethuliæ incolæ veri Dei volentes defendere cultum contra Holofernis impetus omnem Religionem exterminare molientis, junctis umbonibus, atque conglomerato agmine huic Assyriorum Militiæ Principi restiterint.

Ad tertium dico, Holofernem plura de Israëlitis audire potuisse, sed eorum statum penitùs non penetrasse, donec eorum audaciam, constantiam ac fortitudinem demiratus, eorum ex Achiore cognovit originem & audaciæ causam. Verè autem Holoferni dicere potuit Achior, Israëlitas Deum deserentes, exterminatos fuisse præliis multis à variis Nationibus, eorumque benè multos adductos fuisse in terram non suam, & rursùm ad illam rediisse tempore Manassis Regis Juda. Pluriès siquidèm Israëlitæ traditi fuerant in manus Gentium, nunc Ægyptiorum, nunc Moabitarum & Ammonitarum, multique ex ipsis fuerant his temporibus à patria sua abducti exules, & ad illam deindè reversi. Has autem minores & non diuturnas Israëlitarum captivitates libri Regum non memorant, quia in his non omnes Israëlitarum captivitates referuntur. Sanè captivitas Regis Manassis in libris Regum omninò siletur, & tamen eam verè contigisse nemo inficias ire potest. Ad id autem quod dicitur, legi in Versione græca, Templum fuisse dirutum & solo æquatum, respondeo, vocem græcam id minimè significare,

ficare, sed solùm innuere, Templum fuisse conculcatum, idest, profanatum, quod absque Templi destructione fieri potuit ab illis victricibus Nationibus.

Ad quartum respondeo, Sacerdotem magnum tempore Manassis Regis Juda potuisse esse binomium, ac subindè illum, qui in libro Judithæ appellatur Eliachin, seù Joachin, alio nomine in catalogo Sacerdotum, quem texuit Josephus, designari. Addo etiam, quòd in libro 4. Regum cap. 18. Eliachin inter primores Sacerdotes recensetur. Ejusdem etiam Eliachin Summi Sacerdotis mentionem facit Isaias cap. 22. his verbis: *Et erit in die illa: vocabo servum meum Eliacim filium Helciæ, & induam illum tunicà tuà, & cingulo tuo confortabo eum, & potestatem tuam dabo in manus ejus, & erit quasi pater habitantibus Jerusalem, & domui Juda.*

Ad ultimum dico, diuturnam illam pacem, de qua in libro Judithæ habetur mentio, facilè explicari posse, si semèl supponamus, Historiam Judithæ contigisse ineunte Regno Manassis, & ab hujus Regni initio tempus pacis, de qua fit sermo in libro Judith, putari debere. Nec obstat ejusdem Manassis captivitas, quæ videtur hanc pacem conturbasse; nam hæc Manassis captivitas solam ipsius personam, non verò Reipublicæ Judaicæ statum respexisse videtur, quippè non bello, sed fraude & dolo Manasses ab Assyriis captus fuit, & non multò post liber dimissus, sicut refert Josephus lib. 10. Antiquit. cap. 4. undè in captivitate Manassis nullum propptereà extitit bellum conturbans pacem in Israël. Hac igitur factâ hypothesi de tempore, quo contigit Historia Judith; ad calculos revocemus annos, qui interfluxerunt à nativitate Judith usque ad Bellum Ægyptiacum, quod perturbavit pacem in Israël, & in quo Josias Rex Juda à Necaone Rege Ægypti fuit occisus. Juditha annos triginta nata erat, quandò interfecit Holofernem sub initium Regis Manassis. Manasses regnavit annis 55. Ammon ejus filius regnavit annis 2. & Josias nepos Manassis regnavit annis 31. fuerunt ergò ab ortu Judithæ usque ad obitum Josiæ, qui accidit

cidit in Bello Ægyptiaco, anni profundæ pacis 118. Cùm igitur Juditha vixerit annis centum quinque, ſequitur, fuiſſe pacem in Iſraël omnibus annis vitæ Judith, & tredecim etiam annis poſt ipſius obitum. Immò non deſunt doctiſſimi Scripturæ Sacræ Interpretes, qui aſſerunt, pacem non fuiſſe perturbatam in Iſraël per Bellum Ægyptiacum, in quo fuit occiſus Joſias, quia hoc bellum non intrà Regnum Iſraël, ſed extrà Regnum fuit geſtum, pacem verò in Iſraële fuiſſe perturbatam aſſerunt anno dumtaxat undecimo Regni Joachin, quandò ipſe unà cum primoribus Judæorum fuit à Nabuchodonoſore in captivitatem Babylonicam abductus. Quâ ſemèl admiſsâ ſententiâ, erunt poſt obitum Judithæ anni pacis in Iſraële 24. ſicque, *in omni ſpatio vitæ Judithæ non fuit, qui perturbaret Iſraël, & poſt mortem ejus annis multis*, ſicut dicitur in lib. Judithæ cap. ult. verſ. 30. Quòd ſi Hiſtoria Judithæ ſub captivitate Manaſſis, quæ accidiſſe videtur circà decimum illius Regni annum, conſtituatur, poterit itidèm ſupponi, Juditham paulò adultiorem fuiſſe, putâ annos 38. natam, quandò Holofernem adiit, quâ ætate mulieres, præcipuè illæ, quæ nullum filium generant, juvenilem adhùc formam retinent, oriſque venuſtatem, quòd in Juditha facillimè credi poteſt, quia Deus, ut inquit Scriptura Sacra, ſingularem ei conferebat ſplendorem. Undè non mirum, ſi, auctâ à Deo ipſius pulchritudine, Juditha Holoferni vetulo Aſſyriorum Militiæ Præfecto placuerit. Hac autem factâ hypotheſi, erunt poſt mortem Judithę anni pacis in Iſraële 11. immò erunt anni 22. ſi Bellum Ægyptiacum, ut volunt multi graviſſimi Auctores, non perturbaverit pacem in Iſraël, ſed ſolùm captivitas Babylonica, quæ incidit in annum 11. Regis Joachin. Quapropter, etiamſi Hiſtoria Judith referatur ad tempora captivitatis Manaſſis, ſemper verum erit, in omni ſpatio vitæ Judith non fuiſſe qui perturbaret Iſraël, & poſt mortem ejus annis multis, ſicut dicitur in libro Judith, loco mox laudato.

Di-

DILUUNTUR OBJECTIONES

Contra Libros Sapientiæ, Ecclesiastici, Ecclesiastis, Cantici Canticorum, & contra quædam Danielis Capita.

QUamvis argumenta, quæ contrà hosce Scripturæ Sacræ Libros proponunt Heterodoxi, jam à multis doctissimis Scriptoribus fuerint obtrita, iisque potissimùm qui controversas de Religione quæstiones ventilandas susceperunt, ea tamen summatim perstringam, & quàm futilia sint, paucis hìc ostendam.

Arguunt itaque primò Hæretici, antiqua Ecclesia libros Sapientiæ, & Ecclesiastici tantùm Catechumenis legebat, teste S.Athanasio in epistola festali, Ecclesia igitur hosce libros antiquitùs non agnovit ut canonicos.

Præterea, libri Sapientiæ, & Ecclesiastici ideò olim apud aliquos in pretio habiti sunt, quia tanquàm genuini Salomonis libri passim à Veteribus citantur, atqui hoc fundamentum caducum ac ruinosum est, constat enim nunc apud omnes, hos libros non fuisse à Salomone editos: ergò libri Sapientiæ, & Ecclesiastici præposterè ab aliquibus habiti sunt ceù canonici.

Respondeo, ex primo momento, quod objicitur, evinci dumtaxat libros Sapientiæ & Ecclesiastici non fuisse in canone Hebręorum, quem condidit Esdras, aut eos non statim ab omnibus Ecclesiis exceptos fuisse ut canonicos, quod certè nullus negat. Sed quia hunc canonis Hebræorum defectum sarsit deinde Ecclesia Christi, quæ Sancti Spiritus illustrata lumine, his libris divinam asseruit auctoritatem, nullus, nisi hæreticus, predictos libros è canone Scripturæ Sacræ eximere potest. Dùm autem dicitur, libros Sapientiæ, & Ecclesiastici fuisse olim Catechumenis tantùm in Ecclesia lectos, id omninò alienum est à mente S.Athanasii, qui in illa epistola festali, non negat, illos Scripturæ Sacræ libros fuis-

fuisse olim Fidelibus in Ecclesia lectos, sed solùm vult, hos duos libros, præ cæteris aliis Scripturæ Sacræ libris, utpotè faciliores, & efformandis moribus magis aptos Catechumenis fuisse in Ecclesia prælectos, quippè qui aliorum Scripturæ Sacræ librorum profundioris doctrinæ lectioni necdùm pares erant.

Ad alterum momentum respondeo, libros Sapientiæ, & Ecclesiastici non propter Salomonis nomen habitos fuisse canonicos, sed ob doctrinam, quam complectuntur, divinitùs inspiratam. Ab antiquis autem Ecclesiasticis Scriptoribus duo illi Libri tribuebantur Salomoni propter affinitatem doctrinæ, ut observat S. Augustinus lib.2. de Doctrina Christiana cap. 8. non affirmarunt tamen illi antiqui Scriptores, hos duos Libros fuisse editos à Salomone eo in sensu, quod Salomon illos Libros, ut nunc sunt, disposuerit, ordinaverit, digesserit, sed solùm in eo sensu, quod alii Authores post Salomonis mortem ex Libris à Salomone exaratis, & hàc illàc dispersis, quorum etiam nonnulli injuriâ temporum perierunt, sententias & verba collegerunt, & in præclaro ordine collocarunt. Scripsit enim Salomon tria millia Parabolarum, & quinque millia Carminum, ut habetur lib.3. Regum cap.4. vers.32. ex qua copia, ac immensa segete alii Authores Spiritu Sancto afflati, mortuo Salomone, ipsius doctrinam collegerunt, eamque penè obliteratam litteris mandarunt, ut ipsamet testatur Scriptura Sacra cap. 25. Libri Proverbiorum. Sic, exempli gratiâ, Jesus filius Syrac Librum Ecclesiastici hebraicè ità composuit, ut sententias magna ex parte à Salomone mutuatus fuerit, suas tamen non sine Dei afflatu interseruerit. Undè in prologo illius Libri dicitur, quod Jesus filius Syrac Sapientiam de suo renovavit, idest, penè oblivione sepultam restituit. In hoc sensu Libri Sapientiæ, & Ecclesiastici à veteribus Scriptoribus Salomoni adjudicantur, quamvis concors sit omnium eruditorum sententia, Libros Sapientiæ, & Ecclesiastici, quales nunc extant, non fuisse à Salomone exaratos.

Ar-

Arguunt secundò Hęretici contra Librum Ecclesiastis, Author illius Libri favet Atheis & Epicureis, persuadet quippè hominibus, ut vitam belluarum more transigant, seseque obscænis voluptatibus, quæ gustu, aliisque corporeis sensibus percipiuntur, ingurgitent; negatque animæ immortalitatem. Ergò hic Liber Ecclesiastis locum inter canonicos obtinere nòn debet. Prob. antec. cap.2. vers.23. Sic loquitur hic Author: *Non ne meliùs est comedere & bibere &c.* & cap.3. vers. 13. *Idcircò unus interitus est hominis & jumentorum, & æqua utriusque conditio. Sicut moritur homo, sic & illa moriuntur ..... quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus jumentorum descendat deorsum?*

Respondeo primò, Salomonem, qui est Auctor Libri Ecclesiastis, hæc non ex sua sententia dicta proferre, sed ex persona stultorum & impiorum hominum, quorum varias opiniones de finibus bonorum & malorum differens datâ operâ profert in medium, discutit & examinat, falsas & erroneas improbat, veras autem & quæ ad germanam fovendam pietatem conducunt, probat. Omnia, quæ sub Cælo sunt, nosque à veri Dei cultu abducere possunt, vana esse demonstrat, & denique, postquàm benè multa congessit, ut mortales à prępostero creaturarum affectu abstractos ad Dei timorem & amorem provocet, suæ disputationi his verbis coronidem imponit: *Finem*, inquit, *loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, mandata ejus observa. Hoc est enim omnis homo, & cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit.*

Respondeo secundò, dato etiam, quod Salomon prædicta illa verba tanquàm ex sua sententia, & non ex impiorum personâ protulerit, dici tamen posse, illum dumtaxàt his verbis approbare voluisse modestum usum & legitimum bonorum temporalium, non verò effrænem, & immoderatam illorum fruitionem. Idque liquet ex duobus momentis. Primò, quia Salomon cap.3. hujus libri sic loquitur: *Omnis homo, qui comedit & bibit & videt bonum de labore suo,* hoc

hoc donum Dei est. Porrò usus dumtaxàt modestus & legitimus bonorum temporalium meritò appellari potest donum Dei, non autem immoderata fruitio. Secundò, quia si Salomon his in locis commendaret immoderatam fruitionem bonorum, sibi minimè constaret, sed potiùs manifestâ sese implicaret Antilogiâ, nàm toto in hocce Libro in hunc collimat finem ut coërceat libidinem impiorum hominum, qui cupiditatibus suis laxantes habenas impotenti æstu indulgent voluptatibus & deliciis carnalibus, quas vanas, & humani cordis explendis desideriis omninò impares esse luculenter ostendit.

Respondeo denique, Atheos & impios nihil ex his verbis Salomonis ad negandam hominis immortalitatem extundere posse. Athei siquidem non magis ex his verbis inferre possunt Ecclesiastem de immortalitate animæ hominis dubitasse, quàm ipsum dubitasse de mortalitate animæ jumentorum. Utrumque enim Ecclesiastes eo loci conjungit: *Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus jumentorum descendat deorsum?* Atqui Athei & impii, nisi apertè desipiant, non possunt ex his verbis colligere Salomonem dubitasse de mortalitate jumentorum, hæc quippè tam inepta & præpostera dubitatio in mentem illius Regis post homines natos sapientissimi cadere minimè poterat. Igitur non absimili ratione non possunt Athei ex his Salomonis verbis colligere, ipsum animæ hominis immortalitatem in dubium revocasse. Addo etiam Salomonem per hæc verba: *Unus interitus est hominis & jumentorum, & æqua utriusque conditio &c.* innuere dumtaxàt æquam esse hominis & jumentorum conditionem quantùm ad corpus, sed non quantùm ad animam; vel deplorare ignorantiam & cœcitatem impiorum, qui vitiis dediti quasi degenerant in belluas, sibique falsò ex his, quæ apparent sensibus, sibi persuadent unum, eumdemque esse interitum hominis & jumentorum, quasi diceret Ecclesiastes: *Tanta est impiorum hominum ignorantia & cæcitas, ut perperàm sibi persuadeant unum interitum esse hominis*

& jumentorum. Quis inter illos impios novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus jumentorum descendat deorsum? Eâ locutione, quæ verbi Dei præconibus familiaris est, usus est Ecclesiastes, ut ostenderet sceleſtos & impios homines ità vivere, ut nec perspectam habeant immortalitatem animæ, nec dotes, quibus homo discrepat à belluis. Cæterùm Ecclesiastem non dubitasse de immortalitate animæ, ex duobus momentis invictè probari potest. Primò, quia Ecclesiastes cap. 3. sic loquitur: *Vidi sub Sole in loco judicii iniquitatem, & dixi in corde meo: justum & impium judicabit Dominus, & tempus omnis rei tunc erit.* Quæ verba intelliguntur de supremo judicio, quod necessariò supponit animæ immortalitatem. Secundò, Ecclesiastes, postquàm cap. ult. vers. 1. dixit: *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequàm veniant dies afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent.* Subdit posteà: *Et revertatur pulvis in terram suam, undè erat & spiritus ad Deum, qui dedit illum.* Quo nihil luculentiùs dici potest ad astruendam animæ hominis immortalitatem.

Arguunt tertiò Hæretici contra Librum Cantici Canticorum, stylus Libri Cantici Canticorum Lectorem ad amorem prophanum allicit, dùm secretiora nuptiarum arcana, lenesque conjugum sub noctem susurros apertè revelat, dùm familiaria refert colloquia sponsi & sponsæ, juvenum ac virginum nihil nisi amorem spirantium, sæpiùsque mentionem facit unguentorum, osculorum, uberum, ventris, umbilici, genarum, oculorum, liliorum, nardi &c. Quæ omnia apertè probant hunc Librum nihil præ se ferre divinum, sed esse obscænam impudici amoris cantilenam, voluptatis gratia sive in laudem Sulamitæ, sive in laudem filiæ Pharaonis conditam. Hinc est, ut rectè observat Origenes præfat. in Cant. quod juvenes apud Hebræos ab hujus Libri lectione arceantur, ne videlicet inter legendum hunc Librum ad amorem prophanum alliciantur. Denique, nulla prorsus in hoc Libro Cantici Canticorum nominis Dei men-

mentio extat. Non ergo divino afflatu conſcriptus eſt hic Liber.

Reſpondeo, hanc objectionem, quam veteres quidam propoſuerunt Hæretici, quos commemorant Theodoretus præf. in Cantica, & Philaſtrius hæreſi 131. Quamque recoxerunt Anabaptiſtæ, aliique recentiores Hæretici, facilê ſolvi poſſe, dicendo cum S.Hieronymo lib.1. contra Iovinianum, hæc omnia, quæ leguntur in libro Cantici Canticorum, non prophanum & obſcænum, ſed divinum & ſpiritalem amorem ſpirare. Egregio ſiquidem iſto Dramate amorem Dei erga dilectum ſibi ac fidelem populum Iſraëliticum ſignificari affirmant Paraphraſtes Chaldæus, & Moſes Maimonides Rabbinorum omnium doctiſſimus, vel, ut docent Sancti Patres & Scriptores Eccleſiaſtici Origenes, Euſebius, Cyprianus, Baſilius, uterque Gregorius, Diodorus, Joannes Chryſoſtomus, & alii poſteriorum temporum Scripturæ Sacræ Interpretes, qui latentia in hoc Libro myſteria piè & ſagaciter fuerunt ſcrutati, hic Liber Cantici Canticorum complectitur colloquium Chriſti, ut Magiſtri & Sponſi cum Eccleſia, aut cum Anima, quam Fidei Myſteriis, ſanctitatis doctrinâ, vitæ ſpiritualis perfectione per metaphoras & ſimilitudines à nuptiis carnalibus ductas inſtituit, & eam tanquàm Sponſam beatiſſimâ cæleſtium donorum copiâ locupletat, quem viciſſim Sponſa auſcultat ut diſcipula, & tanquàm Sponſum colit, veneratur, & amat. Sanè ſi hic Liber prophanum aliquid ſaperet, & obſcæni amoris ſcintillas eructaret, ut dictitant Hæretici, nuſquàm profectò Sancti Patres ſuis Commentariis & Interpretationibus eum illuſtrare ſtuduiſſent, nec Eſdras, qui, ut ſuperiùs diximus, canonem Librorum ſacrorum poſt laxatam captivitatem Babylonicam condidit, illum inter Sacras Scripturas collocaſſet, nec Chriſtianorum Eccleſia divinam illi vindicaſſet auctoritatem. Prudenter tamen ſeſe gerunt Judæi, dùm ſolis viris ſapientibus, jamque ævo maturis lectionem hujus Libri permittunt. Juvenes ſiquidem, cum ſint ut plurimùm ad libidinem proclives, & corporeis mo-

tibus vehementiùs exagitentur, lectione hujusce Libri, cujus reconditos sensus non penetrant, utpotè necdum perfecti & solidi cibi adhùc capaces, ad prophanum amorem instigari possent. At ex ea prohibitione nihil contra divinam hujus Libri auctoritatem elici potest, quia, ut loco mòx laudato observat Origenes, Judæi prohibent itidem lectionem principii libri Genesis, sicut & initium ac finem libri Ezechielis Prophetæ, nullus tamen propter hanc prohibitionem principio libri Geneseos, sicut & initio, ac fini prophetiæ Ezechielis divinam auctoritatem unquàm abjudicavit.

Ad id verò quod dicitur, Nomen Dei non extare in libro Cantici Canticorum, respondeo, Nomen Dei sub aliis nominibus in hoc libro latere. Nàm loco Nominis Dei, Fortis, Domini, Omnipotentis, seu Domini Exercituum, & loco Nominis, quod *Tetragrammaton*, seu *Jehova* dicitur, alia sufficiuntur Nomina, quæ Divino amori magis congruunt, qui graphicè in hoc libro describitur, scilicet Deus se pro Domino, vocat Fratrem, Amicum, & Sponsum, pro Omnipotente & Domino Exercituum, appellat se Pacificum, & Pastorem, pro Forti, ac Robusto, Vulneratum, ac Saucium &c. Addo etiam non magis libri Cantici Canticorum auctoritati hanc Nominis Dei omissionem officere posse, quàm libro Esther, qualem habent Hebræi, in quo etsi nulla Nominis Dei mentio extet, opus tamen Spiritus Sancti absque ulla difficultate creditur.

Arguunt ultimò Hæretici contrà duo postrema capita libri Danielis, in quibus referuntur historiæ Susannæ, Belis, & Draconis. In his duobus ultimis libri Danielis capitibus, inquiunt Hæretici, describuntur historiæ Susannæ, Belis, & Draconis, quæ tamen desiderantur in codicibus Hebræis. Secundò, Julius Africanus antiquissimus Scriptor historiam Susannæ, ut adulterinam & tanquàm putidam fabulam explodit, teste Eusebio lib. 6. Historiæ Ecclesiast. cap. 23. Sanctus etiam Hieronymus acerrimi judicii vir historias Susannæ, Belis, & Draconis velut aniles fabulas sugillat.

Euse-

Eusebius itidem, & Apollinarius prophetiam Danielis contrà Porphyrium vindicantes, ejusmodi historiarum vindicias non agunt, sed eas alto silentio prætermittunt, tanquàm ad Danielis librum nullatenùs pertinerent. Similiter Theodoretus in suis in Danielem Commentariis nullam de his historiis mentionem facit. Tertiò, in historia Susannæ, quæ attexitur cap.13. dicitur, quod Daniel liberator Susannæ esset puer, quod sanè oppidò falsum est, quia hæc Susannæ liberatio contigit sub Astyage, paulò antequàm Cyrus Regnum occuparet, ut constat ex his verbis, quæ leguntur sub finem illius historiæ: *Et Rex Astyages appositus est ad patres suos, & suscepit Cyrus Perses Regnum ejus*. Porrò verus Daniel sub finem Regis Astyagis jàm senex erat octoginta ad minùs annos natus, quippè qui sub Zechonia abductus in captivitatem Babylonicam diù vixerat sub Nabuchodonosore, ejusque successoribus, captivitas autem Babylonica, quam laxavit Cyrus Persarum Rex, septuaginta duravit annis. Immò verus Daniel jàm erat grandævus & maturus anno sexto Regni Joachini, hoc est, antè captivitatem Babylonicam, de illo siquidem ut viro jàm maturo & filios habente, loquitur Propheta Ezechiel anno sexto Regni Joachini prophetans: *Si fuerint tres viri, Noe, Daniel, & Job, nec filios, nec filias liberabunt*. Ex quibus Ezechielis verbis colligitur, Danielem anno sexto Joachini Regis Juda aut fuisse jàm grandævum, aut jàm è vivis excessisse, cùm illum Propheta accenseat Noëmo, & Jobo, quos id ætatis vitâ functos esse nullus negare potest. Liberator igitur Susannæ non est verus Daniel Propheta, sed alius Daniel, sicut ait Sanctus Hieronymus Præfat. in Danielem, ubi sic effatur: *Porphyrio, Eusebius & Apollinarius pari sententia responderunt, Susannæ, Belis, ac Draconis fabulas non contineri in Hebraico, sed partem esse prophetiæ Habacuc, filii Jesu, de Tribu Levi, sicut juxtà septuaginta Interpretes in titulo ejusdem Belis fabulæ ponitur: homo quidam erat Sacerdos, nomine Daniel, filius Abda, conviva Regis Babylonis; cùm Danielem, & tres pueros de Tribu Juda fuisse S. Scriptura*

ptura testetur. Vndè & nos antè annos plurimos cùm verteremus Danielem, has visiones Obelo notavimus, significantes eas in Hebraico non haberi. Quartò, Auctor historiæ Susannæ inducit Danielem, ut virum Græcum, aut saltèm græcam linguam apprimè callentem & ex græcis vocabulis allusiones, ac ethymologias ducentem. Nàm uni ex Senibus pudicitiæ Susannæ insidiantibus, dicenti, se vidisse Susannam peccantem sub *Schino*, Daniel ex illa voce σχῖνος, quæ latinè *Lentiscum* significat, alludens ad verbũ græcum σχίζειν, quod significat *Scindere*, statim subdidit: *Rectè mentitus es in caput tuum, ecce enim Angelus Domini accepta sententia ab eo, scindet te medium*. Rursùs alteri Seni dicenti, se vidisse Susannam peccãtem sub prino, qui latinè significat *Ilicem*, allusit confestim Daniel ab arbore prini ad actionem secandi, nàm πρῖνος est arbor, & πρίζειν idem est ac *secare*, undè dixit ei Daniel: *Rectè mentitus es in caput tuum, manet enim Angelus Domini gladium habens ut secet te medium.* Ubi ex græcis arborum nominibus genus pœnæ in reos Senes derivat Daniel, quod nullo pacto facere potuit verus Daniel, qui hebraicè solùm & chaldaicè loquebatur. Verosimiliùs igitur est hanc Historiam Susannæ confictam fuisse à quodam Græculo, ex quo eam hausit Theodotion, & quæ posteà inserta est in editione vulgata. Quintò denique, Auctor libri Danielis, inquiunt Hæretici, secùm pugnat, nàm cap. 14. vers. 30. ait Danielem fuisse reclusum in lacu leonum sex diebus. Capite autem quinto vers. 22. refert eum unâ tantùm nocte in lacu leonum stetisse. Propter hæc momenta non solùm aliqui Judæi, sed etiam Gentiles, præsertim Porphyrius in lib. 12. ex his quindecim, quos edidit adversùs Christianos, has Historias Susannæ, Belis, & Draconis tanquàm vana Commenta rident, quibus consentiunt Anabaptistæ.

Respondeo ad singula illa momenta, & ad primum dico, Historias Susannæ, Belis, & Draconis desiderari quidem in Codicibus Hebræis, sed reperiri in versione vulgata, quæ fuit authentica ab Ecclesia declarata, reperiri etiam in Ver-

Versione Lxx.Interpretum,in Editione Theodotionis, & in aliis vetustissimis Versionibus græcis. Credibile etiam non est, providentiam divinam permisisse, ut Ecclesia, quam Christus suo sanguine acquisivit, fabulas pro divinis Revelationibus in sua Editione vulgata approbaverit. Addo etiam, Origenem in epistola ad Julium Africanum asserere, Historiam Susannæ in antiquis Codicibus hebræis olim extitisse, sed eam deindè erasam ac sublatam fuisse à Judæis.

Ad secundum respondeo, Julium Africanum, S.Hieronymum, & alios antiquos Auctores Ecclesiasticos subdubitasse de illis duobus postremis Danielis Capitibus, at longè plures alios Sanctos Patres ea ut canonica suscepisse & agnovisse, quos inter numerantur S.Ignatius Martyr in epistola ad Magnesianos, Origenes in epistola ad Julium Africanum, Tertullianus in lib. de Corona Militis, Cyprianus in Serm. de Oratione Dominica, Basilius in lib. de Spiritu Sancto cap.10. Chrysostomus Serm. de Tribus Pueris & de Susanna, Ambrosius in lib.3. de Spiritu Sancto cap.7. qui omnes testantur, Historiam Susannæ esse Scripturam Divinam. Quin & S.Hieronymus Ruffino illum reprehendenti, quòd Historias Susannæ, Belis, & Draconis tanquàm fabulas rejecisset & obelo notasset, respondet in Apologia secunda; se id non ex propria, sed ex Judæorum sententia dixisse. Sic enim loquitur S.Doctor: *Quod autem refero adversùs Susannæ Historiam & Hymnum trium Puerorum & Belis, Draconisque fabulas, quæ in volumine hebraico non habentur, Hebræi soleant dicere, qui me criminatur stultum se Sycophantam probat, non enim quid ipse sentirem, sed quid illi contra nos dicere soleant, explicavi.*

Ad tertium dico, Historiam Susannæ non contigisse sub Astyage, sed sub Nabuchodonosore, cùm adhùc Daniel juvenis esset. Quocircà hæc verba, quæ leguntur cap. 13. sub finem Historiæ Susannæ: *Et Rex Astyages appositus est &c.* non pertinent ad Historiam Susannæ, sed pertinent ad Historiam Belis, quæ describitur in capite sequenti, &

quę

quæ contigit sub Cyro Persarum Rege, cùm Daniel jam esset senex, ut liquidò patet ex contextu & dispositione græcorum Codicum, prӕsertim Editionis græcæ Sixti V. in qua versus ille 65. capitis 13. libri Danielis: *Et Rex Astyages appositus est &c.* connectitur cum Historia Belis & Draconis. Quod verò dicitur, Danielem sub Nabuchodonosore anno sexto Regis Joachini fuisse virum jam ӕtate provectum, id prorsùs negandum est, quia cap. 1. lib. Danielis, post translationem Joachini Regis Juda, Daniel dicitur adhuc puer. Nec obstat quod objicitur ex Ezechiele, nam, ut respondet S. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum, Ezechiel Propheta non dicit, Danielem fuisse tùm temporis senem & parentem liberorum, sed dumtaxat Danielem accenset Noëmo & Jobo propter excellentem sanctitatem & famam, quam sibi ex interpretatione somniorum Nabuchodonosoris & Balthasaris Regum, & ex liberatione Susannæ optimo jure sibi pepererat. Undè, quandò Ezechiel dicit, Danielem non liberaturum filios suos, hypoteticè, non absolutè loquitur Propheta, perindè ac si diceret: si Daniel filios haberet, eos non liberaret. Danielem siquidèm improlem objisse, idest, nullos procreasse liberos longè verosimilius est.

Ad quartum respondeo cum Origene, Danielem non usurpasse græcas illas allusiones, sed alias linguæ Chaldaicæ, cujus notitiâ jussu Nabuchodonosoris fuerat imbutus, proprias; quas posteà Interpres græcus allusionibus græcis reprӕsentavit. Quod sanè in optimo interpretandi genere fieri solenne est.

Ad ultimum dico, nullam esse Antilogiam in libro Danielis circà illius incarcerationem in fossa Leonum. Bis enim in lacum Leonum immissus est Daniel: primò, immissus est à Dario Medo successore Balthasaris, quoniam Deum precatus fuerat contra Regis mandatum, & tunc ibi unâ tantùm nocte reclusus mansit, sicut dicitur cap. 5. vers. 22. Deindè, Daniel fuit iterum missus in lacum Leonum à Cyro Persarum Rege propter interfectum Draconem, & tunc ibi stetit sex diebus integris, ut legitur cap. 14. vers. 30.

Sic-

Sicque in libro Danielis nulla apparet Antilogia.

Advertat primò Lector, Susannæ Historiam fuisse in fronte Danielis collocatam in Lxx. Interpretum vetustissimis Editionibus, ad calcem tamen libri Danielis rejectam esse à vulgato Interprete, qui hebraici exemplaris, à quo aberat hæc Susannæ Historia, auctoritatem videtur secutus. Illùç etiam ob eamdem rationem Belis & Draconis Historiam ablegavit vulgatus Interpres.

Advertat secundò Lector cum Illustrissimo Episcopo Abrincensi, duos fuisse Prophetas Habacuc, priorem Prophetam Habacuc fuisse Manassis Regis coætaneum, cujus vaticinia ad hanc diem supersunt; alterum Prophetam quoquè eodem Habacuc nomine insignitum, qui escam ad Danielem deferre jussus est: hunc fuisse de Tribu Levi ostendit lemma Historiæ Beli & Draconis præfixum in Editione Lxx. Interpretum, quod exhibet S.Hieronymus præfat. in Danielem, & à nobis suprà prolatum est. Ille verò è Symeonis Tribu oriundus fuit; neque verò, ut subdit idem mox laudatus clarissimus auctor, de libri Danielis dignitate detrahit, quòd Magistrum quemdam judæum præsente se objecisse narrat S.Hieronymus, nullum in veteri Testamento occurrere exemplum hominis gravi corpore volantis, & tantillo tempore tanta terrarum spatia tranantis, sicut in libro Danielis dicitur de Propheta Habacuc, quem Angelus apprehendit in vertice, & per aera portavit illum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone suprà lacum, in quem missus fuerat Daniel. Id, inquam, nihil derogat auctoritati libri Danielis, quia multa in sacris & in profanis narrantur Historiis, quæ certissima sunt, etiamsi his similia non proferantur exempla. Detur enim, verbi gratiâ, è sacris Codicibus exemplum mulieris ex costa viri, quemadmodùm Eva, formatæ, serpentis cum aliquo, sicut cum eadem Eva loquentis, Noachici Diluvii, vel Sodomitici Incendii, vel Metamorphoseos uxoris Loth in statuam Salis. Nos verò, qui Christum scimus à Diabolo in montis cacumen ac Templi fastigium fuisse delatum, facilè credimus,

Habacuc Prophetam in Judæa existentem, fuisse ab Angelo in Babylonem asportatum, ut prandium, quod suis Messoribus paraverat, ad Danielem in lacu Leonum reclusum deferret.

Advertat ultimò Lector, Hymnum *Benedicite*, quem tres pueri, *Sidrach, Misach, & Abdenago*, jussu Nabuchodonosoris in fornacem conjecti decantarunt, ut legitur cap. 3. libri Danielis, ceù Apocryphum rejici ab Hæreticis: primò, quia, inquiunt, non videtur quo pacto tantùm otii habuerint tres illi pueri, ut in camino ignis versibus luserint, & omnes creaturas ita ordinatim ad Dei laudes provocaverint. Secundò, quia illius Cantici *Benedicite* nè vola quidèm ac vestigium extat in Codicibus hebraicis. Sed facilè hæc inepta Hæreticorum exsufflatur dubitatio. Nam cùm Deus tres illos pueros à flammis illæsos ac immunes servaret, mirum videri haud debet, quòd Dei laudes ita ordinatim decantarint. Quòd verò illud Canticum *Benedicite* non extet in hebraicis Codicibus, hoc non impedit quominùs sit Deutero-canonicum, quia integrum reperitur in Versione græca & in Editione vulgata, quæ ab Ecclesia Catholica fuit authentica declarata. Quæ cùm ità se habeant, æquum nè est, ut despectâ Ecclesiæ Catholicæ auctoritate, contemptoque Spiritu Sancto, vanas Hęreticorum consectemur opiniones?

PARAGRAPHUS TERTIUS,

In quo diluuntur objecta Hæreticorum contrà Libros Job, Estheris, Psalterii Davidis, & contra duos priores Libros Machabæorum.

ARguunt primò Hæretici, & dicunt, Historiam Jobi fabulosam esse, & instar Tragędiæ compositam. Nam in primis persona Job nunquàm extitit, sed scenica est, cujus nomen suadendæ patientiæ congruâ significatione est accommodatum. *Job* siquidèm, juxtà vim nominis, idem est

est ac dolens, ululans, ac se ipsum affligans. Secundò, Josephi in Antiquitatibus Judæorum versatissimi altum de Jobo silentium suadet, Jobum nunquam vixisse inter homines, sed fictitiam esse personam. Tertiò, stylus, quo scriptus est liber Job, sapit Tragędiam, partim namque prosâ, partim versibus hexametris & pentametris est compositus, quibusdam interdùm rythmis intermixtis descriptus, & variis generibus Linguarum Arabicæ, Syriacæ, Hebraicæ, teste Sancto Hieronymo, digestus, non secùs ac in Comędiis tàm Græcorum, quàm Latinorum, ad majorem audientium oblectationem, diversa non nunquam genera linguarum interponi solent. Quartò, ea, quæ in libro Job referuntur de Concilio Angelorum, cui Deus præsidebat, de colloquio Satanæ cum Deo, sicut & variæ illæ quæstiones Diabolo factæ à Deo, responsiones Diaboli, & aliæ id genus narrationes puram putamque fabulam olent. Quintò, quî credibile est Jobum, qui antehàc divitiis affluebat, & inter omnes Orientales spectatissimus erat, ad hunc tàm miserum statum fuisse confestim delapsum, ut in sterquilinio jacens omni ope humanâ destitutus, à suis amicis desertus, & à propria uxore exagitatus, cogeretur saniem ex suis ulceribus erumpentem testâ abstergere. Deniquè, verosimile non est, id, quod legitur capite 2. libri Job, videlicet, ipsius amicos cum ipso in terra sedisse per septem dies ac totidèm noctes, ex quo sequitur, amicos Jobi per illud temporis spatium absque cibo & potu elingues & quasi stipites hic fixos hæsisse, quod sanè ab omni veri specie abhorret, ac palàm demonstrat, Jobi Historiam planè fabulosam esse, & ad commendationem patientiæ de industria fuisse consarcinatam.

Respondeo ad singula illa momenta, & ad primum dico, Jobum non esse fictitium hominem, sed reverà in humanis aliquandò extitisse. Nam præterquamquòd Scriptura Sacra nomen Job & nomina filiorum & filiarum ejus, uxoris & terræ, cujus ipse incola erat, armentorum, pecorum, agrorum & omnium possessionum numerum indicat, nec non amicorum, qui ad eum consolandum accesserunt, nu-

merum notat, nomina, cognomina & patriam clarè ediſſerit, quod ſanè in perſonis ſcenicis fieri minimè aſſolet; certum eſt etiam Prophetam Ezechielem cap. 14. recenſere Jobum cum Noëmo & Daniele, qui verè inter homines vixerunt. Certum quoque eſt, Sanctos Patres laudibus Jobum celebraſſe, eumque Chriſtianis tamquàm eximiæ patientiæ exemplar in adverſis imitandum propoſuiſſe. Legi poſſunt Origenes homil.4. in Ezechielem, Tertullianus lib. de Patientia cap. 14. Cyprianus in lib. de Dono Patientiæ, Hieronymus epiſt.103. Baſilius hom.4. de Grat. Actione, Auguſtinus Serm.105. de Tempore, Gregorius Magn. Pręf. in lib. Job. Eccleſia etiam Jobum ut ſanctum veneratur, ejus quippè meminit Martyrologium Romanum die 10. menſis Maii, & Menologium Græcorum 8. Idus ejuſdem menſis. Deniquè; benè multi Hagiographi Scriptores tàm veteris, quàm novi Teſtamenti quàm plurimas ex libro Job ſententias delibarunt, quod quidèm argumento eſt, perſonam Jobi non ſcenicam eſſe, nec ejus Hiſtoriam fabuloſam. Fateor quidèm, incertum eſſe, an Job fuerit Idumæus, vel Chananæus? attamen, juxtà communem Sanctorum Patrum doctrinam, probabilius eſt illum fuiſſe Idumęum, quia Jobus habitavit in terra Hus, ut conſtat ex libri Jobi exordio, porrò terram Hus fuiſſe ſitam in Idumęa ſcribit Jeremias cap. 4. Threnorum: *Gaude*, inquit, *filia Edom, qui habitas in terra Hus*. Edom autem eſt in Idumæa, quæ eſt vicina Arabiæ. Ex nomine autem Job, quod idem ſignificat ac dolens, evinci minimè poteſt, Jobi perſonam ſcenicam eſſe, nam in ſacris litteris multa reperiuntur nomina, quæ myſticis ſunt ſignificationibus gravida, & quæ tamen Hiſtoriæ veritati nullatenùs obſunt, ſicut videre eſt in nominibus Adæ, Evæ, Abrahami, Jacobi, Davidis, Salomonis, Abſalonis &c. quæ myſticam complecti ſignificationem oſtendunt viri linguæ hebraicæ periti.

Ad alterum momentum dico, nihil ex ſilentio Joſephi adversùs auctoritatem libri Job confici poſſe, tùm quia conſtat, multa ad Hiſtoriam ſacram pertinentia fuiſſe à Joſepho

aut

aut omninò omissa, aut interpolata, ut clarissimè demonstrat doctissimus Dominus *D'andilly* in sua operum Josephi Versione gallica; tùm quia etiam Josephus gentis dumtaxat judaicæ Historiam describendam susceperat, ad quam cùm nihil conferre posset Historia Jobi, qui non ex populo hebręo, sed ex gentili oriundus erat, mirum non est, si hanç Historiam Josephus prætermiserit.

Ad tertium respondeo, nihil alicujus Historiæ veritati deperire sive solutâ describatur oratione, sive metris illigetur numeris. Quamobrèm ex libri Jobi stylo, qui partim prosâ, partim versibus concinnatus est, probari minimè potest, Historiam Jobi esse confictam, alioquin Canticum Moysis, Canticum Debboræ, & Barac, aliaque Cantica, quæ in sacris Litteris occurrunt versibus illigata, sicut etiam Lamentationes Jeremiæ, & Psalmorum liber, nullam in Ecclesia Catholica propter stylum, quem referunt, poëticum auctoritatem obtinere deberent. Verùm, etsi liber Job magna ex parte versibus conscriptus sit, non inde tamen putandum est, Jobum in sterquilinio jacentem, ejusque uxorem & amicos, qui cum ipso interloquebantur, carmina Poëtarum more ex tempore fudisse. Hic siquidèm poëticè loquendi modus non conveniebat statui, ad quem redactus erat Job gravissimis doloribus & calamitatibus excruciatus, sed verosimiliùs est, sacrum illum auctorem, qui hanc Jobi Historiam descripsit, stylo poëtico & sententiarum pleno usum fuisse, eumque, ut Lectores ad patientiam & ad malorum tolerantiam extimularet, novis additis ornamentis hanc Jobi Historiam condecorasse, ita ut verborum collocatio, sententiarum digestio, dialogi compositio, interlocutorum dispositio & distinctio, figurarum concinnitas, & reliquus sermonis ornatus huic sacro Scriptori tribui debeant.

Ad quartum respondeo, quòd licèt litteraliter intelligi debeant ea, quæ in libro Job referuntur de persona Jobi, de illius summis animi, corporisque doloribus, de jactura bonorum & liberorum, de colloquiis ejus cum uxore & amicis, de illius heroica patientia, de recuperatione bonorum,

de

de restituta sanitate, de auctis opibus, de numerosa prole, quam habuit in premium patientiæ suæ; nihilò seciùs in sensu figurato & non litterali intelligi debent ea, quæ in libro Job attexuntur de Concilio Angelorum, cui Deus presidebat, de colloquio Satanæ cum Deo &c. quæ figuratæ locutiones passim in sacris Litteris occurrunt.

Ad quintum respondeo, non esse creditu difficile, Deum, qui est mirabilis in Sanctis suis, ad explorandam patientiam Jobi permisisse, ut omnibus bonis ac liberis Dæmonis operâ spoliaretur, ac diro, tetroque ulcere in sterquilinio eroderetur. Solet siquidèm Deus electos suos sicut aurum in fornace probare, ut virtus eorum in infirmitate perficiatur. Mirum autem non est, quòd à Jobo ad extremam semèl egestatem redacto omnes amici abalienati sint. In hoc siquidèm Job eamdem nactus & expertus est sortem, quæ etiamnùm accidit benè multis, qui dùm ipsis arridet fortuna, abundant amicis, à quibus tamen, postquàm adverso fortunæ casu ad paupertatem delapsi sunt, confestim deseruntur, sicut canit Ovidius:

Donec eris felix, multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Addo etiam, Deum permisisse, ut Job omni humanâ ope destitueretur, & a suis amicis desereretur, quia Job erat typus, seù figura Christi Servatoris, qui tempore Passionis suæ à suis Discipulis, à Cognatis, & ab ipso Patre suo fuit derelictus & oppobriis saturatus.

Ad ultimum dico, amicos Jobi sedisse quidèm septem diebus & totidem noctibus, non quidèm in eo sensu, ut quasi clavo trabali affixi nullatenùs pedem moverint, & omnibus momentis unà cum Jobo sederint; sed hæc verba ita sunt intelligenda, ut amici Job per septem dies in eadem permanserint civitate, interdùm Jobum adeundo, visitando & alloquendo.

Arguunt secundò Hæretici, auctor libri Job in argumento, quod in suo opere sibi prefixit, non sibi constat & & ab ipsius scopo multùm aberrat: ergò liber Job non est ca-

canonicus. Probatur antecedens. Auctor libri Job proponit Jobum tanquàm virum eximiâ constantiâ præditum, & summæ patientiæ ac moderationis exemplar omnibus numeris absolutum, & tamen sui argumenti pluribus in locis omninò immemor verba desperationis, obmurmurationis, maledictionis, & indignationis contra Deum in ore Jobi ponit: *Pereat dies, in qua natus sum*, cap.3. *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in statera, quasi arena maris hæc gravior appareret*, cap.6. *Quamobrèm suspendium elegit anima mea & mortem ossa mea. Desperavi, neque ultrà jàm vivam*, cap.7. *Innocentem & impium ipse consumit, si flagellat, occidat semèl, & non de pœnis innocentum rideat*, cap. 9. *Mutatus es mihi in crudelem*, cap.30. Quis autem dicat, virum, qui in tot, tantosque impatientiæ motus erumpit, qui Deo injustitiam & tyrannidem exprobrat, qui propter diuturnos & acerbos, sub quibus fatiscit, dolores, restim sibi ac laqueum peroptat esse patientiæ & moderationis exemplar. Non ergò in sui operis argumento sibi constat auctor libri Job.

Respondeo, omnes illas imprecationes non ex æstu indignationis in Deum esse prolatas, nec in sensu litterali, sed in quodam sensu mystico accipi debere, sicut facilè colligitur ex his, quæ antecedunt, vel consequuntur verbis ac sententiis. Dicit enim Job cap.1. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum*. Et cap.2. sic reprehendit uxorem suam: *Locuta es quasi una ex stultis mulieribus. Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?* Quibus verbis Job, *patefecit quà mente hæc quietus dixerit, qui tot Dei laudes etiam percussus enarravit*, inquit, S.Gregorius lib.4. Moral. cap.5. Præterea Job maximum patientiæ, spei, ac fiduciæ suæ exhibet argumentum, dùm cap.13. ait: *Etiam si me occiderit*, Deus, *in eum sperabo*. Et cap.19. *Scio, quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursùm circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei* con-

conspecturi sunt, & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo. Deniquè, Job demissè coràm Deo profitetur se esse peccatorem, dicens: *Peccavi, quid faciam tibi ò custos hominum*. Et rursùs: *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me*, cap.7. Ex quibus & aliis similibus locis patet, ejusmodi imprecationes, quæ in libro Job occurrunt, non juxtà mortuæ litteræ sonum, sed juxtà spiritus vivificantis intelligentiam exponendas esse. Undè, quandò Job ait: *Pereat dies, in qua natus sum*, loquitur Job de die nativitatis, quâ homo peccato originali obstrictus & innumeris miseriis obnoxius editur in lucem. Sic Jeremias cap. 20. maledicit diei nativitatis suæ: *Maledicta dies, in qua natus sum*; vel, ut ait S.Gregorius lib.4. Moral. cap.6. loquitur Job de die mortalitatis, quam perire optabat, ut erumperet dies sanctitatis & immortalitatis: *Quid est ergò diei nativitatis maledicere, nisi apertè dicere: dies mutabilitatis pereat, & dies æternitatis erumpat?*

Secundò, quandò Job ait: *Suspendium elegit anima mea*, per *suspendium* intelligit exaltationem animæ suæ à terrenis ad cælestia. *Sancti Viri*, inquit S.Pontifex mox citatus lib.8. Moral. cap.14. *suspendium eligunt, quia nimiràm terrena desideria deserentes, ad alta animum attollunt*; vel, ut explicant alii Scripturæ Sacræ Interpretes, satiùs ducebat, Job laqueo perire, hoc est, crudelem & probrosam mortem oppetere, quàm præ doloris acerbitate in aliquod prorumpere peccatum. Undè sibi benè conscius ait: *Non reprehendit me cor meum*, quod, juxtà S.Gregorium, intelligendum est de peccatis gravibus per consensum aut operationem commissis, sed non de venialibus, in quæ interdùm labuntur justi, & quorum expers non erat Job vir licèt sanctissimus.

Tertiò, quandò Job dicit: *Utinam appenderentur peccata mea in statera*, hæc dicit Iob voce generis humani, alludens ad Christum Servatorem nostrum, cujus dolores in statera appensi, spectatâ ipsius innocentiâ patientis & dignitate satisfacientis, omnibus hominum peccatis, quorum se

se vadem ac fidejussorem dedit, longè præponderarunt; sicut exponit idem Sanctus Gregorius lib. 7. Moralium cap. 11.

Quartò, dùm ait Job: *Si flagellat, occidat semèl, & non de pœnis innocentum rideat*, vehemens, quo flagrabat, exprimit desiderium humanæ Redemptionis per Christum consummandæ: *Itaque Vir sanctus*, Job, *venturi Redemptoris dona considerans, & votorum suorum dilationem graviter tolerans dicit*: Si flagellat, occidat semèl, & non de pœnis innocentum rideat, *ac si apertè exoret dicens: quia vita nostra quotidiè flagello vindictæ pro culpa atteritur, ille jam veniat, qui pro nobis semèl sine culpa moriatur, ut de innocentum pœnis Deus ultrà non rideat, si ipse carne passibilis appareat, in cujus se desideriis mens nostra castigat*. Verba sunt Gregorii Magni lib. 9. Moral. cap. 15.

Denique, verba illa Job: *Mutatus es mihi in crudelem*, hunc sensum, juxtà S. Gregorium, habent: *Domine, districtè feriendo non parcis*. Sic Propheta Isaias, cùm videret diem ultimi judicii non jam cum venia, sed cum severa animadversione venturum ait: *Ecce dies Domini veniet crudelis & indignatione plenus*. Addo etiam, has objurgatorias voces interdùm in Sanctis prodire ex amoris æstu, sicut appositè observat S. Cyrillus lib. 3. in Joannem cap. 24. Sic Vates Regius Psalm. 12. vers. 1. ait Deo: *Usquequò obliviisceris me in finem?* Et Psalm. 43. vers. 24. *Exurge, quare obdormis Domine?*

DILUUNTUR OBJECTIONES,

Contra Librum Estheris, & præfigitur tempus in quod incidit hæc Historia.

ANabaptistæ & Lutherani Historiam Estheris tanquàm commentitiam explodunt, sed eorum temeritas facilè revincitur ex solemnibus *Phurim*, quæ, ut eruditè notat Illustrissimus Abrincensis Episcopus pag. 174. Judæi maximâ

Ee cu-

curâ & religione tamdiù observarunt, ut videre est cap.15. lib.2. Machabæorum & in Codice Theodosiano L. Judæos, tit. de Judæis. Hæc autem solemnia Phurim, quæ etiam dicebantur dies sortium, & Amanæa & Mardochaica, originem & institutionem habuerunt ex epistola Phurim, quæ magna pars est libri Estheris, & quam græcè interpretatus est Lysimachus, regnantibus in Ægypto Ptolomæo & Cleopatra, sicut legitur initio cap.11. libri Esther, Editionis tàm græcæ, quàm latinæ: *Anno quarto regnantibus Ptolomæo & Cleopatra attulerunt Dositheus, qui se Sacerdotem & Levitici generis ferebat, & Ptolomæus filius ejus hanc Epistolam Phurim, quam dixerunt, interpretatum esse Lysimachum Ptolomæi filium in Hierusalem*. Incertum quidèm est, quisnam fuerit ille Ptolomæus, qui tùm temporis regnabat in Ægypto? an videlicet fuerit Ptolomæus Philometor, sextus ab Alexandro Magno Rex in Ægypto, qui, teste Josepho, Judæos Militiæ suæ Oziam & Dositheum constituit; an potiùs fuerit Ptolomæus Philadelphus, cujus anno septimo Libros sacros grçcè interpretati sunt Lxx. Senes? Sed quamvis id incertum sit, nullus tamen negare potest, ex ea temporis vetustate maximam libro Estheris conciliari auctoritatem, quam non elevant objectiones Hçreticorum, quibus hìc breviter faciam satis.

Arguunt itaque primò Hæretici, sex postrema capita libri Estheris non sunt in Textu hebræo: ergò saltèm sex postrema illa capita resecanda sunt è libro Estheris. Hinc Sixtus Senensis etiam post sanctionem Concilii Tridentini ait lib.1. Biblioth. Propter has appendicum lacinias hinc indè quorumdam Scriptorum temeritate insertas, librum Estheris, quamvis hebraicum & Hebræis receptum, serò admodùm apud Christianos canonicam auctoritatem obtinuisse. Et lib.8. asserit, sex postrema illa Capitula ab Ecclesia Catholica tanquàm ascititia & Apocrypha negligi.

Respondeo, sex postrema Estheris Capitula extitisse in antiquioribus hebraicis exemplaribus, ex quibus, ut testatur Origenes in epistola ad Julium Africanum, in græcas Edi-

Editiones translata sunt. Potuit quippè fieri, ut ab auctore illius libri duo ederentur exemplaria, unum pressius, quale nunc extat apud Hebræos, & alterum paulò auctius & locupletius, in quo erant somnium Mardochęi, Estheris oratio, necnon Assueri epistolæ, sicut repręsentatur in Textu græco & in Editione vulgata. Nec enim novum & insolens est, ut duæ ejusdem Historiæ texantur narrationes, una compendiosior, quæ factum aliquod historicum perstringat, altera diffusior, in qua eidem facto historico novæ quædam jungantur circumstantiæ & publica annectantur instrumenta ad illud pertinentia. Idque confirmari potest ex capite nono libri Estheris, ubi describuntur duæ epistolæ Mardochęi ad Judæos missæ, in quarum prima fusiùs descripta est Historia Estheris, in altera verò epistola idem factum historicum alio sed breviori modo narratur, conservatâ tamen in utraque epistola Historiæ veritate. Nec in hoc negotium facessere debet auctoritas Sixti Senensis viri alioquì doctissimi, quia licèt veniâ donandi sint Lyranus, Chartusianus, Hugo Cardinalis, qui ante Concilium Tridentinum scribentes, prædicta illa Capitula ceù spuria & Apocrypha rejecerunt, meritò tamèn culpandus venit Sixtus Senensis, qui post sanctionem Synodi Tridentini (quæ sess.4. anathema dicit cuicumque *libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt & in veteri vulgata Editione habentur, pro sanctis & canonicis non susceperit*) sex illa postrema Estheris Capitula à canonicis semovere præsumpsit.

Arguunt secundò Hæretici, hæc sex postrema Estheris Capitula pugnant cum prioribus. Nam cap.2. libri Estheris dicitur, quòd Mardochęus, cujus neptis erat Esther, insidias Eunuchorum detexerit anno septimo Regni Assueri, nihilque muneris ob detectas illas insidias accepisse memoratur cap.6. & tamen his omninò opposita referuntur in capit.12. quod est unum ex sex postremis Capitulis libri Estheris; nam in eo legitur, Mardochęum Eunuchorum detexisse insidias anno secundo Assueri, & data illi fuisse pro delatio-

ne, seù pro insidiarum detectione, munera. Quæ quidèm, ut nemo non videt, rectâ fronte pugnant.

Prætereà, in prioribus capitibus libri Estheris, maritus illius Reginæ vocatur Assuerus, sed in sex postremis Capitulis appellatur Artaxerxes. Quæ nominis variatio insignem parit difficultatem, immò crucem figit omnibus Scripturæ Sacræ Interpretibus, eorumque penitùs absorbet ingenia. At enim ab exordio captivitatis Babylonicæ usque ad initium Regni Artaxerxis Longimani, qui primus inter Persarum Reges hoc Artaxerxis cognomine nuncupari cœpit, interfluxerunt anni centum sexaginta quatuor, ut facilè colligitur ex serie Regum Persarum ab Herodoto & Ctesia descriptâ. Idque clariùs patebit, si annos, qui ab exordio captivitatis Babylonicæ usque ad initium Regni Artaxerxis Longimani elapsi sunt, ad calculum revocemus. In primis, teste Scripturâ Sacrâ, ab initio captivitatis Babylonicæ usque ad ipsius solutionem, quæ contigit anno primo Cyri Persarum Regis, fluxerunt anni septuaginta, Cyrus autem Persarum Rex triginta annos regnavit, ut scribit Ctesias. Cambyses ejus successor regnavit annis septem & quinque mensibus, juxtà Herodotum. Smerdes Magus regnavit septem mensibus, juxtà Herodotum & Ctesiam. Darius Histaspis filius regnavit annis triginta sex. Xerxes regnavit annis viginti, cui successit Artaxerxes Longimanus. Ex qua putatione annorum emergit summa ab initio captivitatis Babylonicæ usque ad exordium Regni Artaxerxis Longimani, emergit, inquam, summa annorum centum sexaginta quatuor. Quo semèl posito, oritur inextricabilis difficultas; nam cap.2. libri Estheris, Mardochęus dicitur *translatus de Hierusalem eo tempore quo, Jechoniam Regem Juda Nabuchodonosor Rex transtulerat*. Ex quo sequitur, Mardochęum tempore Artaxerxis Longimani natum fuisse ad minùs annos centum sexaginta sex, etiamsi supponatur, eum bimum in captivitatem Babylonicam fuisse translatum. Quæ certè ætas repugnat illi Mardochęo, qui in libro Estheris describitur vegetus & robustus, atque ad difficilia obeunda munia à Re-

Rege Assuero assumptus. Deniquè, Esther fuit neptis Mardochęi, atque ita tempore Artaxerxis Longimani attigisset annum ad minùs centesimum. Quæ profectò ætas haùd planè convenit huic Estheræ, quæ cap. 2. dicitur inter alias puellas virgo electa, quæ *formosa valdè, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa & amabilis videbatur.* Hic est nodus vindice dignus, qui adhùc tamen cordatum & felicem expectat dissolutorem.

Respondeo ad singula illa momenta, & ad primum dico, somnium, quod habuit Mardochęus, contigisse anno secundo Regis Assueri, insidias verò ab ipso fuisse detectas anno septimo ejusdem Assueri, sicut legitur capite 2. libri Estheris. Narrantur quidèm capite 12. ejusdem libri Esther somnium Mardochęi & statim detectio insidiarum, sed tamen detectio insidiarum non ad eumdem refertur annum, quo contigit somnium Mardochęi, quia, ut mox diximus, somnium Mardochęi incidit in annum secundum Assueri, detectio autem insidiarum in annum septimum ejusdem Assueri. Quod igitur auctor libri Estheris capite 12. statim post somnium Mardochęi narret insidias ab ipso detectas, hoc facit per anticipationem, quia detectio insidiarum pertinet ad eventum somnii. Rectè autem idem auctor ait capite 12. Mardochęum pro insidiis detectis anno septimo Assueri accepisse munera, quia reverà Mardochęus statim post delationem, seù insidiarum detectionem, aliquid modicum ab Assuero accepit cum promissione honoris & dignitatis deindè conferendæ, quam tamen non est consequutus nisi circà annum duodecimum Regni Assueri, sicut narrat idem auctor capite 6. in quo scribit, Mardochęum post detectionem insidiarum nihil muneris & honoris accepisse, idest, publicè, licèt privatim aliquod munusculum Mardochęus ab Assuero acceperit statim post detectionem insidiarum, quæ accidit anno septimo Regis Artaxerxis. Quapropter priora capita libri Estheris non pugnant cum sex ultimis. Addo etiam cum peritissimis Criticis, septem postrema Capitula libri Estheris non esse reverà postrema, sed quæ-

quędam eorum pertinere ad initium lib. ut XI. & XII. quędam ad medium, ut XIII. XIV. XV. & XVI. quædam verò ad finem ut cap. X. vt videre est in græcis Codicibus, in quibus omnia capita suo ordine collocata sunt. Ex quo inferunt, hæc verba, quæ leguntur capite XI. libri Estheris: *Anno secundo, regnante Artaxerxe*, non debere extendi usque ad narrationem insidiarum, quæ contigerunt tantùm anno septimo Assueri, qui dicitur Artaxerxes, sed ad somnium, quod vidit Mardochęus antequàm Assuerus Estherem sibi matrimonio copularet. Patitur tamen Ecclesia, inquit Bellarminus, ea capita simùl ad finem libri permanere, ubi illa S. Hieron. collocavit, ut intelligamus quid hujus libri, & quid etiam non sit in Codicibus Hebræorum.

Ad alterum momentum respondeo, nomen Assueri & Artaxerxis esse nomen non Persarum, sed dignitatis, quo fit, ut variis Regibus tribuatur. Undè non mirum, si Rex Persarum maritus Estheris appelletur in prioribus capitibus *Assuerus*, & in postremis *Artaxerxes*. Quis verò ille fuerit Persarum Rex Assuerus, qui etiam Artaxerxes hoc in libro nominatur, an Cambyses, an Darius Histaspis filius, aut Artaxerxes Longimanus, an Mnemon? Magna est difficultas, de qua non convenit inter sacræ Chronologiæ peritos. Scaligerus putat, Assuerum maritum Estheris fuisse Xerxem filium Darii Histaspis. Petavius asserit, fuisse Artaxerxem Longimanum. Sed, ut candidè fatear, utraque sententia procùl abest à vero. Nam Mardochęus Estheris avunculus, dicitur cap. 2. & cap. 11. lib. Estheris, translatus de Hierusalem, seù de eo numero captivorum, quos transtulit Nabuchodonosor Rex Babylonis de Hierusalem cum Jechonia Rege Juda. Si ergò Xerxes, ut censet Scaligerus, esset maritus Estheris, sequeretur, supputando, juxtà communem Chronologorum calculum, annos, qui fluxerunt ab initio captivitatis Babylonicæ usque ad tempora Xerxis Persarum Regis, Mardochęum tempore Xerxis natum esse annos centum & quinquaginta, etiamsi supponatur, eum adhùc puerulum & sexenem fuisse cum suo patre *Cis* in Babylonem transf-

translatum, ac subindè Estherem ejus neptim annosam fuisse & senio confectam, quandò nupsit Xerxi. Quod sanè absurdum est & absurdius adhùc apparet in sententia Petavii, qui hanc Estheris Historiam refert ad tempora Artaxerxis Longimani filii Xerxis, quem maritum Estheris fuisse opinatur. Quocircà utriusque auctoris repudiatâ sententiâ, in eam facilè ipse eo sententiam illorum, qui autumant, hunc Assuerum, seù Artaxerxem maritum Estheris fuisse Darium Histaspis filium. Ille quippè Darius, teste Herodoto, subegit Indos, & regnavit super 127. Provincias, *fecitque cœnam magnam omnibus Vernaculis suis & aliis Magistratibus Mediæ & Persidis, omnibus Purpuratis, Prætoribus & Præfectis sub illo ab India usque Æthiopiam centum viginti septem Provinciis*, sicut legitur lib.3. Esdræ cap.3. qui liber, licèt non sit canonicus, pari tamen debet pollere auctoritate, quam obtinent libri editi ab Historicis prophanis. Hęc autem omnia apprimè conveniunt Assuero Estheris marito; quippè qui, ut legitur cap.1. libri Estheris, *regnavit ab India usque Æthiopiam super centum viginti septem Provincias ...... Tertio igitur anno Imperii sui fecit grande convivium cunctis Principibus & pueris suis, fortissimis Persarum & Medorum inclytis, & Præfectis Provinciarum coram se*. In eam sententiam eò lubentiùs descendo, quòd, eâ semèl admissâ, facili negotio solvitur difficultas de ætate Mardochęi, qui à Nabuchodonosore abductus est in captivitatem Babylonicam. Quod, ut clariùs pateat, observandum est, Cyrum regnasse quidèm triginta annos, sicut ei Historici omnes constanter tribuunt, sed tamen viginti septem annos regnasse in Perside, & per alios tres ultimos annos regnasse in Babylone, quandò, devicto Dario Medo Babyloniorum Rege, tanquàm supremus Monarcha regnare cæpit. Quandò igitur dicitur, Cyrum anno primo Regni sui laxasse captivitatem Babylonicam, id non est intelligendum de anno primo Regni, quod Cyrus injit in Perside, sed est intelligendum de anno primo Regni, quod Cyrus suscepit in Babylone, dùm Persarum instituit Monarchiam, & tan-

quàm

quàm supremus Monarcha Persarum per tres annos in Babylone imperavit, sicut latiùs ostendi in Apparatu Chronologico, quem ad calcem Tractatus *de Mysteriis & Annis Christi* attexui. Hac præmissâ observatione, subducamus annos, & supponamus, Mardochęum quinque annos natum fuisse adductum in captivitatem Babylonicam, fluxerunt posteà anni septuaginta captivitatis Babylonicæ. Cyrus regnavit in Babylone tanquàm supremus Monarcha tribus annis. Cambyses ejus successor regnavit septem annis, & quinque mensibus. Smerdes Magus regnavit septem mensibus, cui successit Darius Histaspis filius. Qui anni simùl collecti efficiunt summam octuaginta sex annorum, quos natus erat Mardochęus initio Regni Darii Histaspis. Porrò, experientiâ constat, multos esse eâ ætate senes adhùc robustos & vegetos. Esther verò initio Regni Darii Histaspis adhùc juvenis erat, utpotè filia fratris Mardochęi ipso longe junioris, & nata ex patre jam grandævo. Hoc pacto, meâ quidem sententiâ, faciliùs solvitur hic nodus de ætate Mardochęi; nam alii Chronologi, qui Cyro, post solutam captivitatem Babylonicam, annos tribuunt viginti novem Regni, velint nolint, fateri debent, Mardochęum initio Regni Darii Histaspis filii ultrà centesimum annum fuisse ætate provectum, quod sanè verosimile non est, vel asserere coguntur, Mardochęum dici translatum in captivitatem, non quod jam natus esset, sed quòd natus fuerit ex illis familiis, quæ tempore Joachini Regis Juda in captivitatem Babylonicam fuerunt à Nabuchodonosore abductæ. Quod sanè merum effugium est, falsique palàm convincitur ex cap.2. & 11. libri Estheris tàm græcè, quàm latinæ Editionis, ubi disertè legitur, Mardochęum fuisse reverà translatum in captivitatem Babylonicam.

Arguunt ultimò Hæretici, in prioribus capitibus libri Estheris, videlicet cap.9. dicitur, quòd Aman, qui conspiraverat contra Judæos, sit oriundus ex stirpe Aag, seu quòd sit Amalecites, sed in sex posterioribus ejusdem libri Capitulis, nimirùm cap.16. vers. 10. dicitur, quòd Aman esset gente Macedo, & in Assuerum conspirasset, ut Regnum ad Macedo-

do-

dones transferret. Quæ sanè varietas non solùm innuit, sex illa postrema capita fuisse altera manu composita, sed etiam imprudenter & inscitè conficta. At enim quod ibidem refertur, non cadit in tempora Mardochęi & Darii Histaspis filii, quem mox diximus, fuisse maritum Estheris. Tunc siquidèm Gens Macedonum erat Persis ignota, & obscurissimum eorum Regnum, quod dumtaxat invaluit & inclarescere cæpit tempore Philippi patris Alexandri Magni, cujus Imperium concurrit cum Imperio Artaxerxis Ochi longè posterioris Dario Histaspis filio. Probabilius itaque est, sex illa postrema libri Estheris capita fuisse de industria conficta ab aliquo juniori auctore, qui Regis Assueri contra perfidum Aman litteras fingens, eum Macedonem fecit, ut hoc nomine eum magis exosum ac invisum redderet Persis, qui posterioribus temporibus à Macedonibus ætate Alexandri Magni superati, eos cane pejus & angue oderant. Ex eo igitur inepto anachronismo clarè colligitur, sex postrema libri Estheris capita non esse genuina, sed potiùs assuta & adulterina.

Respondeo, in his laudatis capitibus nullam offendi antilogiam; nam fortè Aman ex paterno genere ducebat originem ex stirpe Agag, adeòque Amalecites erat, & ex materno genere erat Macedo. Vel etiam dici potest, quòd Aman patriâ quidèm fuerit Macedo, scilicet Græcus, sed origine prodierit ex stirpe Agag, & in hoc sensu fuerit Amalecites; scilicet fieri potuit, ut nonnulli ex profligatis Amalecitis ad Græcorum partes profugerint, ex quibus oriundus Aman appellari potuit gente Græcus, seù Macedo, ab Interprete libri Esther, quia ejus tempore Macedonum nomine, tanquàm sub nobiliori & potiori parte comprehendebantur cæteri alii Græci. Falsum autem est, tempore Mardochęi & Darii filii Histaspis ignotos fuisse Persis Macedones; nam tùm temporis Macedones jam bellicis facinoribus inclytos fuisse ex variis eorum pugnis & contra Thraces, aliosque ipsorum gloriæ æmulos reportatis victoriis, sat liquidò colligitur, ut videre est apud Justinum lib. 7.

Ff Di-

DILUUNTUR OBJECTIONES

Contra Librum Psalmorum.

FUerunt olim Hæretici Nicolaitæ, Gnoſtici & Manichæi, qui, ut ex Philaſtrio refert noſter Sixtus Senenſis lib.8. Bibliothec. temerè effutiebant, librum Pſalmorum abſque afflatu Spiritus Sancti fuiſſe conſcriptum, & præter humanas quaſdam ſæcularium Poëtarum cantilenas nihil aliud continere. In eumdem errorem impegiſſe Paulum Samoſatenum, Theodorum Mopueſtenum in quinta Synodo generali condemnatum, & Anabaptiſtas, ibidem teſtatur laudatus Sixtus Senenſis. Sed quàm turpiter hallucinati ſint hujus furfuris homines, invictè probatur auctoritate Chriſti & Apoſtolorum, qui Pſalmos interdùm citant ut ſacros ac divinos. Chriſtus enim Matth. cap. 22. citat Pſalmum 109. *Dixit Dominus Domino meo &c.* additque, hoc dictum eſſe à Davide in ſpiritu, ideſt, afflante Spiritu Sancto. Et Lucæ cap.29. Chriſtus Dominus poſt Reſurrectionem ſuam, cùm ſenſus Scripturarum Diſcipulis euntibus in caſtellum Emmaus aperiret, diſertè teſtatus eſt, Spiritum Sanctum ſicut in Lege & in Prophetis, ita & in libro Pſalmorum, de Vita, Paſſione, Morte, Reſurrectione Meſſiæ & Prædicatione Evangelii fuiſſe loquutum. Chriſtus etiam, Joannis cap. 10. citat Pſalmum 41. *Ego dixi, Dii eſtis*. Eamdem divinam auctoritatem libro Pſalmorum vindicant Sacri Evangeliſtæ & Apoſtoli. Matthæus namque auctorem Pſalmi 77. vocat Prophetam, dicens cap. 13. *Ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum &c.* S.Paulus cap. 1. epiſt. ad Hebræos utitur tanquàm teſtimonio divino illo loco Pſalmi 44. *Thronus tuus, Deus, in ſæculum ſæculi*. Et cap.3. ejuſdem epiſtolæ ex Pſalmo 94. teſtimonium ſumit tanquàm propheticum dicens, ſicut dicit Spiritus Sanctus: *Hodiè ſi vocem ejus audieritis*. Deniquè, ſi ſpectetur ſubjecta Pſalmi materia, liquidò conſtabit, eorum aucto-

auctorem fuisse divinitùs afflatum, cùm benè multa futura vaticinatus fuerit, quæ diuturnum post tempus fuerunt adamussim completa. Futurum siquidèm Christi Regnum, ejus generationem tùm æternam, tùm temporalem, Sacerdotium, Sacrificium, Vitam, Mortem, Resurrectionem & Ascensionem prædixit, sicùt & vocationem gentium, & Ecclesiam toto Orbe propagatam vivis coloribus, styli sublimitate & gratâ figurarum omnium varietate exprimit. Hæc legenti Psalmos passim obvia sunt, & palàm ostendunt, librum Psalmorum eò potissimùm collimare, ut Mysterium Incarnationis & Sacrificii Christi Servatoris nostri prænuncient, nihilque aliud sint, quàm forma quædam & Apparatus novi Testamenti, ut Sole clariùs evincunt Illustrissimus Meldensium Episcopus Dominus *Bossuet*, & Illustrissimus Abrincensium Episcopus D.*Huetius* in sua Demonstratione Evangelica, qui duo clarissimi auctores magna cum eruditionis laude & majori cum Ecclesiæ utilitate in hoc argumento versati sunt. Sed proponamus nunc objectiones, queis supra citati malè feriati Hæretici divinam libri Psalmorum auctoritatem impetere & labefactare moliebantur.

Arguunt itaque primò Hæretici, quàm plurimæ sunt imprecationes in libro Psalmorum, verbi gratiâ, *convertantur peccatores in infernum*, Psalm.9. *Erubescant impii & deducantur in infernum*, Psam.30. *Confundantur & revereantur, quærentes animam meam. Avertantur retrorsùm & confundantur cogitantes mihi mala. Fiant tanquàm pulvis ante faciem venti &c. Veniat illi laqueus, quem ignorat, & captio, quam abscondit, apprehendat eum, & in laqueum cadat in ipsum*, Psalm.34. *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum*, Psalm.57. *Convertentur ad vesperam, & famem patientur ut canes*, Psalm.58. *Deus meus pone illos ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti &c.* Psalm.82. Sanè ejusmodi imprecationum, in quas passim erumpit Scriptor libri Psalmorum, Spiritus Sanctus non potest esse auctor, cum sit spiritus mansuetudinis & charitatis. Liber igitur Psalmorum divinâ non pollet auctoritate.

Respondeo cum S.Thoma 2. 2. quæst. 25. art. 6. ad 3. imprecationes, quæ in Scriptura Sacra inveniuntur, posse tripliciter intelligi. Uno modo per modum prænunciationis, sed non optationis, ut sit sensus: *Convertantur peccatores in infernum*, Psalm.9. ideſt, convertentur. Alio modo per modum optationis, ut tamen desiderium optantis non referatur ad pœnam hominum, sed ad justitiam punientis, secundùm illud Psalmi 57. *Lætabitur justus cùm viderit vindictam*, quia nec ipse Deus puniens lætabitur in perditione impiorum, ut dicitur Sapientiæ cap.1. sed in sua justitia lætabitur, *quia justus Dominus, & justitias dilexit*, Psalm.10. Tertiò modò, ut desiderium referatur ad remotionem culpæ, non ad ipsam pœnam, scilicet, ut peccata destruantur, & homines remaneant. Hactenùs S.Thomas. Undè David optat & apprecatur in suis Psalmis pœnas malis, vel ut ad meliorem frugem se se reciperent & à pecatis resilirent, vel ut saltèm peccare desinerent moriendo, sicque minùs in inferno punirentur, vel deniquè, ut hoc in Mundo reluceret Justitia Divina, quæ protegit innocentes, & acerbis pœnis afficit impios, sceleſtos, pacis & boni publici osores, persecutores justorum, inimicos Dei, & violatores sanctæ ipsius Legis, in quos Vates Regius zelo promovendæ gloriæ Dei incensus optimo jure invehitur, undè dicit: *Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobantium tibi ceciderunt super me*. Et rursùm: *Non nè qui oderunt te, Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi*; Psalm.138.

Arguunt secundò Hæretici, non eſt certum, quòd David sit auctor libri Psalmorum: ergò itidèm certum non eſt, librum Psalmorum divinam obtinere auctoritatem.

Respondeo primò negando consequentiam, quia licèt David non sit auctor omnium Psalmorum, certissimè tamen constat, illos Psalmos, qui Davidi non tribuuntur, fuisse editos à Prophetis, videlicet Asapho, Hemano, Idithuno, Core, & filiis ejus, quos Scriptura Sacra lib.1. Paralipomen. cap.25. Prophetas appellat: *Igitur David & Magistratus* *Exer-*

Exercitus segregaverunt in ministerium filios Asaph, & Heman, & Idithum, qui prophetarent in Citharis, & Psalteriis, & Cymbalis &c. Quin & novum Testamentum indiscriminatim ceù sacros & divinos Psalmos citat sive illos, qui, nemine refragante, tribuuntur Davidi, sive illos, qui Asaphi, Hemanis, Idithuni, Core, & Moysis titulis prænotantur. Quod quidem luculenter probat, totum Psalmorum librum divinam sibi asciscere auctoritatem, etiamsi omnes Psalmi Davidem non habeant auctorem.

Respondeo secundò, circà auctorem libri Psalmorum duplicem esse cùm veterum, tùm recentiorum sententiam. Prima est S.Chrysostomi, Theodoreti, Euthymii, & Cassiodori; qui omnes Psalmos Davidi tanquàm legitimo auctori adjudicant, quibus Philastrius hæresi 126. non solùm suffragatur, sed etiam hæreticos illos esse pronunciat, qui secùs sentiunt. Altera sententia est S.Hilarii prolog. in Psalmos, Auctoris Synopseos, quæ attribuitur S.Athanasio, & S.Hieronymi, qui centum quinquaginta Psalmos non uni Davidi adscribendos esse affirmant. Sic enim loquitur S.Hieronymus in epistola ad Cyprianum: *Scimus, errare eos, qui Psalmos omnes David esse arbitrantur, & non eorum, quorum nominibus inscripti sunt.* Et in epistola ad Sophronium: *Psalmos*, inquit, *eorum testamur auctorum, qui ponuntur in titulis, David scilicet, Asaph, Idithum, filiorum Chore, Eman, Esraitæ, Moysi, Salomonis, & reliquorum, quos Esdras uno volumine comprehendit.* Hæc sententia S.Hieronymi est quidèm probabilior, tùm quia ex Psalmorum titulis, quibus eorum auctores indicantur, liquet, Davidem non esse omnium Psalmorum auctorem; tùm quia etiam sunt quidam Psalmi, qui ad tempora Davidis Regis nullo pacto referri possunt, sicut, verbi gratiâ, Psalmus 136. *Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus, cùm recordaremur Sion*, hunc siquidèm Psalmum tempore captivitatis Babylonicæ, ac subindè longè post Davidis obitum fuisse conscriptum, nemo est qui non videat. Similiter Psalmus 125. *In convertendo Dominus captivitatem Sion &c.* editus est post solutam captivitatem Ba-

Babylonicam, adeòque ad Davidem pertinere haùd poteſt. Cæterùm, quamvis verum ſit, non omnes Pſalmos uni Davidi Regi eſſe tribuendos, oppidò tamen falſum eſt quod dictitant Hæretici Anabaptiſtæ, Pſalmum tantummodò decimum ſeptimum Davidis eſſe, quia ei tribuitur lib.2. Reg. cap. 22. nam præter Pſalmum 109. quem à Davide fuiſſe compoſitum diſcimus Matth. cap. 22. & Lucæ cap.10. præter Pſalmos 104. & 95. qui tanquàm à Davide conſcripti, in unum conjuncti referuntur lib. 1. Paralipom. cap. 16. Sunt & alii plurimi Pſalmi, quorum tituli, qui extant in Codicibus hebraicis, græcis & latinis, Davidem indicant auctorem. Sunt & alii quoque Pſalmi, quorum tituli deſiderantur, & quos, ex ipſo contextu, aut ex rerum actarum Hiſtoria, à Davide conſcriptos eſſe compertum eſt. Quamvis autem omnes Pſalmi à Davide non fuerint compoſiti, Davidi tamen liber Pſalmorum inſcribitur; tùm quia David præcipuam libri Pſalmorum partem ipſe condidit, non ſecùs ac Ciceronis Epiſtolarum volumen, etſi ex aliorum epiſtolis conflatum ſit, uni tamen Ciceroni, cujus major eſt Epiſtolarum pars, tribuitur; tùm quia etiam in delectu Hymnorum, in novorum adjectione, in muſico inſtrumento, & in cantorum diſpoſitione primæ Davidis partes fuerunt, & inſignis illius cura enituit. Hinc de ejus nomine tota Pſalmorum congeries nomenclaturam accepit.

Quod ad ordinem Pſalmorum attinet, nulla ſervatur ratio temporis, nam Pſalmus, qui nunc ordine tertius eſt, ſcriptus fuit quandò David fugiebat perſequentem filium Abſalonem. Pſalmus verò quinquageſimus multò ante fuerat editus, quandò videlicet ob crimen adulterii & homicidii à Propheta Nathan objurgatus David, facti pœnitens reſipuit, & ingemiſcens exclamavit: *Miſerere mei Deus &c.* Pſalmus etiam centeſimus quadrageſimus primus præceſſit utrumque laudatum Pſalmum, nam fuit compoſitus quandò David ob Saulis Regis metum in ſpelunca cum ſuis delituit. Pſalmus pariter centeſimus quadrageſimus tertius præceſſit tres illos jam citatos Pſalmos, ſcriptus quippè eſt poſt re-
por-

portatam à Davide de Gigante Goliath victoriam. Postremò, Psalmus, qui nunc est septuagesimus primus, reverà ordine temporis est omnium ultimus, utpote à Davide exaratus in gratiam Salomonis jam regnare incipientis; Hinc ad calcem illius Psalmi hæc adjiciuntur verba: *Defecerunt laudes David filii Jesse*. Cùr autem Psalmorum ordo à temporum ratione discrepet? varii auctores varias rationes proferunt, quibus præferendam esse existimo conjecturam Illmi Episcopi Abrincensis, qui suspicatur, hoc ordine Psalmos ab Esdra & Synagoga magna fuisse digestos, quo in Templo canebantur, prout nempè vel anniversariæ solemnitates, vel sacrorum ratio postulabat.

Diluuntur Objectiones

Contrà duos priores Machabæorum Libros.

Arguunt primò Hæretici, varii sunt in duobus prioribus Machabæorum libris Chronologiæ errores, qui in consignandis temporibus nullo pacto cum Historiis Gentilium concordari possunt: igitur duo priores Machabæorum libri ad Apocryphorum classem ablegari debent. Probatur antecedens. Cap. 1. libri 1. Machab. vers. 11. dicitur, quòd Antiochus Epiphanes, seù illustris, regnare cæperit anno 137. Regni Græcorum, quem tamen tardiùs regnasse, idest, anno 153. constat ex Eusebio in Chronico, & ex omnibus Historicis græcis. Prætereà, idem Antiochus lib. 1. cap. 6. dicitur mortuus anno 149. Regni Græcorum; at verò capite 11. lib. 2. filius ejus jam regnans dicitur, & post mortem patris litteras scribit anno 148. Regni Græcorum. Plures itaque circà Chronologiam antilogiæ in libris Machabæorum reperiuntur.

Respondeo, has apparentes Chronologiæ dissonantias facilè conciliari posse; nam Historici Græci annos Regni Græcorum computant ab initio Regni Alexandri Magni, qui, ad Arbella devicto Dario Codomanno ultimo Persarum

rum

rum Rege, tanquàm supremus Monarcha per sex annos regnavit. Ast auctor librorum Machabæorum, sicut & Judæi annos Regni Græcorum numerant ab initio Regni Seleuci Nicatoris, qui dumtaxat annis post obitum Alexandri Magni undecim Regnum obtinuit in Syria, cujus pars est Judæa. Hinc citrà ullum Chronologiæ errorem oritur illa in annis Regni Græcorum diversitas; nam verum est, Antiochum Epiphanem anno 137. Regni Græcorum regnare cæpisse, juxtà epocham illius Regni Græcorum sumptam à Seleuco Nicatore, qui primus in Syria undecim annis post obitum Alexandri Magni Regnum obtinuit. Et verum itidèm est, eumdem Antiochum Epiphanem Regnum suum injisse anno 153. Regni Græcorum, juxtà illius Regni epocham, quæ suum habet exordium à Regno Alexandri Magni. Quâ de re plura diximus in Apparatu Chronologico, quem ad calcem Tractatus *de Mysteriis & Annis Christi* attexuimus, ubi copiosè disseruimus de Æra Lagidarum, qui annos Regni Græcorum putabant ab initio Alexandri Magni, & de Æra Seleucidarum, qui annos Regni Græcorum ducebant à principio Regni Seleuci in Syria. Quod autem spectat diversitatem illam unius circiter anni, quæ in consignandis temporibus offenditur in duobus prioribus Machabaicis Libris, clarè etiam ibidèm exposuimus, illam diversitatem nasci ex vario modo inchoandi annum. Nam Judæi annum auspicabantur à mense *Nisan* verno tempore, sed Græci annum incipiebant à mense Septembri. Porrò auctor libri 1. Machabæorum primam sequitur supputationem anni à mense *Nisan*, auctor verò libri 2. Machabæorum posteriorem sectatur supputationem anni à mense Septembri. Quò fit, ut auctor libri 1. Machabæorum dicat, Antiochum Epiphanem mortuum esse anno 149. Regni Græcorum, auctor verò libri 2. scribat, filium Antiochi Epiphanis regnare cæpisse anno 148. Regni Græcorum. Hæc igitur in consignandis temporibus diversitas non officit auctoritati librorum Machabaicorum, sed eam potiùs commendat & eorum antiquitatem commonstrat.

Ar-

Arguunt secundò Hæretici, auctor libri 1. Mach abæor. cap.9. scribit, Judam Machabæum fuisse occisum anno 152. Regni Græcorum, sed auctor lib.2. Machab. cap.1. ait, Judam Machabæum scripsisse epistolam anno 188. Regni Græcorum, hoc est, sex & triginta annis post obitum Judæ Machabæi, quod, ut nemo non videt, manifestam involvit contradictionem.

Huic objectioni triplex potest adhiberi responsio. In primis dici potest contra Hæreticos, incuriâ Librariorum incidisse mendum in notas numerales, & scriptum fuisse annum 188. loco anni 148. quo anno scripta omninò videtur hæc epistola, tùm quia hoc anno 148. Regni Græcorum in vivis erat Judas Machabæus, quippè qui vitâ solùm functus est anno expleto Regni Græcorum 152. juxtà Æram Seleucidarum, vel mortuus est anno 169. Regni Græcorum, juxtà Æram Lagidarum; tùm quia etiam in hac epistola duo narrantur recens facta, quæ reverà anno 148. Regni Græcorum, juxtà Æram Seleucidarum, contigerunt, nempè, expoliatio Templi Nanεæ facta ab Antiocho Epiphane, ejusque in hoc Templo clades, & Templi Hierosolymitani à Gentilibus prophanati purificatio propediem facienda. Quocircà hęc epistola scripta videtur anno 148. Regni Grę corum, & missa à Juda Machabæo & à populo Hierosolymitano ad Aristobolum magistrum Ptolomæi Regis & ad Judæos Hellenistas in Ægypto commorantes, quos ea in epistola monent & certiores faciunt de Antiochi clade, eosque adhortantur ad celebrandam diem scenopegiæ. Secundò, responderi potest, hæc verba, *Anno* 188. non esse principium epistolæ sequentis, quam Judas Machabæus scripsit, sed esse finem præcedentis epistolæ, quam totus Judæorum populus, duce Joanne Hyrcano, scripsit, & quæ eodem capite 1. lib.2. Machabæor. præcedit ordine epistolam Judæ Machabæi, sed eâ tempore posterior est, utpotè scripta anno Regni Græcorum 188. Undè vero quàm simillimum videtur, posteriorem hanc epistolam, quæ in Codicibus grę cis, teste Bellarmino, non incipit ab istis verbis: *Anno centesi-*

tesimo octogesimo octavo, sed ab istis: *Populus, qui est in Judæa & Hierosolymis*, scriptam quidèm fuisse à Juda Machabæo, eam tamen non nisi post ejus obitum, & tempore Joannis Hyrcani, quo Judæi altâ pace potiebantur, directam fuisse ad Judæos in Ægypto commorantes, cui Judæi Hierosolymitani brevem illam epistolam priorem adjunxerunt & annum, quo scribebant, nimirùm 188. præfixerunt. Deniquè, responderi potest, hanc posteriorem epistolam (factâ hypothesi quòd incipiat ab istis verbis: *Anno centesimo octogesimo octavo*) non fuisse scriptam à Juda Machabæo, sed ab altero Juda, qui an fuerit Judas Essenus, qui tùm temporis, teste Josepho, ob prophetiæ donum magnâ apud Judæos pollebat auctoritate, vel alius nobis incognitus? planè incertum est, sicut incertum est, quis fuerit ille Aristobulus, qui magister Ptolomæi hac in epistola appellatur, an Aristobulus Peripateticus? an aliquis alius ejusdem ætatis?

Arguunt tertiò Hæretici, in hac, quam Judas Machabæus scripsit, epistola, quæ legitur cap. 1. lib. 2. Machabæor. Antiochus Epiphanes percussus dicitur & membratim discerptus in Templo Naneæ, Veneris aut Dianæ (nam utraque in Perside colebatur.) At cap. 9. ejusdem libri dicitur, eumdem Antiochum à Persepoli fugatum, dùm omnes ad unum Judæos ad internecionem perdere meditaretur, maximis viscerum doloribus excruciatum, scaturientibus è corpore cum fætore intolerabili vermibus, post suorum criminum agnitionem, & serò promissam emendationem miserabili morte in montibus occubuisse. Quæ discrepantia in describenda morte Antiochi apertam sapit antilogiam.

Prætereà, lib. 1. Machabæorum cap. 4. purificatio Templi à Juda Machabæo celebrata dicitur paulò ante obitum Antiochi Epiphanis, anno videlicet Regni Græcorum 148. Sed cap. 10. lib. 2. Machabæorum eadem Templi purificatio facta refertur biennio post mortem ejusdem Antiochi, quæ sanè sibi è diametro opposita esse, secumq; pugnare videntur.

Respondeo ad primum, cap. 1. lib. 2. Machabæorum non

non expresè dici, Antiochum Epiphanem in Templo Naneæ fuisse occisum, ut patet ex tenore verborum, quæ ibidèm leguntur: *Clauserunt Templum, cùm intrasset Antiochus, apertoque occulto aditu Templi, mittentes lapides percusserunt ducem, & eos, qui cum eo erant, & membratim diviserunt, & capitibus amputatis foràs projecerunt*. In his; inquam, verbis, percussio quidèm respicit ducem (tametsi ambiguum etiam videatur, an ille dux, qui percussus est; fuerit Antiochus Epiphanes? vel alius ex ejus Optimatibus?) Ast membrorum divisio necessariò non refertur ad ducem, sed ad eos restringi debet, qui cum ipso erant. Undè cùm ex hac clade evasisset, fugamque arripuisset Antiochus, mœrore posteà ac morbo in montibus consumptus fætidam animam expuit, sicut legitur cap. 9. lib. 2. Machab.

Ad alterum momentum respondeo, quòd licèt Antiochi mors post ejus è Perside fugam narretur cap. 9. libri 2. Machabæor. attamen non dicitur cap. 10. Templum fuisse à Juda repurgatum post Antiochi mortem, nec illud, *post biennium*, respicit mortem Antiochi, ita ut sensus sit, Templi purgationem contigisse biennio post mortem Antiochi, sed illud, *post biennium*, respicit diem, quo Templum fuerat prophanatum, ut sensus sit, biennio post illum diem Templum fuisse à Juda Machabæo repurgatum. Purificatio igitur Templi facta est anno 148. Regni Græcorum, hoc est, inter fugam Antiochi & ejus mortem in montibus circà Babyloniam.

Arguunt quartò, multa extant in duobus prioribus Machabæorum libris, quæ certissimis Historiis & veræ pietati sunt contraria. Nam primò, Alexander Magnus dicitur primus regnasse in Græcia, lib. 1. cap. 1. & tamen certò certiùs constat, plures ante Alexandrum, ejusque patrem Philippum, in Græcia regnasse Principes & Reges Lacedæmoniorum, Macedonum, Corinthiorum, Atheniensium &c. ut ex Chronico Eusebii patet. Secundò, ibidèm dicitur, quòd Alexander Magnus morti proximus Regnum suis ducibus diviserit, cùm adhùc viveret. At verò divisionem illam

post mortem dumtaxat Alexandri Magni factam esse, memoriæ prodiderunt Justinus lib.12. Diodorus lib.7. Curtius lib.10. cap.7. & Orosius lib.3. cap. 23. Insuper auctor lib.1. Machabæor. narrat cap.8. Romanos Magistratum suum uni per singulos annos committere, & tamen Romæ duos Consules cum æqua potestate singulis annis creari solitos esse, liquet ex Fastis Consularibus. Quartò, Raziæ, qui sibi necem conscivit, facinus cum elogio narratur cap.14. libri 2. Machabæor. quod sanè factum pietati & Religioni contrarium auctor divinitùs inspiratus cum laude narrare haùd potuisset. Deniquè, cap.12. refertur, quòd Judæi interfecti in prelio habuerint sub tunicis suis donaria Idolorum, quod erat Lege divinâ prohibitum. Ex quo videtur, eos in prævaricationem Legis usque ad obitum perseverasse, atque damnationem æternam incurrisse; & nihilosecius ibidem subjicitur, immò cum laude memoratur, quòd Judas Machabæus pro illis Judæis jam defunctis sacrificium obtulerit.

Respondeo ad singula illa momenta, & ad primum dico, Alexandrum Magnum primum fuisse, qui devicto Dario Codomano ultimo Persarum Rege, cæpit cum summo imperio, idest, tanquàm supremus Monarcha regnare in Græcia, undè ab Alexandro Magno, ut fatentur omnes Historici, auspicatur Græcorum Imperium.

Ad alterum momentum dico, non ita apud Scriptores prophanos constare, Alexandrum Magnum Regnum suum ante obitum suum non divisisse; nam Quintus Curtius scribit lib.10. cap.13. plures esse Auctores, qui hanc Regni divisionem ab Alexandro Magno, dùm adhùc in vivis esset, factam fuisse perhibent, & Diodorus Siculus lib.18.Biblioth. refert, Testamentum de toto suo Regno Rhodi depositum fuisse ab Alexandro. *Justinus* etiam ait, Alexandrum Magn. paulò antequàm moreretur, exemisse è digito Annulum, quo scripta sua obsignabat, quique summæ potestatis index erat, & illum Perdiccę tradidisse, ei supremam suam de Regni divisione voluntatem declarando, quam Perdiccas, mortuo Ale-

Alexandro Magno, executioni mandavit, ita ut *Aridæus* frater Alexandri Magni habuerit summam Imperii: *Perdiccas* Copiarum Regiarum Præfecturam: *Ptolomæus* Ægyptum & Africam: *Laomedon* Syriam cum Phœnice: *Philotas* Ciliciam: *Antipater* Macedoniam: *Antigonus* Lyciam, Pamphiliam & Phrygiam majorem: *Cassander* Cariam: *Meleager* Lydiam: *Leonatus* Phrygiam minorem, Hellesponto adjunctam, *Eumenes* Cappadociam & Paphlagoniam: *Pithon* Mediam: *Lysimachus* Thraciam &c. Quapropter sacer Auctor nihil hac in parte narrat Historiis prophanis contrarium.

Ad tertium momentum respondeo, Auctorem sacrum non asserere, unum hominem apud Romanos singulis præesse, & summâ rerum potiri, sed solùm narrare, quòd Judas Machabæus ex fama publica id ita fieri audiverat. Undè sive ita foret, sive aliter, nihil omninò interest ad factum, quod narrat sacer ille Auctor. Porrò hujus famæ fundamentum fuit, tùm quòd alternis diebus Romæ imperabant Consules, & sic unus solus actu semper imperabat; cujus argumentum est infelix pugnæ Cannensis eventus, non aliundè repetendus, quàm ex temeritate illius Consulis, penès quem eo die erat imperium; tùm quòd etiam unus Consul suæ ditionis Provinciis solus præerat, solusque ab illis agnoscebatur. Hinc cap. 15. lib. 1. Machabæor. unus solus Consul Romanorum ad Ptolomæum Regem in gratiam Judæorum scribit epistolam, quæ sic incipit: *Lucius Consul Romanorum Ptolomæo Regi salutem &c.*

Ad quartum dico cum S. Augustino, Raziæ facinus narrari ut generosum & audax, non tamen laudari ut justum & sanctum. Addo etiam, Raziam speciali divino instinctu impulsum id egisse, sicut præstitit Samson. Quo in casu nulla omninò reprehensione dignum videtur Raziæ facinus.

Ad ultimum respondeo, Judam Machabæum existimasse, illos Milites non idololatriæ superstitione, sed prędæ dumtaxat aviditate, donaria illa ex Templo Idolorum abstulisse,

liſſe, ac ſubindè venialiter tantùm eos peccaſſe, aut eos ante mortem de peccato ſuo doluiſſe. Quò fit, ut pro illis preces & ſacrificia abſque pietatis violata Regula offerri potuerint.

Arguunt ultimò, in duobus prioribus Machabaicis libris fabulæ pro Hiſtoriis obtruduntur; nam lib. 2. cap. 2. ſcribitur, Hieremiam juſſiſſe, ut Judæi, qui tranſmigrabant, ſeù in captivitatem Babylonicam abducebantur, ignem acciperent, & Tabernaculum atque Arcam comitarentur ſecum, uſquequò iverit in montem, in quem Moyſes aſcendit & vidit hæreditatem Dei, ubi invento in modum ſpeluncæ loco, Tabernaculum & Arcam & Altare incenſi illùc retulit, obſtructoque oſtio dixit: *Ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi & propitius fiat, tunc Dominus oſtendet hæc &c.* Quæ narratio fabuloſa eſſe videtur, tùm quia nec in libro Hieremiæ, nec alibi in Scriptura Sacra vel minimum hujuſce rei extat veſtigium; tùm quia etiam id, quod eo loci narratur, nullo pacto Hieremias præſtare potuit. At enim dùm obſideretur urbs Hieruſalem, in carcerem Hieremias erat detruſus, expugnatâ verò & captâ civitate, quì fieri potuit, ut in tàm confuſa clade & promiſcuâ Judæorum ſtrage hoc opus moliri, ſeù Arcam eripere & tranſportare potuerit Hieremias? Præterquamquòd prędictionem ibi factam nunquam eventus comprobavit; nam poſt reditum Judæorum è captivitate Babylonica ad patrium ſolum, nunquam Tabernaculum & Arca fuerunt inventa, nullaque deinceps in Scriptura Sacra & in Hiſtoria Judæorum fit Arcæ mentio; immò Hieremias capite 3. vaticinatur, in æternum auferendam Arcam, dùm ſic loquitur: *Ait Dominus, non dicent ultrà: Arca Teſtamenti Domini: neque aſcendet ſuper cor, neque recordabuntur illius, nec fiet ultrà.* Propter hæc & alia hujuſmodi auctor lib. 2. Machabæor. veniam à Lectoribus deprecatur. Qua in re liquidò oſtendit, Hiſtoriam, quam deſcripſit, non afflatu Spiritus Sancti, ſed humano more fuiſſe à ſe concinnatam. Undè S. Auguſtin. lib. 2. contra epiſtolam Gaudentii cap. 23. ait

ait, libros Machabæorum *esse sobriè legendos*, quod sanè libris canonicis minimè congruit.

Respondeo, narrationem illam de Arca recondita à Hieremia nulla ex parte falsi argui posse; nam, licèt non habeatur in libro Hieremiæ, & in aliis, qui nunc extant, libris Scripturæ Sacræ, erat tamen in commentariis illius Prophetæ, ex quibus eam deprompsit auctor lib.2. Machabæorum. Non est autem creditu difficile, Hieremiam potuisse eripere & transportare Arcam sive ante urbis obsidionem, temporibus videlicet Joachin Regis Juda, tùnc enim liberrimus erat Hieremias, & maximâ apud Principes & Sacerdotes pollebat auctoritate; sive etiam in ipsa urbis desolatione, quæ, regnante Sedecia, facta est à Nabuzardane Exercitus Babyloniorum duce, qui, ut dicitur lib. 4. Reg. cap. ultim. succendit domum Domini & domum Regis & domos Hierusalem, in hac, inquam, universâ licèt conflagratione potuit Hieremias Tabernaculum & Arcam à turmis Chaldæorum Militum ferro flammâque sævientium intacta eripere, & aliò conferre, nam postquàm Chaldæi temporibus Sedeciæ Hierosolymam cæperunt, præcepit Nabuchodonosor Babyloniorum Rex Nabuzardano Magistro Militum, ut Hieremiæ nihil mali faceret, tantique ille Rex Hieremiam faciebat, ut sic eum fuerit affatus: *Nunc ergò ecce solvi te hodiè de catenis, quæ sunt in manibus tuis, si placet tibi, ut venias mecum in Babylonem, veni, & ponam oculos meos super te: Si autem displicet tibi venire mecum in Babylonem, reside: Ecce omnis terra in conspectu tuo est; quod elegeris & quò placuerit tibi ut vadas, illùc perge.* Hieremiæ cap.40. vers.4. Potuit ergò Hieremias etiam post captam à Chaldæis urbem Hierosolymam, ipso concedente Nabuchodonosore, Tabernaculum & Arcam eripere, & aliò asportare. Prædictio autem Hieremiæ de manifestatione Tabernaculi & Arcæ suo tempore facienda, vel spiritualiter refertur ad Arcam & Altare Mysticum, nempè Christum Servatorem nostrum, vel ad litteram impleta est tempore Nehemiæ post captivitatem Babylonicam,

vel

vel demùm suum habebit complementum in fine Mundi, quandò Judæi ad Christum convertentur. Absurdum autem est, prophetias ex eo velle inficiari, quod veram illarum intelligentiam & tempus, quo compleri debent, congenita mentis nostræ tenuitate assequi haùd possumus. Deniquè, Auctor libri secundi Machabæorum veniam à Lectore postulat, non erroris, in quem afflatus Spiritu Sancto impingere non poterat, sed elocutionis, seù rudioris styli, qui non est a Deo, sed ab homine, rogatque Lectorem, ut verborum inelegantiam excuset. Sic Sanctus Paulus secundæ ad Corinthios capite 11. ait: *Etsi imperitus sermone, non tamen scientià*. Item: *Ut minùs sapiens dico*. Et cap. 12. *Donate mihi hanc injuriam*. Undè, quandò Sanctus Augustinus ait, libros Machabæorum soriè esse legendos, id non dicit Aquilinus ille Doctor, quasi illi libri divinâ careant auctoritate, cùm potiùs eodem loco in objectione laudato, duos priores Machabaicos libros tanquàm canonicos agnoscat, sed nè quis propter Historiam Raziæ se ipsum Occidentis, quam narrant isti Libri, errandi occasionem arripiat. Solebant siquidèm Donatistæ, contra quos disputabat S. Augustinus, hanc jactare Historiam, ut quorumdam suæ Sectæ furorem, qui violentas sibi inferebant manus Raziæ instigati exemplo, defendere & laudibus celebrare possent; quod sanè extremæ eorum dementiæ est argumentum.

PARAGRAPHUS ULTIMUS,

In quo exhibetur Synopsis omnium Librorum veteris Testamenti.

UT accuratam Lectori omnium veteris Testamenti Librorum Epitomem exhibeam, tria breviter, quoad ejus fieri poterit, præstabo: primò, argumentum cujuslibet Libri summatim perstringam. Deindè, Auctorem singulorum Librorum indicabo. Postremò, ut faciliùs convincantur

tur Infideles & Judæi, Christum esse verum Messiam pervicaciter negantes, subjiciam ad calcem Synopsis cujuslibet Libri veteris Testamenti vaticinia, quæ referuntur ad Messiam, & quæ in Christo Domino fuerunt completa. Sed nè longior sit iste Paragraphus, eum in duas Sectiones partiar: Prima complectetur Analysim Librorum Legalium, & Historicorum veteris Testamenti, eorumque Auctores indicabit, ac vaticinia, quæ spectant Christum Dominum Servatorem nostrum. Altera continebit compendiosam narrationem Librorum Moralium & Propheticorum veteris Testamenti, eorumque indigitabit Auctores & Vaticinia, quibus Adventus Messiæ, seù totius Vitę Christi Domini, Doctrinę, Mortis & Passionis œconomia & circumstantiæ non tàm prædicuntur, quàm singillatim describuntur.

SECTIO PRIMA

Complectens Analysim Librorum Legalium & Historicorum veteris Testamenti, eorumque Auctores & Vaticinia, quæ ad Christum referuntur.

Libri Legales veteris Testamenti sunt quinque comprehensi in Pentateucho, videlicet, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, & Deuteronomium. Actum profectò agerem, si hìc probandum susciperem, Moysem esse auctorem Pentateuchi; in hoc siquidèm argumento jam satis superque versati sumus in quinto Paragrapho primæ Partis hujusce Libri, ubi Pentateuchum, totus quantus est, Moysi vindicavimus. Quapropter abundè hìc sufficiet subjicere Analysim quinque illorum Librorum legalium, quos edidit Moyses, & præcipua referre Vaticinia, quæ in illis extant, & ad Christum Servatorem nostrum verum Messiam referuntur.

ANALYSIS
Libri Genesis.

IN Libro Genesis Moyses exponit Mundum esse à Deo conditum & ab ipso regi ac gubernari. Ex quo varii profligantur insipientium hominum errores; alii quippè, ut Assyrii, Chaldæi, & Ægyptii vel Mundum æternum esse contendunt, vel innumeras à creatione Mundi annorum Myriades fingunt, quas nec ipsi dinumerare possunt; alii verò asserunt, Mundum à Deo fuisse productum ex materia ipsi cöæternâ, in quem errorem lapsi sunt Philosophi Pythagorici, Stoici, necnon Plato, quem posteà hæretici Hermogenes, Marcion, & alii sectati sunt. Alii, sicut Simon Magus & Arrius affirmarunt, Deum creasse Filium, Filium creasse Spiritum Sanctum, Spiritum Sanctum produxisse Angelos, Angelos deniquè condidisse Mundum; idque specialiter de Angelis asseruerunt Menander, Saturninus, & alii Hæretici, teste Tertulliano lib. de præscript. cap. 46. Alii, videlicet Athei, Mundum casu & ex fortuito Atomorum in se insilientium concursu factum fuisse temerè pertendunt. Postremò, Manichæi & Priscillianistæ docebant, duo esse rerum principia, sive duos esse Deos, unum bonum, Conditorem spirituum, & alterum malum, creatorem corporum. Hos omnes errores proterit Moyses his verbis, quibus librum Geneseos auspicatur: *In principio Deus creavit Cælum & Terram.* Describit præterea Moyses rerum omnium & præsertim Adami primi hominis creationem, innocentiam, dotes ac prærogativas, ejusque, post infelicem lapsum, è Paradiso terrestri ejectionem, miserias, calamitates. Quomodò omnes homines ab uno Adamo procreati, flagitiis nefariis inquinati, universali tandèm Diluvio puniti & extincti fuerint, exceptis Noëmo & tribus ejus filiis, eorumque uxoribus. Quo pacto etiam homines ex Noëmo, ejusque filiis Sem, Cham & Japhet, progeniti, & per totum, quà latè patet, Orbem, post constructam Turrim Babelicam, & con-

& confusionem Linguarum dispersi, omnibus Regnis initia dederint. Postremò, Abrahami, Isaaci, Jacobi, & Josephi Sanctorum Patriarcharum, qui ante Legem vixerunt, vitam attexit, mores, illustria dicta, facta, Religionem, & ingressum in Ægyptum. Hæc est Analysis libri Geneseos, quem Hebræi appellant *Berescit*, idest, in Principio, desumpto videlicet nomine libri à primo ejus vocabulo. Græcè autem hic liber nuncupatur *Genesis*, sicut & latinè, idest, *Generatio*, sumptâ denominatione à materia, de qua potissimùm in hoc libro agitur, nimirùm de Generatione & productione hujus Mundi aspectabilis, & de propagatione omnium hominum ante & post Diluvium. Quo tempore autem liber Genesis fuerit à Moyse conscriptus? non satis liquet. Probabilior tamen mihi videtur opinio Eusebii lib.7. de Præparat. Evang. Theodoreti & aliorum, qui librum Genesis à Moyse fuisse exaratum autumant post egressionem Israëlitarum ex Ægypto, & post promulgationem Legis, quam à Deo accepit in Monte Sinai. Liber Genesis in Editione vulgata quinquaginta continet Capita, in quibus non solùm per varias figuras, signa & typos præmonstratur hominibus & adumbratur adventus Liberatoris, seù Messiæ, sed etiam ipsius genus, & ortûs tempus prædicuntur clarissimis vaticiniis, quæ in Christo Domino Servatore nostro fuisse completa, ostendimus in Tractatu *de Mysteriis & Annis Christi &c.* primum vaticinium quod spectat genus Messiæ, legitur cap. 12. lib. Genesis, ubi *dixit Dominus ad Abram ..... in te benedicentur universæ cognationes terræ*. Et capite 18. *Et benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ*. Et cap.22. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*. Idem promittit Deus Isaaco, Genesis cap.26. & Jacobo, Genesis cap. 28. quæ divina promissio completa fuit in Christo Domino, qui fuit de semine Abrahami, Isaaci & Jacobi, & in quo omnes nationes terræ benedictionem acceperunt, sicut invictè probavimus in Dissertatione tertia mox citati Tractatus. Alterum vaticinium, quod indicat tempus adventûs Messiæ, habetur Genesis cap. 49. *Non auferetur sceptrum*

de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Quod vaticinium à Jacobo propedièm morituro prolatum, in Christo Jesu fuisse itidèm completum, evicimus contra Judæos in Paragrapho primo Dissert. 7. ejusdem Tractatus.

ANALYSIS
Libri Exodi.

EXodus, sic græcè dictus, quia in eo describitur exitus filiorum Israël, dùm fugerent Pharaonem Regem Ægypti, in tres partes distribuitur. In prima, narrat Moyses ea, quæ Israëlitarum profectionem ex Ægypto præcesserunt, scilicet Patriarcharum, qui in Ægyptum cum Jacob ingressi sunt, nomina recenset, sicut & afflictiones, quibus Hebræi ab Ægyptiis sive in occulto, sive in aperto, per impositionem onerum, & masculorum in partu mortem imperatam vexati sunt. Describit etiam Moyses nativitatem suam, ex aquis liberationem, educationem, missionem, quam à Deo accepit ad liberandum populum Israël ex Ægypto. In altera parte refert Moyses ea, quæ in exitu Populi israëlitici ex Ægypto contigerunt, seù decem plagas, quibus Deus percussit Ægyptum, & stupenda prodigia, quæ ipsemet Moyses coram Pharaone edidit, ut Israëlitas in libertatem assereret. Præscribit insuper modum, tempus & ritum Agnum Paschalem comedendi ad perennem liberationis ex Ægypto memoriam conservandam. Sequitur posteà narratio de Columna Nubis & Ignis ad dirigendum Israëlitarum iter, de miraculoso transitu Maris Rubri, de Pharaonis insecutione & Ægyptiorum submersione. In tertia parte memorat Moyses beneficia, quibus Deus Israëlitas dignatus est in Deserto, dando illis per quadraginta annos Manna ad manducandum, aquam è petra miraculosè eductam ad bibendum, victoriam de Amalecitis, & Legem in Monte Sinai, quæ complectitur præcepta, quorum aliqua moralia dicuntur, quia ad mores componendos & benè infor-

formandos attinent, alia appellantur judicialia, quia ad bonam Reipublicæ civilem administrationem spectant, alia cæremonialia nuncupantur, quia ad cæremonias & ritus Religionis, ad observationem Festorum, ad erectionem Tabernaculi, ad consecrationem & indumenta Summi Sacerdotis sunt necessaria, & quæ Deus observanda sanxit. Liber Exodi vocatur ab Hebræis *Veelle Semoth*, idest, *Ecce nomina*, sumptâ nimirùm denominatione à primo totius Libri vocabulo. Complectitur hic Liber in Editione vulgata quadraginta Capita, in quibus varii extant typi, seù figuræ adumbrantes Christum Servatorem nostrum, præsertim in cap. 12. ubi Agni Paschalis immolatio, & ritus in Festo illo solemni adhibendi singillatim præscribuntur. At enim, ut obiter dicam, Agnus ex præscripto Legis in festo Paschæ die immolari debebat; Christus in Paschate Judæorum fuit immolatus & in Crucem actus. Agnum sine macula Judæi mactare debebant; Christum, qui est Agnus tollens peccata Mundi, & sine ulla macula, Judæi mactarunt. Agnum Paschalem Judæi festinanter comedere debebant, pedibus calceatis, baculos manibus tenentes & ad iter expediti; Christum intrà paucas horas apprehenderunt Judæi, damnarunt, ac morti tradiderunt. Sanguis Agni domorum foribus aspersus Hebræis salutem contulit; Sanguini Christi omnes homines, qui eo abluuntur, suam salutem acceptam referre debent. Agni Paschalis ossa nè confringerentur, Lege cautum erat; Christo in Cruce pendenti Judæi non fregerunt crura. Agni Paschalis reliquias in crastinum servari vetitum erat; Christus ipso interitus sui die de Cruce depositus est, & in monumento repositus. Post Agni Paschalis esum Judęi ex Ægyptiaca servitute fuerunt liberati; nos per esum Corporis Christi à dura vitiorum, Dæmonum, & mortis tyrannide liberamur.

Ana-

ANALYSIS
Libri Levitici.

Liber Levitici, ita apud Græcos & Latinos dictus, quia cęremoniæ Religionem spectantes, & Sacrificiorum ritus in eo præscribuntur, quatuor in partes dividi potest. In prima parte agitur de Sacrificiis, quæ, juxtà triplicem à Deo prefixam materiam, triplicis generis erant. Sacrificia primi generis, seù sacrificia, quæ fiebant ex Animalibus, *Victimæ* & *Hostiæ* vocabantur. Sacrificia secundi generis, seù quæ offerebantur ex fructibus terræ, *Immolationes* dicebantur. Sacrificia tertii generis, quæ fiebant ex liquoribus, appellabantur *Libamina*, seù *Libamenta*. Prætereà, apud Judæos sacrificia, spectata juxtà finem ad quem erant ordinata, triplicis adhùc generis erant. Sacrificium primi generis dicebatur *Holocaustum* & *Latreuticum*, quod Deo offerebatur ob reverentiam Majestatis & amorem divinæ Bonitatis, & in eo tota res oblata flammis absumebatur, ita ut nihil ex eo cederet in usum sive Sacerdotum, sive offerentium. Sacrificium secundi generis nuncupabatur *Hostia Pacifica*, quæ ex duplici titulo offerebatur Deo, videlicet vel ad nova beneficia à Deo impetranda, & tunc dicebatur Sacrificium *Impetratorium*, vel in gratiarum actionem pro beneficiis à Deo acceptis, & tùm vocabatur Sacrificium *Eucharisticum*. Hostia Pacifica in tres partes distribuebatur, una ad honorem Dei comburebatur, altera cedebat in usum Sacerdotum, & tertia in usum offerentium. Sacrificium tertii generis appellabatur *Hostia pro peccato*, & offerebatur ad consequendam remissionem peccatorum, quæ Hostia, dùm offerebatur pro peccato totius Populi, vel Sacerdotis, tota comburebatur; dùm verò offerebatur pro peccato unius dumtaxat hominis, in duas partes dividebatur, una cremabatur, altera cedebat in usum Sacerdotum, qui eâ in atrio Templi vescebantur. In altera parte Libri Levitici agitur de his, qui offerunt sacrificia, & potissimùm de præparatione,

ne, dispositione & consecratione Sacerdotum, de Legibus munditiæ & immunditiæ; de modo expiandi immunditias legales &c. In tertia parte Libri Levitici statuuntur tempora, in quibus sacrificia offerri debent, seù determinantur dies festi & solemnitates, quæ per anni circulum celebrari debent. In postrema parte Libri Levitici fit sermo de Votis, de eorum solutionibus & redemptionibus, de rebus Deo consecratis, de Decimis, & de his omnibus statuuntur Leges. Hic Liber Levitici, qui hebraicè dicitur *Vaiicra*, idest, *& vocavit*, sumptâ scilicet denominatione à primo totius hujusce Libri vocabulo, constat in Editione vulgata Capitibus XXVII. Ostendimus in Dissertatione decima octava Tractatus *de Mysteriis & Annis Christi*, omnes Hostias, quæ in veteri Lege immolabantur, & sacrificia, quorum ritus ac cæremoniæ in Libro Levitici describuntur, adumbrasse sacrificium, quod Christus verus Agnus immaculatus obtulit in ara Crucis pro redemptione generis humani. Ex quo apparet, ut docet S.Augustinus lib. 16. de Civitat. Dei cap. 26. vetus Testamentum esse occultationem novi, novum autem esse revelationem veteris.

Analysis
Libri Numerorum.

Liber Numerorum ita à Latinis appellatur, quia in eo numerantur Israëlitę ad profectionem & acquisitionem Terræ promissæ se se accingentes. Statuitur ergò in primis Bellatorum numerus, fueruntque sexcenta tria millia Virorum quingenti & quinquaginta, cum quibus tamen non numerantur Levitæ. Deindè, varii proponuntur casus, qui Israëlitarum itineri in Terram promissam moras injecerunt, videlicet obmurmuratio Populi adversùs Deum & Moysem, & pœnæ pro eo scelere à Deo inflictæ, objurgatio Moysis, transgressio exploratorum, qui, præter Caleb & Josue, Israëlitas ab ingressu Terræ promissæ divertebant; ambitio Core; aquæ contradictionis; invasiones insurgentium hostium, pu-

puta Idumæorum, Chananæorum, Amorrhæorum, Moabitarum ingressum Israëlitarum in Terram promissam impedire molientium. Tertiò, sublatis omnibus illis impedimentis, enumerantur quadraginta duæ mansiones, quas Israëlitæ fecerunt in Deserto, Terræ promissæ jam jure belli acquisitæ possessio & distributio. In ultimo capite quædam, occasione filiarum Salphaad, conduntur & promulgantur Leges circà connubia & sortitionem hæreditatis. Liber Levitici, qui hebraicè vocatur *Vajeddaber*, hoc est, *&* *locutus est*, sumptâ à primo vocabulo denominatione, triginta sex in Editione vulgata continet Capita, in quorum vigesimo quarto præclarum Balaami Prophetæ de Christo Domino habetur hoc vaticinium: *Dixit Balaam filius Beor ..... orittur Stella ex Jacob, & consurget virga de Israël, & percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth*. Stella Jesu Christi symbolum est, qui sæpius in sacris litteris sub Solis, & Lucis, & Ignis symbolis designatur. *Virga* denotat Regiam dignitatem ac potestatem, quam Christus habuit à momento conceptionis suæ. *Principes Moab* Simulachrorum cultores exprimunt, & per filios *Seth* intelliguntur omnes omninò homines, in quos Christus supremum habet imperium, quosque è Diaboli captivitate ereptos, transtulit in libertatem filiorum Dei. Hoc nobile Balaami de Messia vaticinium moderni Hebræi in Jesu Christo fuisse completum ideò pervicaciter negant, quia, ut inquiunt, Christus nec duces Moab interfecit, nec vastavit filios Seth, nec Idumæam possedit, nec Israëlis opes à Jesu temporibus creverunt. Sed in hoc certè deploranda est cæcitas Judæorum, qui multa, quæ in Prophetarum oraculis, & præsertim in hoc Balaami vaticinio ad sensum mysticum trahenda sunt, mortiferam litteram sectantes præposterè accipiunt; & è contrario complura aliorum Prophetarum vaticinia, quæ ad litteram intelligi debent, cujusmodi sunt ista: *Foderunt manus meas & pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea. Diviserunt sibi vestimenta mea & super vestem meam miserunt sortem*, Psalm. 21. *Et dederunt in escam meam fel, & in*

in siti mea potaverunt me aceto, Psalm. 68. Hæc, inquam, & alia id genus Prophetarum de Messia vaticinia, quæ ad litteram, juxtà nativum sensum, intelligi debent, obtorto, ut ajunt, collo, ad allegoricas interpretationes miserè detorquere solent. Qua de re plura legi possunt apud Illustrissimum Abrincensem Episcopum in Demonstratione Evangelica, Propos. 8.

Analysis
Libri Deuteronomii.

Deuteronomium ita à Græcis dicitur, quod latinè sonat, *altera Lex*. Derivatur quippè hoc Deuteronomii nomen à duobus vocabulis græcis δευτερος, quod est, *alter*, & νομος, quod est *Lex*, quia in hoc libro plures Leges vel novæ conduntur, vel jam latæ uberiùs explicantur. Primò, Moyses in hoc libro inducit populum Dei ad Legis jam promulgatæ reverentiam, & hac de causa commendat tùm beneficia ante Legem patribus promissa, eorumque filiis exhibita, tùm etiam beneficia post promulgationem Legis sive tempore pacis, sive tempore belli collata & deinceps conferenda. Secundò, Moyses dat præcepta de necessitate diligendi Deum, de extirpanda Idololatria, de pœnis, quibus subjacere debent Idololatriæ, Superstitionis, Homicidii, Adulterii, Stupri, & Incestûs Rei, eorumque falsi accusatores. Pharaonis, Core, Dathan, & Abiron funestum interitum ponit ob oculos, ut à peccato Israëlitas deterreat. Tertiò, Moyses statuit Leges pro Sacerdotibus & Levitis, pro Summo Sacerdote, & populi Judice, pro institutione Regis, pro agnoscendis veris ac falsis Prophetis, pro vivis & mortuis, & in specie de his, qui suspenduntur in ligno. Deniquè, Moyses post recitatum Canticum, quod sic incipit: *Audite Cæli quæ loquor &c.* populum ad Legis observationem adhortatur, transgressoribus Legis imprecatur, eisque multiplicem comminationem denunciat. Liber Deuteronomii hebraicè vocatur *Elle Haddebarim*, idest, *hæc sunt*

verba, ſumptâ videlicet denominatione à primo hujus libri vocabulo, continet in Editione vulgata Capita XXXIV. in quorum decimo octavo Moyſes Chriſtum ſui ſimilem proditurum vaticinatur, dicens: *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus.* Hujus oraculi veritatem in Jeſu Chriſto eluxiſſe palàm in Actibus Apoſtolorum cap. 3. & cap. 7. affirmant S. Petrus & S. Stephanus, & luculentâ comparatione Jeſum inter & Moyſem inſtitutâ probant Euſebius lib. 3. Demonſtrat. Evangel. & Illuſtriſs. Abrincenſis Epiſcopus in Demonſtrat. Evangel. Propoſit. 9.

ANALYSIS, ET AUCTOR *Libri Joſue.*

Liber Joſue ita dictus eſt, quia, juxtà probabiliorem ſententiam, à Joſue in regimine populi ſucceſſore Moyſis fuit conſcriptus, ſicut colligitur ex iis verbis poſtremi capitis: *Scripſit quoque Joſue omnia verba hæc in volumine Legis Domini.* In hoc libro Joſue in primis refert miſſionem exploratorum ad urbem Jericho, tranſitum Jordanis, per quem miraculosè ſiccatum Iſraëlitæ, præeunte Arca, tranſierunt. Deindè deſcribit multiplicem in Terræ promiſſæ acquiſitione conflictum, videlicet in oppugnatione Jericho, in expugnatione Hai, in debellatione quinque & deinde multorum Regum, qui citrà & ultrà Jordanem à Joſue percuſſi ac devicti XXXI. numerantur, ita ut Joſue univerſas ferè totius Chananitidis civitates uno quaſi impetu expugnaverit, omneſque hujus Terræ habitatores exterminaverit. Tertiò, Joſue narrat Terræ promiſſæ acquiſitæ diviſionem per Tribus, aſſignando videlicet ſingulis Tribubus partes determinatas, ſeparando civitates pro fugitivis, & 48. civitates atque ſuburbana Levitis concedendo. Deniquè, Joſue, poſtquàm benè multa commemoravit beneficia Iſraëlitis a Deo conceſſa, & poſt renovatum fœdus populi cum Domino, mortuus eſt annos natus centum & decem, cujus mo-

mors & sepultura ossium Josephi, & mors itidèm Eleazari Sacerdotis in ultimo capite narrantur: *Josue*, ut inquit S.Hieronymus in epistola ad Paulinum, *typum Christi Domini non solùm gessit, verùm etiam nomine præfert*. Nonnulli intemperantioris Critices viri hunc librum Josue abjudicant, primò, quia cap.10. citatur liber Justorum, qui Josue recentior est aut saltèm æqualis, cùm meminerit pugnæ Gabaonitarum. Secundò, sæpiùs in libro Josue occurrit hæc temporis notatio: hoc & illud *ad præsentem usque diem durat*, quod sanè à Josue dictum esse haud potuit, in cujus diebus ipsum evenit, sed potiùs dictum esse videtur ab aliquo Scriptore, qui sibi in iis, quæ jam post obitum Josue vetustate obliterata exoleverant, fidem conciliare volebat ex illis monumentis, quæ suâ ætate adhùc residua erant. Denique, cap.19. lib. Josue fit mentio terræ *Chabul*, cui nomen impositum est à Rege Tyri Hiram, qui eâ à Salomone donatus fuerat, quod palam evincit, hunc librum scriptum fuisse ab aliquo Auctore recentiore Josue. Verùm hæc tria momenta tanti non sunt, ut nos à communi sententia de Auctore libri Josue desciscere cogant. Ad duo quippe priora diluenda sufficit observare, Josuem in summa senectute hunc librum exarasse, adeòque mirum non esse, si mentionem faciat libri Justorum, qui nihil aliud erat, quàm Carmen epinicium statim post reportatam de Gabaonitis victoriam editum, & inter Hebræos promulgatum. Eadem de causa Josue uti potuit hac notatione temporis: *usque ad præsentem diem*, cùm hunc librum in ætate jam provecta scripserit, sicut S.Evangelista Matthæus cap.27. eadem temporis utitur notatione, dicens: *Propter hoc vocatus est ager ille Halcedama, hoc est, ager sanguinis, usque in hodiernum diem*. Ad tertium respondeo cum Illustrissimo Abrincensi Episcopo, non eamdem esse utramque terram *Chabul*. Altera siquidèm est terra *Chabul*, quæ est Regiuncula viginti constans Oppidis, quam Salomon dedit Regi Hiramo, & illius mentionem non fecit Josue. Altera est terra *Chabul*, seu vicus ita dictus in confiniis Ptolomaidis, utraque in

Tribu Aser, & hæc est illa terra Chabul, cujus omni procùl dubio à Josue fit mentio. Liber Josue vocatur hebraicè, *Jehosuah*, grecè verò, *Jesus Nave*, continet in Editione vulgata XXIV. Capita. Esdras, qui sacra Volumina hinc inde collecta post captivitatem Babylonicam recognovit, inseruit in capite postremo hujus libri mortem Josue, qui victoriis & meritis conspicuus objit; immò narrationem expeditionis Danitarum contra civitatem Lesem, quæ post Josue excessum contigit, eo videlicet tempore, quo nemo Israëlitarum Rempublicam gubernabat, fuisse capiti 19. libri Josue ab eodem Esdra adjectam probabiliùs censet Illustriss. Abrincensis Episcopus in sæpè laudato libro de Demonstrat. Evangelica.

ANALYSIS, ET AUCTOR *Libri Judicum, & Libri Ruth.*

Liber Judicum ita dictus est, quia complectitur Historiam, seù gesta 13. Judicum, qui à morte Josue usque ad Saulem Regem præfuerunt Israëlitis. In primis, in eo narratur Populi Israëlitici in terram Chanaan profectio, in qua, duce Juda unà cum fratre ipsius Simeone, plurimæ captæ sunt civitates, Hierusalem etiam cum Rege expugnatur, & urbs Cariathsepher ab Othoniele occupatur. Secundò, quia occasio creandi Judices fuit peccatum & afflictio Israëlitarum, qui recedentes à Deo sub variis Gentilium Regibus identidèm servire cogebantur: ideò hoc in libro de servitutibus Israëlitarum agitur, & de eorum liberationibus per Judices à Deo extraordinariè suscitatos. Prima servitus Israëlitarum post mortem Josue fuit 8. annorum sub Chusane Rege Mesopotamiæ, à qua per Judicem Othonielem fuerunt liberati. Altera servitus fuit decem & octo annorum sub Eglone Rege Moabitarum, à qua liberati fuere per Judicem Ajod. Tertia servitus fuit viginti annorum sub Jabine Rege Chanaan, à qua per Debboram & Barac sunt liberati. Quarta servitus fuit septem annorum sub Rege Madia-

dianitarum, à qua per Gedeonem sunt erepti. Quinta servitus fuit decem & octo annorum sub Ammonitis, à qua per Jephte sunt educti. Sexta fuit quadraginta annorum sub Philistæis, quam solvit Samson. Denique, in libro Judicum referuntur duo peculiares casus: primus est Micheæ, qui erat de Monte Ephraim, quique pecuniam pro fabricatione Idoli destinatam subtraxit, Idolum fabricavit, & Sacerdotio abusus est. Alter casus est uxoris cujusdam Levitæ, quæ ex impotenti & prodigiosa hominum Tribus Beniamiticæ irrumpentium libidine extincta est. Quò factum est, ut ejus maritus cadaver uxoris duodecim in partes secans, ad tàm infandum ulciscendum scelus, partem ad singulas Tribus miserit, à quibus Beniamitica Tribus, exceptis sexcentis hominibus, deleta fuit. De Auctore libri Judicum non una omnium est sententia, sicut & de tempore, quo scriptus est. Si tamen conjecturis indulgere fas sit, probabiliùs est, librum Judicum fuisse concinnatum à Samuele, dùm regnabat Saul. Auctor siquidèm libri Judicum sæpiùs dicit: *In diebus illis non erat Rex in Israël*, quibus verbis innuit hic Auctor, se vixisse eo tempore, quo Rex jam erat in Israël, & Judicum Historiam, quam ex sacrorum Scribarum Commentariis excerpsit, contigisse antequàm Rex esset in Israël. Quòd autem hic Auctor scripserit librum Judicum eo tempore, quo Saul regnabat in Israël, & non post ipsius Regnum, liquidò colligitur ex cap.1. lib.Judicum, vers.21. ubi auctor scribit, Jebusæos, eo tempore quo scribebat, habitasse adhùc in Hierusalem: *Habitavitque Jebusæus cum filiis Beniamin in Hierusalem usque in præsentem diem*.. Porrò constat, Jebusæos, qui erant in Hierusalem, fuisse, regnante Davide successore Saulis, pulsos & exterminatos, sicut legitur lib.2.Reg. cap.5. ex quo probabiliter colligitur, Samuelem, qui tempore Saulis Regis vivebat, esse auctorem libri Judicum, qui liber vocatur ab Hebræis, *Sophetim*, à Græcis, κριταὶ, latinè *Judices*; Continetque in Editione vulgata XXI. Capita, in quibus gesta, quæ describuntur Judicum, præsertim Gedeonis, Jephte, & Samsonis, sunt typi & fi-

& figuræ Christi Servatoris nostri; *In libro Judicum*, inquit S.Hieronymus in epistola ad Paulinum, *quot Principes populi, tot figuræ sunt*.

Liber Ruth est appendix, vel continuatio libri Judicum, & ab eodem auctore, scilicet Samuele, videtur concinnatus. Quatuor constat Capitibus: in primo describuntur peregrinatio Elimelech viri Bethleemitæ Ephratæi, qui, exortâ fame in Palæstina, se unà cum uxore Noëmi & duobus filiis in terram Moab contulit; desolatio Noëmi uxoris Elimelechi, quæ viro suo & duobus filiis orbata, cum utraque nuru remansit desolata, & tandèm ejusdem Noëmi cum nuru sua Ruth in patrium solum, idest, in Bethleem reditus. In secundo capite refertur, quo pacto Ruth præ egestate spicas in agro Booz affinis sui colligens, benignè ab eo excepta est. In tertio, Ruth ex consilio socrus suæ Noëmi ad pedes affinis sui Boozi dormientis recubuisse dicitur, & ab eo verecundè nuptias postulasse, idque, juxtà legem, cùm prior maritus Ruth fato functus, consanguineus esset Boozi divitis quidèm, sed ætate provecti. In ultimo, Ruth secundas nuptias injit cum Boozo propinquitatis jure, coràm Senioribus Bethleemiticis, & universo approbante populo, atque felicia utrique conjugi acclamante. Ex quibus nuptiis natus est *Obed*, quem Sacri Evangelistæ Matthæus & Lucas reponunt in Genealogia Jesu Christi Servatoris nostri. Undè Sanctus Hieronymus in epistola ad Paulinum ait: *Ruth Moabitis, Isaiæ explet vaticinium, dicentis*: *Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion*.

ANALYSIS, ET AUCTOR *Quatuor Librorum Regum*.

Liber primus Regum quatuor in partes distribui potest: in prima agitur de ortu & gestis Samuelis, de peccato filiorum Heli Summi Pontificis, de illius morte ob nuncium acceptum de Arca capta à Philistæis. In secunda parte descri-

ſcribuntur Saulis inauguratio in Regem Iſraël, & Samuelis noviſſima. In tertia parte narrantur Davidis victoriæ, ejuſque unctio in Regem Iſraël. In poſtrema parte referuntur perſecutiones, quibus David ab ingrato Saule Rege fuit exagitatus. Continet hic Liber in Editione vulgata Capita XXXI.

Liber ſecundus Regum deſcribit res geſtas à morte Saulis ad finem uſque Davidici Regni. Poſt exaltationem Davidis ſuper Regnum Judæ & ſuper totam gentem hebræam, dinumerat omnes Davidis victorias, narrat fugam Abſalonis propter necem illatam fratri Ammoni ob violatam Thamar Abſalonis ſororem; ejus reditum Hieroſolymam, & conjurationem in Davidem patrem ſuum, quem è ſolio exturbare conatus eſt. Deniquè, recenſet Dei flagella, queis Populus iſraël afflictus eſt, & à quibus Dei benignitate liberatus eſt. Complectitur hic liber in Editione vulgata Capita XXIV. Hi duo libri primi Regum apud Hebræos Samuelis nomine inſcribuntur, ſed à Græcis appellantur βασιλειῶν, quod idem eſt latinè ac *Regnorum*; & in Editione vulgata nominantur, *Libri Regum*, ſumptâ nimirùm denominatione à principali materia, de qua in eis agitur, videlicet de Regibus, qui poſt Judices regnarunt in Juda, ſeù de Saule & de Davide &c.

Liber tertius Regum continet Hiſtoriam ab obitu Davidis & unctione Salomonis in Regem totius Iſraël, uſque ad mortem Joſaphat Regis Juda & Achab Regis Iſraël. Et in primis agit de exordiis Salomonis, qui, juſſu Davidis patris inauguratus Rex Iſraël, multa præcepta ac conſilia ſibi ab eo ante mortem relicta executioni mandavit in Adonia, Abiathare, Joabo, & Semei. Deindè, deſcribitur in hocce libro magnificentia Salomonis, potiſſimùm in ſtructura Templi, Domus Regiæ, & plurium Civitatum. Commendatur ejuſdem Salomonis ſapientia, necnon ipſius oſtenditur Apaſtaſia, à qua ante mortem receſſiſſe, & ad meliorem frugem ſalutari pœnitentiâ ſe ſe recepiſſe minimè legitur. Denique, in hoc libro agitur de Roboamo filio Salomonis, de

de defectione decem Tribuum Iſraël, quæ ſibi Jeroboamum Regem conſtituerunt, & produntur geſta Regum Juda, videlicet Abiæ, Aſæ, Joſaphati, & geſta Regum Iſraël, ſcilicet, Nadab, Baaſa, Sela, Zambri, Amri, Achab. Habet hic liber Capita XXII.

Liber quartus Regum exhibet Hiſtoriam ab obitu Achab Regis Iſraël, uſque ad captivitatem Babylonis. Et primò referuntur in illo mirabilia opera, quæ ediderunt Elias & Elizæus, qui prophetarunt temporibus Regum Iſraël, Ochoſiæ, & Joram, & temporibus Joſaphat, Joram, & Ochoſiæ Regum Juda. Secundò, texitur in hoc libro Hiſtoria à Jehu uncto in Regem Iſraël, uſque ad Manaſſis Regis Juda ſceleſtiſſimi obitum, & agitur de inſtauratione Templi tempore Joſiæ Regis Iuda, de lege reperta, & de Babylonica captivitate. Hi duo poſteriores libri Regum ab Hebræis appellantur, *Melachim*, quod latinè dicimus, *Reges*, undè Latini illos libros vocant, Tertium & Quartum Regum, Græci verò illos appellant, βασιλειῶν, ſeù Libros Regnorum. Continet hic liber Capita XXV. Quiſnam autem ſit illorum librorum Auctor? non ſatis conſtat. Probabilius eſt, Samuelem eſſe auctorem libri I. Regum uſque ad caput vigeſimum quintum, finem verò hujus primi Libri, totumque librum ſecundum Regum ſcriptum fuiſſe à Gad & Nathan Prophetis, qui geſta Davidis Regis ſcripſerunt, ejuſque temporibus floruerunt: *Geſta autem David Regis priora & noviſſima ſcripta ſunt in libro Samuelis videntis, & in libro Nathan Prophetæ, atque in volumine Gad videntis*, lib. I. Paralipom. cap. 29. Tertius liber Regum uſque ad obitum Salomonis ſcriptus fuit à Nathan, Ahia Silonite, & Addo Prophetis. Geſta Regum Iuda Roboami & Abiæ ſcripſerunt Semejas Propheta, & Addo mox laudatus. Geſta Ioſaphat Regis Iuda edidit Iehu, qui temporibus illius Regis vaticinatus eſt. Geſta Regum Iuda Oziæ, & Ezechiæ ſcripſit Iſaias. Reliqua autem uſque ad finem libri quarti Regum compoſuit Hieremias. Ex his ergò publicis ſacrorum Scriptorum de geſtis Regum Commentariis, Eſdras Scripturæ Sacræ poſt capti-

captivitatem Babylonicam inſtaurator Hiſtoriam Regum excerpſit, in compendium redegit, & in unum Codicem coëgit.

Analysis, et Auctor *Duorum Librorum Paralipomenon.*

Libri duo Paralipomenon, ut ait S.Hieronymus in Prologo, ſunt quaſi Chronicon, ſeù Diarium, & veluti recapitulatio, ſeù reaſſumptio plurium, quæ prætermiſſa fuerant, vel non ità fusè narrata ſive in libris legalibus, ſive in Joſue, ſive in libris Regum, quorum videntur eſſe veluti ſupplementum. Paralipomenon ſi quidèm vox græca eſt, quæ latinè redditur, *Prætermiſſorum*, ſeù *Reſiduorum*. Duo libri Paralipomenon unum dumtaxat efficiunt apud Hæbræos, teſte S.Hieronymo, ſed propter ſui magnitudinem in duos à Chriſtianis fuit diſtributus. Primus, qui Capita XXIX. continet, ortum & propagationem Gentis Iſraëliticæ ab Adamo uſque ad reditum è captivitate Babylonica enarrat. Deindè, præmiſsâ Saulis Hiſtoriâ, reprobatione & morte, deſcribit Davidis inaugurationem in Regem, atque heroica illius adversùs Iſraëlitarum hoſtes geſta & victorias, necnon eximias, quibus pollebat, virtutes, præſertim verò zelum ad promovendum Dei cultum, pietatem ac felicem Regni adminiſtrationem. Poſterior liber Paralipomenon, qui in Capita XXXVI. diſtribuitur, deſcribit progreſſum & finem Regni Juda uſque ad annum reditus è captivitate Babylonica. Hebræi lib. Paralipomenon appellant *Dibre Hajamim*, ideſt, *Verba*, ſeù *geſta dierum*, quaſi latinè dicas: *Diarium*, vel *Annales*, aut librum Annalium Regum Juda & Iſraël. Libros Paralipomenon ab Eſdra fuiſſe lucubratos conſtans eſt Hebræorum opinio. Aſt Illuſtriſs. Abrincenſis Epiſcopus in Demonſtratione Evangelica, Propoſitione quartâ, exiſtimat, libros Paralipomenon collectos fuiſſe non ex actis ſolùm diurnis, ſed & ex Prophetarum Semejæ, Addo, Jehu, Nathanis, Ahiç, Iſaiç, aliorumque ſcriptio-

ptionibus concinnatos & digestos ab Esdra postquàm Israëlitæ captivitate Babylonicâ fuissent soluti.

ANALYSIS, ET AUCTOR *Utriusque Libri Esdræ.*

Liber primus inscriptus nomine Esdræ complectitur Historiam eorum omnium, quæ post laxatam captivitatem Babylonicam contigerunt temporibus Cyri Persarum Regis. Et primò, exhibet numerum Vasorum Templi, quæ Nabuchodonosor transtulit Babylonem & à Cyro fuerunt Judæis restituta, simùlque recenset Judæos, qui, duce Zorobabele, Hierosolymam reversi sunt. Præterea, describuntur in hoc libro gravissima incommoda, quæ à Samaritanis passi sunt Judæi in constructione Templi. Deniquè, refertur, quo pacto Esdras, cum pluribus aliis Hierosolymam jussu Artaxerxis Longimani reversus, matrimonia Israëlitarum cum alienigenis contracta dissolverit.

Sex priora lib. 1. Esdrę Capita ab Auctore Paralipomenon fuisse scripta, valdè probabiliter colligit Illustrissimus Abrincensis Episcopus; nam quæ in calce libri 2. Paralipomenon leguntur, eadem initio libri 1. Esdræ repetita inseruntur. Præterea, Auctor sex illorum Capitum innuit, se interfuisse his rebus, quas narrat, ut ex his verbis capit. 5. facilè colligi potest: *Ad quod respondimus eis, quæ essent nomina Auctorum ædificationis illius*. Quæ quidèm ædificatio absoluta est anno sexto Darii, ejus videlicet qui fuit Histaspis filius, ut in capite sexto ejusdem libri primi Esdræ asserit hic auctor. Hunc auctorem sex priorum illorum capitum libri primi Esdræ alium fuisse ab Esdra probat mox citatus Illustrissimus Episcopus Abrincensis ex initio capitis septimi libri primi Esdræ: *Post hæc autem verba, in Regno Artaxerxis Regis Persarum Esdras filius Saraiæ &c. ipse Esdras ascendit de Babylone*. Cùm igitur auctor priorum sex capitum esset Hierosolymis tempore Darii Histaspis filii, Esdras verò Babylone ascenderit Hierosolymam tempore Artaxerxis

xis Longimani, nempè post 57. annos, sequitur, Esdram posteriorum quidèm capitum hujus libri, sed non sex priorum auctorem esse. Quod autem Esdras auctor sit capitis septimi, & trium aliorum, quæ leguntur in libro 1. Esdræ, liquet ex capite septimo, ubi Esdras sic de se loquitur: *Benedictus Dominus Deus patrum nostrorum..... & in me inclinavit misericordiam suam coram Rege*. Et cap. 9. *Curvavi genua mea &c.* Et cap. 10. *Sic ergò orante Esdra &c.* Quæ verba apertè probant, Esdram quatuor postremorum capitum hujus libri esse auctorem. Cæterùm, quamvis auctor sex priorum capitum libri primi inscripti nomine Esdræ, à quo etiam scripti sunt duo Paralipomenon libri, incertus sit, verè tamen dici potest, duos libros Paralipomenon, sicut & librum primum Esdræ nomine inscriptum habere auctorem Esdram, quatenùs, ut suprà observavimus, Esdras libros Paralipomenon digessit, & sex priora libri sibi cognominis capita subnexuit, quæ & deinde per quatuor postrema capita continuavit. Hic liber decem continet capita.

Liber Nehemiæ, qui secundus Esdræ dicitur, continet Historiam eorum, quę contigerunt sub Nehemia, imperante Artaxerxe Longimano. Et in eo agitur primò de concessa Nehemiæ facultate redeundi Hierosolymam & urbem ædificandi, & de ea facultate à Judæis executioni mandata. Deindè, referuntur judicia Nehemiæ pro regimine populi, & recensentur hi, qui primùm Hierosolymam ascenderunt. Tertiò, dicitur, quomodò Esdras coràm populo legit verba Legis Moysis, & ii numerantur qui pro observanda hac Lege fœdus inierunt, & inito fœderi suâ manu subscripserunt. Deniquè, leguntur nomina illorum, qui Hierusalem & cæteras urbes Judeęę incolebant; fitq; accurata enumeratio officiorum Sacerdotum & Levitarum, qui cum Zorobabele reversi sunt, omnesq; mulieres alienigenę, lecto libro Deuteronomii, ejectæ feruntur. Nehemiam hunc librum lucubrasse inconfesso est apud omnes, & res ipsa indicat; nam & se libri auctorem in fronte profitetur pro more Scriptorum illius tem-

temporis, videlicet Herodoti, Thucydidis, Timæi Locri, Ocelli Lucani, Alcmæonis Crotoniatæ,& res à se gestas toto hoc in opere describit. Vixit Nehemias ęvo Artaxerxis Longimani Persarum Regis, & illius reditus Hiersolymam reditu Esdræ recentior fuit tredecim annis. Hic liber Nehemiæ in Editione vulgata 13. complectitur capita.

ANALYSIS, ET AUCTOR *Libri Tobiæ*.

Liber Tobiæ duas in partes distribui potest. In prima præmittuntur genus & patria Tobiæ, qui anno sexto Ezechiæ Regis Juda, & anno nono Osee ultimi Regis Israël, cùm decem Tribus captivæ à Salmanazare Assyriorum Rege in Assyriam deportarentur, eò quoque unà cum uxore & filio translatus est. Deindè, commendatur Tobias à vitæ innocentia, à fuga consortii malorum, à divinę Legis observatione, à pietate erga Deum, à misericordia erga pauperes & proximum, à cibis vetitis abstinentia, à cura sepeliendi mortuos, ab invicta animi constantia, quæ enituit tùm in rebus adversis, quas passus est sub Sennacherib Assyriorum Rege, à quo fuit bonis omnibus expoliatus; tùm etiam eo in casu extraordinario, quo ipsum quodam die fatigatum à popularium sepultura redeuntem & juxtà parietem domus obdormientem excæcarunt calida in ejus oculos incidentia Hirundinum stercora. In secunda parte describuntur iter & reditus junioris Tobiæ, qui in terram Medorum à patre missus est; officia exhibita ab Angelo Raphaele, qui se se peregrinationis junioris Tobiæ comitem ac ductorem præbuit, eumque à devoratione piscis, qui juxtà fluvium Tigris in juniorem Tobiam insilierat, liberavit, & fel ac jecur illius piscis ab ipso in terram tracti & exenterati modum in medicamentorum usum præparandi edocuit, atque de Sara Raguelis filia in uxorem ducenda instruxit. Deniquè, narrantur Dæmonis Asmodæi, seù luxuriæ Principis, jecoris & cordis illius piscis suffitu expulsio, invisibilis illius Dæ-

Dæmonis relegatio in superioris Ægypti desertum; Angeli Raphaëlis in Rages civitatem Medorum ad Gabelum profectio, à quo decem talenta, quæ pater junioris Tobiæ in mutuum aut depositum ei dederat, recepit; Tobiæ cum Sara matrimonium, ejusque cum uxore in civitatem Ninivem reditus; restitutus Tobię senioris visus adhibito felle piscis; Angeli Raphaëlis manifestatio; preces, orationes, gratiarum actiones, vaticinia & mors utriusque Tobiæ. Hic liber Tobiæ xiv. complectitur Capita, quorum priora duodecim à seniore Tobia fuisse conscripta vero quàm simillimum est, tùm quia in his capitibus senior Tobias in propria persona loquitur, juxtà interpretationem græcam, ad quam syriaca & hebræa sunt expressę; tùm quia etiam hic erat solemnis Hebræorum mos, ut res suas in commentarios referrent; tùm quia denique dubitari haùd potest quin uterque Tobias mandato Angeli morem gesserit. Cùm enim vulgata lectio hæc habeat capite 12. *Narrate omnia mirabilia ejus*, græcus Interpres, qui vetustissimus est, sic habet: *Scribite in libro quæ evenerunt*: Tobias igitur senior duodecim priora Capita hujus libri conscripsit. At decimum tertium & decimi quarti partem, ubi refertur Tobiæ senioris interitus, Tobias filius in litteras retulit. Duo verò postremi versiculi capitis decimi quarti adjecti videntur ab aliquo è Tobię junioris filiis aut nepotibus, qui ejus mortem & sepulturam scriptis mandarunt. Liber Tobiæ chaldaico sermone & charactere fuit primùm scriptus in Assyriorum Regionibus, ubi uterque Tobias captivus vitam egit.

Analysis, et Auctor
Libri Judith.

Liber Judith continet Historiam de insigni victoria, quam hæc nobilissima & castissima Vidua de potentissimo Tyranno Assyrio & de Principe Militiæ Assyriorum Holoferne reportavit, & Israëlitas à præsentissima ruina liberavit. Et primò præmittuntur in eo libro Nabuchodono-

so-

ſoris Aſſyriorum Regis, qui ex relata de Arphaxad Medorum Rege victoria ſuperbus evaſerat, validiſſimi Exercitus ſub Holoferne progreſſus, urbium & Provinciarum tantis territarum copiis deditio, munitarum deſtructio, fortis tamen Iſraëlitarum reſiſtentia, preces, indicta jejunia. Deindè, ſequuntur urbis Bethuliæ obſeſſio, & felix ejus liberatio per Juditham, quæ Principes animum deſpondentes objurgat, vacillantes confirmat, omneſque Iſraëlitas, qui in urbe Bethuliȩ obſeſſi indiſcretæ deditionis terminum ad quinque dies præfixerant, ad patientiam, ad ſpem proximȩ liberationis, & opis divinæ implorationem inducit, hortatur & animat; ſeque poſt fuſas ad Deum preces tradidit hoſtium cuneo, Holofernem ejus pulchritudine captum jugulavit, caput ei abſcidit, & in urbem Bethuliæ reverſa eſt. Hinc ſuſpenſo Holofernis capite de muro Bethuliæ, totus Aſſyriorum Exercitus, compertâ Holofernis cæde, incredibili timore concutitur, arripit fugam, & à Judæis undique occurrentibus & inſequentibus cæditur ac profligatur. Deniquè, pro tàm celebri victoria Juditha epinicium canit, & à Summo Pontifice & univerſo populo laudatur, & ſpoliis Holofernis propriis condecoratur. Hic liber Judith continet XVI. Capita. Quiſnam fuerit hujus libri Auctor? incertum eſt. Quidam exiſtimant, librum Judithæ fuiſſe elaboratum ab Eliachimo, ſeù Joachimo in ipſo Judithæ libro memorato, qui ſummum Judæorum Pontificatum tenuit Manaſſis Regis temporibus. At mihi magis probatur conjectura Illuſtriſs. Abrincenſis Epiſcopi, qui ſuſpicatur, librum Judithæ ſcriptum fuiſſe Babylonicæ captivitatis temporibus ad leniendam hujus exilii ægritudinem, & ſpe arrigendos Iſraëlitarum animos, maximè cùm hic liber chaldaicâ linguâ fuerit conſcriptus, teſte S. Hieronymo, qui inde tranſlationem ſuam deprompſit; ſic tamen, ut fateatur, *ſe magis ſenſum è ſenſu, quàm ex verbo verbum tranſtuliſſe.*

ANA-

Analysis, et Auctor *Libri Esther*.

Argumentum hujus libri consistit in depressione Vasthi & Aman, in exaltatione Esther & Mardochæi, & in liberatione Populi judaici in summo periculo positi, quam ab Assuero obtinuit Esther. Et primò, post descriptum Regale & magnificum Convivium, quod fecit Assuerus, refertur dejectio Reginæ Vasthi, eo quòd huic convivio interesse detrectavit. In cujus Reginæ locum suffecta est Esther neptis Mardochæi, quæ Regi desponsata benevolentiam & amorem ipsius sibi omninò conciliavit, ejusque operâ Mardochæus Eunuchos Regi insidiantes prodidit, & inde Regis gratiam promeruit. Secundò, narrantur iniqua Aman contra Mardochæum & omnes Judæos machinatio, ferale Regis Assueri de Judæis occidendis edictum, quod impetravit Aman; Mardochæi & Judæorum publica lamentatio. Deniquè, referuntur Judæorum liberatio facta per Reginam Esther, frustratio machinationis contra Mardochæum, quem, jussu Regis, Aman capitalis ipsius hostis regiis honoribus afficere cogitur; suspensio ejusdem Aman in ea cruce, quam paraverat Mardochæo, qui in locum Aman sufficitur; litteræ de jugulandis Judæis antiquatæ, & novæ contra eorum hostes à Rege conscriptæ, Judæorum omnium summa lætitia, erga Deum gratiarum actio, & ad hujus liberationis perennem conservandam memoriam statuta singulis annis celebranda festivitas. Liber Esther complectitur in Editione vulgata XVI. Capita.

Quis autem sit hujus libri auctor? non una omnium est sententia: alii Esdram, alii Mardochæum hujus libri auctorem faciunt, alii probabilius opinantur, hunc librum esse magnæ Synagogæ fœtum. Narrat quidèm Mardochæus, se librum scripsisse, & ad Judæos misisse; sed ille liber nihil aliud fuit, quàm epistola à Mardochæo eo fine scripta, ut festivitatem Sortium singulis annis statâ die celebrarent, uti ex

ex cap.9. & init.cap.10.facilè colligitur. Quapropter verosimile est, Synagogam magnam, ad quam ex officio pertinebat causam & cæremonias hujus solemnitatis explicare, hunc librum ad majorem Judæorum instructionem edidisse, eique inseruisse totam jam citatam Mardochæi epistolam, unà cum epistola Estheris, cujus mentio fit in eodem capite vers.29. nonnullis etiam additis circumstantiis, quæ ad lucem huic Historiæ conciliandam necessaria videbantur. Sed ut ut sit de auctore illius libri, constat, librum Esther temporibus Esdræ fuisse conscriptum, quia adscriptus est in canonem Hebræorum, quem, teste Josepho, Esdras post laxatam captivitatem Babylonicam condidit sub Artaxerxe Longimano Persarum Rege.

ANALYSIS, ET AUCTOR *Libri Job*.

Liber Job graphicè describit statum ipsius prosperitatis, statum adversitatis, & deniquè restitutionem in pristinum & sublimiorem statum. Et primò status prosperitatis Job ostenditur ex quinque, videlicet, ex ejus patria, quæ erat terra *Hus* in Idumæa, ex genere & ex multiplici virtute, quâ erat exornatus; deindè, ex prolis fœcunditate, ex bonorum exteriorum multiplicatione, ex famæ celebritate, & ex filiorum bona indole ac mutuâ dilectione. Status adversitatis Job demonstratur ex repentina filiorum morte, ex jactura omnium bonorum, ex proprii corporis percussione, & ex aliis id genus flagellis ipsi procuratis, sive à Dæmone, sive ab uxore ei impiè insultanti, sive ab amicis ipsum visitantibus, qui toto septiduo tacentes, posteà ad increpationem prosiliunt, adversùs quos Job sibi semper constans, totus est, ut probet viros justos & pios, Deo sic pro meliori bono disponente, in hac vita affligi & puniri, cunctaq; æquissimo Dei judicio, potentiæ ac notitiæ subesse. Deniquè, describitur Jobi in pristinum vel etiam in sublimiorem statum restitutio, posita videlicet in amicorum reductio-

ctione, in bonorum, sive temporalium, sive spiritualium duplicatione, in prolis fœcunditate & felicitate, in gloria ejus & diuturnitate vitæ. Liber Job habet Capita XLII. Librum Job à Moyse in solatium gentis Israeliticæ, cùm ab Ægyptiis premeretur, fuisse conscriptum probabilius est, tum quia maxima est styli & characteris similitudo inter hunc librum & libros à Moyse exaratos; tùm quia Moyses, sicut ex constanti traditione liquet, fuit primus omnium Gentium Scriptor, quod tamen falsum esset, si Job Moyse antiquior hunc librum scripsisset; tùm quia denique, Moyses, qui post sublatum è vivis Ægyptium, diù in Arabia, seù inter Madianitas degit, facilè admodùm Jobi inter orientales spectatissimi varios casus, qui in Arabia evenerant, & quorum recens erat adhùc memoria, cognoscere potuit, & res gestas, atque sermonum argumenta omnium famâ celebrata narrationis filo contexere. Sed satis dictum sit de Auctore libri Job; nam, ut præclarè ait S. Gregorius Magnus præfat. in Job. cap. 1. *Quis hæc scripserit valdè supervacuè quæritur, cùm Auctor libri Spiritus Sanctus facilè credatur? Ipse hæc scripsit, qui hæc scribenda dictavit: ipse scripsit, qui & illius operis inspirator extitit, & per scribentis vocem imitanda ad nos ejus verba transmisit.*

Analysis, et Auctor *Librorum Machabæorum.*

Duo Machabæorum libri ita appellantur, quia in his texitur Historia Machabæorum, seù narrantur res, quas pro tuenda, vel recuperanda Populi judaici libertate quatuor gesserunt duces, scilicèt Mathatias, Judas, Jonathas, & Simon in Syria, tempore tertiæ Monarchiæ, hoc est, Græcorum, sub Regibus Ægypti & Syriæ, quibus quatuor illi famosi duces divinæ Legis zelo accensi, arreptis armis constanter restiterunt, bella feliciter confecerunt, hisque sæpiùs devictis, Populum Dei in libertatem vindicarunt. In primo Machabæorum libro describitur constantia ducis

Mathatiæ, qui, ut liberaret populum Dei, bella movit adversùs Antiochum Epiphanem Syriæ Regem, qui postquàm urbem Hierosolymam vastasset, Gentem judaicam ibi fermè delevisset, Templum sacrilegè diripuisset, atque polluisset, omnes, qui supererant, Judæos, Dei Leges, patriaque & avita instituta deserere, ac gentium more vivere compellebat. Deindè, narrantur liberatio populi Dei, bella & victoriæ sub Juda duce Mathatiæ filio, qui incredibili animi fortitudine pugnavit contra Antiochum Epiphanem, ejusque filium Antiochum Eupatorem, & contra Demetrium Seleuci filium Syriæ Reges. Tertiò, exponuntur Ducatus, gesta, & victoriæ Jonathæ tùm tempore Alexandri, tùm Demetrii Secundi, tùm Antiochi adolescentis Syriæ Regum. Denìquè, referuntur gesta Simonis ducis sive sub Antiocho adolescente, & Demetrio simùl de Regno cum eo decertante, sive sub Antiocho ultimo Demetrii filio.

In secundo Machabæorum libro agitur de gestis Judæ Machabæi, ejusque fratrum Jonathæ, & Simonis, de Templi purificatione, & Aræ dedicatione, de gestis Antiochi Eupatoris & Seleuci Regum Syriæ. Hic liber est quædam repetitio præcedentis, seù eorum, quæ in eo aut omissa, aut nimis breviter dicta fuerant, expositio & Epitome cujusdam magni Voluminis a Jasone Cyrenæo conscripti. Quis autem fuerit ille Jason Cyrenæus, an Judæus? an Gentilis? nihil planè compertum habemus.

Quis fuerit Auctor lib. primi Machabæorum? planè incertum est. Nonnulli tamen Joannem Hircanum Simonis filium, qui diù Imperio & Pontificatu potitus est, putant esse hujus libri Auctorem. Hic primus Machabæorum liber, quem Josephus fermè integrum in suum opus de Antiq. Jud. contulit, primùm hebraicâ linguâ, seù potiùs syriacâ, qualis à Judæis tùm temporis usurpabatur, fuit exaratus, & complectitur in Editione vulgata XVI. Capita. Posterior verò Machabæorum liber continet Capita XV. Eum græcè fuisse conscriptum ex ipsa phrasi colligit S. Hieronymus in Prologo galeato. Ejus auctor ignoratur, nec solidæ sunt conje-
ctu-

ctura, quibus alii Philoni, alii Josepho, alii Judæ Essæo insigni pietate viro hunc librum adscribunt. Sed satis superque dictum sit de libris legalibus & historicis veteris Testamenti.

SECTIO SECUNDA

De Argumentis & Auctoribus Librorum tàm Moralium, quàm Propheticorum veteris Testamenti, necnon de Vaticiniis in Christo impletis, quæ in eis continentur.

Libri Morales veteris Testamenti, qui etiam à Sanctis Patribus nomine Sapientiæ designantur, eo quòd ad veræ Sapientiæ studium & amorem nos accendant, sunt numero quinque, quos ceù sacros & canonicos agnoscit Catholica Ecclesia. Ii sunt, libri Proverbiorum, Ecclesiastis, Cantici Canticorum, Sapientiæ, & Ecclesiastici, de quibus brevi, contractoque stylo hìc primò differam, & deinde, de libris propheticis veteris Testamenti.

Analysis, et Auctor Libri Proverbiorum.

Liber Proverbiorum ad divinę Sapientiæ studium homines adhortatur, illius utilitatem ac præstantiam commendat, variisque, quas complectitur sententiis & benè vivendi præceptis, docet quomodò vitanda sint rapina, avaritia, prava sodalitia, Idololatria, vita mala. Quomodò linguam & oculos cohibere, luxuriam, crapulam & ebrietatem cavere debeamus. Admonet insuper qualis sit habenda cura boni nominis, munditiei cordis, diligentiæ, misericordiæ, & in Deum fiduciæ. Exponit varias stulti & sapientis vias & semitas, fructus quoque oppositos justi & impii, diligentis & otiosi, sapientis & stulti, linguæ bonæ & malæ. Deniquè, prænunciat quid eveniet calumnianti,

pravo diviti legem audire nolenti, scelera sua abscondenti, Principi impio &c. Hic liber continet XXXI. Capita, in quorum 8. illustre extat de Verbi Divini generatione, sub nomine æternę Sapientię, testimonium: *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequàm terra fieret: nondùm erant abyssi & ego jam concepta eram*. Quæ verba, ut interpretantur Sancti Patres, intelligi debent de divina & increata Sapientia, seù de Filio Dei, qui ab æterno à Patre incomprehensibili modo genitus, splendor est gloriæ & figura substantiæ ejus, hoc est, ipsi in omnibus æqualis. Salomonem esse auctorem illius libri omnes consentiunt, idque palàm declarat hujus operis initium: *Parabolæ Salomonis filii David Regis Israël*. At dubitatur, num integer Proverbiorum liber fuerit à Salomone conscriptus? Enimverò, ab his verbis initium ducit caput vigesimum quintum: *Hæ quoque Parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ Regis Juda*. Quæ verba innuere videntur, præcedentes parabolas esse quidèm scriptas à Salomone, sed subsequentes parabolas, seù illas, quę à capite vigesimo quinto usque ad trigesimum inseruntur, viris Ezechię Regis Juda esse adscribendas. Tricesimi etiam capitis libri Proverbiorum hoc exordium est: *Verba congregantis filii vomentis*, quæ verba sic ex Textu hebræo reddi debent: *Verba Agur filii Jake; prophetiam dixit vir ad Ithiel, ad Ithiel & Ucbal*. Postremum caput libri Proverbiorum ab his verbis incipit: *Verba Lamuelis Regis*. Quæ omnia probare videntur, librum Proverbiorum non esse unius Salomonis, sed ex aliorum oraculis collectum. Sed hæc tanti non sunt, ut quemquam à communi sententia, quæ integrum Provebiorum librum Salomoni tribuit, divellere debeant. At enim, ut perdoctè observat Illustrissimus Abrincensis Episcopus in sua Demonstratione Evangelica, Proposit. 4. pag. 190. hæc parabolarum Salomonis collectio facta est diversis temporibus, partim ante Ezechiam, partim temporibus Ezechiæ, partim Aguris filii Jake temporibus. Nam ante captivitatem ter mille parabolę Salomonis in Templi Tabulariis asservabantur. Viri etiam stu-

studiosi ex iis parabolis aliquas in suos usus excerpserunt. Sed crematis in clade Hierosolymitana Codicibus, quibus descriptæ continebantur Salomonis parabolæ, Esdras post laxatam captivitaem Babylonicam ex ingenti parabolarum numero aliquot tantùm particulas Sanctorum Virorum diligentiâ, vel certo Dei nutu flammis exemtas nactus est, easque collegit. Undè priora viginti tria capita cum viginti duobus primis versibus capitis vigesimi quarti, nulla sui parte multata sunt, sed talia extare videntur, qualia à Salomone descripta fuerunt. Reliquorum autem septem capitum compilatio cum postrema capitis vigesimi quarti parte, multorum, idest, tàm Virorum, quos ad hunc finem elegit Ezechias, quàm Aguris, & Lamuelis collectio est, & parabolis hinc inde ex toto Salomonis opere excerptis constat. Partium illarum collocatio & in librum Proverbiorum, qualem nunc habemus, constructio, Esdræ est, vel potiùs Synagogæ magnæ, cujus auctoritate sacrorum Librorum Esdras recensum egit.

Analysis, et Auctor *Libri Ecclesiastis.*

Argumentum & scopus hujus libri in eo potissimùm versatur, ut Mundi & rerum temporalium contemptum ac vanitatem persuadeat, Dei verò, in quo solo tranquillitas animi, veraque felicitas reperiri possunt, cultum, religionem ac providentiam omni argumentorum genere stabiliat. Undè Salomon, qui, ut mox ostendemus, hujus libri auctor est, de finibus bonorum & malorum toto hoc in opere differit. Et primò, profert quatuor primis capitibus varias opiniones hominum, quorum alii beatitudinem in scientia, alii in delitiis, alii in vitæ diuturnitate, alii in in bonorum ambitione & dominii auctoritate, alii in temporalibus divitiis, alii in notitia de occultis constituebant, has omnes opiniones explodit Salomon, & in ea tandèm acquiescit sententia, quâ Deum timendum esse & mandata ejus

ejus observanda statuit. Hinc vitæ humanæ ad æternam Dei legem exigendæ & fugiendorum vitiorum rationes præscribit, providentiam Dei commendat, cui nos subdere ac vota persolvere debemus; veram Sapientiam, cujus dotes extollit, cùm voluptate conciliari non posse ostendit, juvenem describit, qui æstu passionum abreptus & naturæ corruptæ propensionem sequens, totum se voluptati permittit; stultitiæ characteres delineat, vanam curiositatem & mulierum blandimenta vitanda docet; corporis voluptates & opes vanas ac fluxas esse demonstrat; ad liberalitatem & bona opera, ad actus virtutum, Prudentiæ, Justitiæ, Fortitudinis, & Temperantiæ exercendos, adhortatur. Deniquè, pluribus verbis inculcat, nè vitæ emendatio usque ad senectutem differatur, tum propter juventutis celeritatem, tùm propter senectutis, quam multa circumveniunt incommoda (quæ figuratâ & ænigmaticâ descriptione depingit) fragilitatem & calamitatem; tùm deniquè, propter senectutis finem, scilicet amaram mortem & strictam divini judicii exactionem. Hic liber complectitur XII. Capita, in quibus sanctiores moralis & divinæ Sapientiæ regulæ continentur. Quò fit, ut ridendus potiùs sit, quàm refellendus Lutherus, qui in Colloquiis convivialibus de libris veteris & novi Testamenti, infrunito ore hæc de libro Ecclesiastis effutire non erubuit: *Ecclesiastes liber non est plenus*; *multa habet abrupta*; *neque ocreis, neque calcaribus indutus est*; *hoc est, nullam habet perfectam sententiam*: *equitat in arundine longa, sicuti ego, dùm eram in Monasterio*. Dignum sanè patellâ operculum! Nimirùm Lutherus Salomonem ex suo voluit metiri ingenio, quippè qui vinolentiæ & crapulæ deditus, nonnisi plenissimè potatus & vino ingurgitatus animum ad scribendum, vel concionandum appellere consueverat. Auctorem illius libri omnes, exceptis Thalmudistis & Hugone Grotio, fatentur esse Salomonem. Thalmudistæ siquidem volunt, auctorem libri Ecclesiastis esse Regem Ezechiam; Grotius verò Zorobabelem esse auguratur. Sed isti oppidò falluntur; nam hæc verba, quibus hic liber inchoatur, nec

in

in Ezechiam, nec in Zorobabelem quadrare possunt, sed solùm in Salomonem: *Verba Ecclesiastæ filii David Regis Hierusalem*; nec ista, quæ sequuntur: *Locutus sum in corde meo dicens: Ecce magnus effectus sum, & præcessi omnes sapientià, qui fuerunt ante me in Hierusalem*. Porrò Ezechias & Zorobabel sapientiâ aut magnificentiâ Salomonem non præcesserunt. Præterea, auctor libri Ecclesiastæ disertè cap. 12. testatur, se multas composuisse parabolas, quod sanè non alteri, quàm Salomoni convenire potest. Deniquè, si quis legat capita 7. & 8. ejusdem libri, multa in illis comperiet, quæ soli Salomoni aptari & congruere possunt: igitur auctor istius libri est Salomon, qui sibi Ecclesiastæ, seu Concionatoris nomen hoc in opere vindicavit.

Analysis, et Auctor *Libri Cantici Canticorum*.

Hic liber appellatur *Canticum*, quod est spirituale Christum inter & Ecclesiam colloquium. Sed quia in isto colloquio Christus & Ecclesia modò introducuntur sub parabola Sponsi & Sponsæ, modò sub parabola Pastoris & Gregis, modò sub typo Agricolæ & Horti, aut Agri, aut Vineæ; hinc aliquandò dicitur Canticum *Epithalamium*, seu nuptiale; aliquandò Canticum *Bucolicum*, seu pastorale; aliquandò deniquè Canticum *Georgicum*, & in eo Christus duplicem gerit personam, videlicet Magistri sapientissimi & Sponsi amantissimi. Ecclesia itidèm duplicis personę obit officium, discipulæ doctrinam Magistri attentè audientis, & Sponsæ charissimi sui Sponsi amplexibus junctæ. Stylus quidèm amatorius est, attamen, ut suprà diximus, nihil carnale, nihil profanum continet, sed solùm exprimit summum amorem Christi erga Ecclesiam, quam sibi mediâ Incarnatione desponsavit; simùlque mysticè designat Christi Prædicationem, Passionem, Mortem, Resurrectionem, Ascensionem, Missionem Spiritus Sancti, Prædicationem Apostolorum, Gentium conversionem, præsertim verò Ec-

clesiæ fundationem, propagationem, persecutiones, futuram in Cælo perfectionem & completam felicitatem. Crediderim tamen ipse, hoc Carmen, seù Epithalamium scriptum esse à Salomone, quandò cum filia Pharaonis Regis Ægypti nuptias iniit. Hoc enim non obscurè significare videntur hæc verba, quæ leguntur capite tertio: *Egredimini & videte, filiæ Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum Mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus*. Quæ verba, juxtà sensum litteralem, apertè denotant nuptias, quas cum filia Pharaonis iniit Rex Salomon. Hic liber, qui VIII. constat Capitibus, Salomonem habet auctorem, ut patet non solùm ex istius operis titulo, qui tùm in hebraico exemplari, tùm in LXX. Interpretum Versione Salomonem indicat auctorem, sed etiam ex ipso Salomonis nomine sæpiùs in hoc libro repetito, sicut, exempli gratiâ, cap.3. vers.7. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt*. Et vers. 9. *Ferculum fecit Salomon de lignis Libani*. Et vers.11. *Egredimini & videte, filiæ Sion, Regem Salomonem in diademate*. Quò fit, ut opinio Thalmudistarum, qui hunc librum adscribunt Ezechiæ, communi Doctorum calculo explodatur.

ANALYSIS, ET AUCTOR *Libri Sapientiæ*.

HUnc librum quidam Interpretes in tres partes dividunt. Prima pars à cap. 1. ad 7. hortatur maximè omnes Reges, Principes & Magistratus ad zelum, studium & amorem Sapientiæ, eisque suadet servare justitiam tanquàm medium necessarium ad veram acquirendam Sapientiam, justorum vitam & mortem felicem esse ostendit, impiorum verò vitam neque diuturnam esse, neque felicem, mortem inhonoratam, & post mortem coràm Tribunali Dei fletus & in Inferno miserum statum, æternosque cruciatus. Altera pars à cap.7. usque ad 10. explicat Sapientiæ originem, & quo pacto acquiratur, ejusque excellentiam commen-

mendat. Tertia pars, multis exemplis illustrium Patriarcharum & experientiâ totius populi Israëlitici describit ac recenset utilitates, fructus & effectus Sapientiæ. Hic liber continet Capita XIX. Circa Auctorem hujus libri multiplex est sententia. Crediderim ipse, hunc librum conflatum esse ex variis Salomonis sententiis hàc illàc dispersis, undè quamvis doctrina in hoc libro contenta sit Salomonis, ut declarat ipse titulus, qui in græca, syriaca & arabica Versionibus Salomonis nomen præfert, attamen ordo & compositio illius libri, qui nunc superest, sunt alterius auctoris. Ut ut sit, constat, auctorem istius libri fuisse à Deo inspiratum, & prophetice de Passione Christi Domini hæc capite secundo scripsisse: *Si enim est verus filius Dei, suscipiet eum & liberabit eum de manibus contrariorum. Contumelia & tormento interrogemus eum; ut sciamus reverentiam ejus & probemus patientiam illius. Morte turpissimà condemnemus eum &c.* Quæ verba si conferantur cum iis, quæ leguntur capite 27. Matth. planum erit, hoc esse illustre de Passione Christi Domini vaticinium.

Analysis, et Auctor *Libri Ecclesiastici.*

Hic liber, totus quantus est, paræneticus est, continetque pias sententias, salutaria documenta, & præcepta moralia, quæ hominem quovis in statu ad Sapientiam & virtutem probè instituere possunt. Capita LI. complectitur, quæ plurimi Interpretes in tres partes distribuere solent, quarum prima cap. I. refert originem & encomium Sapientiæ. Deindè, à cap. 2. usque ad 24. dat præcepta & documenta de quibuslibet virtutibus, quæ inchoat, juxtà seriem Decalogi. Incipit enim à timore & cultu Dei; inde progreditur ad honorem Parentibus debitum, ac deinceps officia cæteris vel ex charitate, vel ex justitia præstanda prosequitur. Altera pars, à cap. 24. usque ad cap. 42. vers. 15. inducit Sapientiam se, suaque prædicantem, & Ethica Sa-

pientiæ tradit documenta, quæ non solùm ad propriam personam perficiendam, sed ad familiam & Rempublicam gubernandam vel utilia sunt, vel necessaria. Tertia pars, à cap. 42. vers. 15. usque ad finem complectitur harum virtutum & documentorum exempla, quæ, præmisso encomio Dei, ejusque operum, concludit elogiis Patriarcharum, Prophetarum & Principum illustrium veteris Testamenti.

Hujus libri auctor fuit Jesus filius Sirach Hierosolymitanus, qui ad Salomonis sententias adjecit suas, sicut ex Prologo hujus Operis & ex capite 50. colligitur, undè hic liber ex scriptis Salomonis moralibus magna ex parte decerptus est. Nam quamplurimas sententias ex libris Proverbiorum, Ecclesiastis, & Sapientiæ in istum Ecclesiastici librum translatas fuisse luculenter demonstrant Drusius lib. 1. Observat. & Illustrissimus Abrincensis Episcopus in Demonstrat. Evangelica. Quò factum est, ut hic liber ex variis Salomonis sententiis compilatus, interdùm à veteribus nomine Salomonis citari soleat.

ANALYSIS
Prophetiæ Isaiæ.

PRophetia Isaiæ duas in partes dividi potest. In prima, Isaias pœnas denunciat, & minas intentat Judæis, quorum scelera redarguit, eisque minatur cladem tùm Assyriacam per Sennacherib, tùm Babylonicam per Nabuchodonosorem, tùm Romanam per Titum, ac deniquè, eorum excæcationem & reprobationem tempore Christi. In altera parte agit Isaias de liberatione populi facienda per Cyrum & per Christum ab exilio & peccato. Hinc tàm clarè ac distinctè hic Propheta Mysteria Christi Servatoris nostri prosequitur, ut, teste S. Hieronymo, non tàm Propheta, quàm Evangelista dicendus sit. Perpauca ex multis, quæ promit, oraculis hic indicabo, quæ in Christo Domino fuisse completa, uberrimè in Tractatu *de Mysteriis & Annis Christi*

sti commonstravi. Cap.7. hæc habet Isaias: *Ecce Virgo concipiet*. Cap.8. *Et factus est Principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus admirabilis*. Cap.9. *Parvulus natus est nobis*, Cap. 11. & 12. *Et egredietur de Radice Jesse, & flos de Radice ejus ascendet*. Quæ Isaiæ oracula in Christi Domini conceptu & ortu fuisse completa, luculenter evicimus in 1. 2. 3. & 7. Dissertationibus jam citati Tractatus. Præterea, Isaias cap.35. ait: *Deus ipse veniet & salvabit nos, tunc aperientur oculi cæcorum*. Et cap.49. *Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ*. Et cap.61. *Spiritus Domini super me, eo quòd Dominus unxerit me, ad annunciandum misit me, ut mederer contritis corde*. Quæ Isaiæ vaticinia suum in Christo exitum habuisse ostendimus in Tractatu *de Mysteriis & Annis Christi*, Dissert.13. quæ est de Doctrina Christi, & Dissert.14. quæ est de Miraculis Christi. Denique, Passionem Christi cum omnibus penè circumstantiis toto capite 53. Isaiæ descriptam habemus: *Despectus & novissimus virorum, vir dolorum & sciens infirmitatem .... Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra ..... Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum*. Item, *omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm*. Legi potest Dissertatio 20. ejusdem Tractatus *de Mysteriis Christi*, ubi latè contrà Judæos probavimus, hęc Isaiæ oracula nulli alteri, quàm Christo aptari posse. Primus in serie Prophetarum optimo jure ponitur Isaias, qui filium Amos se ipsum dicit, non illius, qui inter Prophetas 12. numeratur, sed alterius Amos, quem fratrem Azariæ Regis fuisse veteres existimant. Fuit de Tribu Juda, & è Regia Stirpe oriundus. Sub quatuor Regibus Juda Ozia, Joathan, Achaz, & Ezechia prophetavit. Mortuus est, juxtà communem opinionem, sub Manasse Rege Juda Serrâ dissectus, quod corruptos illius Regis mores, liberiùs carperet & insectaretur. Liber Isaiæ hebraicè, grçcè & latinè continet LXVI. Capita.

ANALYSIS
Prophetiæ Hieremiæ, & Baruch.

Hieremias in suo Vaticiniorum libro invehitur in Judęos ob gravissima illorum peccata, eisque comminatur justissimas à Deo pœnas infligendas, præsertim brevi futurum Nabuchodonosoris adventum, Urbis & Templi excidium,& captivitatem Babylonicam. Miscet tamen hinc inde læta de reducendis è captivitate Babylonica Judæis; de redimendo per Christum Mundo; de Gentibus in Ecclesiam inducendis. Sic enim Hieremias cap.23. vers.3. & seq. vocationem Gentium, & Christi Adventum pręnuntiat: *Et ego congregabo reliquias Gregis de omnibus terris &c. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo David germen justum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet judicium & justitiam in terra*. Item: *In diebus illis salvabitur Juda, & Israël habitabit confidenter, & hoc nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster*. Deniquè, ut mittam alia vaticinia, quibus Hieremias futura Christi Mysteria, vocationem Gentium, veteris Legis abrogationem, novi fœderis sanctionem & institutionem apertissimè pręducit, hoc unum adjiciam, quo hic Propheta insolitam & miraculosam Christi in utero Virginis conceptionem his verbis cap.31.vers.4. describit: *Usquequò dissolveris filia vaga? Quia creavit Dominus novum super terram, fœmina circumdabit Virum*. Pręter hunc Prophetię librum, Hieremias scripsit Threnos, seù Lamentationes, scripsit etiam Psalmos 64. & 136. qui nomen ejus pręferunt, Epicædium, seù Lugubre Carmen in morte Josiæ Regis Juda, ut narratur lib. 2. Paralipomenon cap.35. quod omninò periit; epistolam ad captivos in Babyloniam abducendos, ut dicitur cap.51. Hieremię; aliam epistolam ad populum in captivitate constitutum, quę habetur cap.6. libri Baruch, ut nihil dicam de aliis Hieremiæ Vaticiniis, quæ injuriâ temporum interciderunt. Liber prophetiæ Hieremiæ habet apud Hebręos & Latinos Capita LII.

La-

Lamentationes verò Hieremiæ metro scriptæ sunt, & in quatuor Capita digestæ, quorum Versus ordinem hebraicarum litterarum retinent, tùm ad juvandam memoriam, tùm ad facilitatem cantorum, nè videlicet in iis modulandis turbarentur. Has Lamentationes edidit Hieremias post eversam Hierosolymam & abductum populum in captivitatem Babylonicam, & in his ploratu ingenti, vehementibusque suspiriis deplorat funestum patriæ suæ exitium, suas quoque cap.3. calamitates luget, seque à populo derisum, contumeliis lacessitum, in carcerem conjectum, & in lacum demersum conqueritur. Quartum Lamentationum caput sequitur oratio Hieremiæ, quæ in Textu hebraico & Versionibus LXX. Interpretum, Vulgatâ, Syriacâ & Chaldaicâ continetur. Hieremias cępit prophetare anno 13. Josiæ Regis Juda, & pro omni labore suo nihil ab ingratis Civibus retulit præter probra, verbera, vincula, carcerem & mortem in urbe Taphnes, in qua à populo, quem propter Idololatriam solitâ libertate reprehendebat, fuit lapidatus.

Lamentationes Hieremiæ excipit Prophetia Baruchi, qui, licèt ex nobili Judęorum prosapia oriundus esset, Scriba tamen Amanuensis Hieremiæ esse voluit. Hinc est, quòd ejus Prophetia, quæ interdùm à veteribus sub Hieremiæ nomine citatur, in vetusta sacrorum Librorum serie specialem sedem non obtineat. Hęc prophetia nomen Baruch prę se fert, & notat tempus, quo scripta est, videlicet, *in anno quinto, in septimo die mensis, in tempore, quo ceperunt Chaldæi Hierusalem, & succenderunt eam igni*, idest, quinto anno post cladem Hierosolymitanam hæc prophetia fuit Babylone scripta à Baruch, quò hic Propheta, mortuo Hieremia, se se transtulerat, & in ea hortatur Propheta Judæos captivos ad pœnitentiam, inducit Hierusalem quasi matrem lugentem filiorum suorum captivitatem, sed eam mox consolatur, & prædicit Judæos à captivitate Babylonica post septem generationes liberandos, interim eos monet, ut Chaldæorum Idola non colant, cùm nihil aliud sint, quàm trunci cariosi, vel lapides ad nullum usum apti aut utiles, quo-

quorum vanitatem multis prosequitur. Hic liber Baruch sex habet Capita, in quorum tertio, vers. 37. insignis de Christo vero Messia habetur prophetia his verbis concepta: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversùs eum .... post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus.*

ANALYSIS
Prophetiæ Ezechielis.

POstquàm Hieremias persuasisset Judæis, ut, si salvi esse vellent, se se Nabuchodonosori dederent, contigit murmur Judæorum, qui in captivitatem Babylonicam fuerant abducti adversùs Hieremiam, quasi eos seduxisset, prænunciando casuram propediem Hierusalem, quàm adhùc stare audiebant. Similiter Judæi, qui Hierosolymis remanserant, deridebant illos Judæos, qui Hieremiæ consilium secuti, in captivitatem unà cum Joachin, seù Jechonia Rege Juda fuerant à Babyloniis asportati, putantes utrimque Hieremiæ vaticinium de urbis excidio falsum esse, & nunquam impletum iri. Ad reprimendam ergò & illorum obmurmurationem, & horum derisionem, spiritu prophetiæ repletus Ezechiel eadem, quæ Hieremias Judæis prædixerat, suis vaticiniis confirmat, nempè, futuram destructionem Hierusalem, pœnas denunciat, quas Deus Judæis infligere debebat in obsidione & fame Hierusalem, in dispersione populi, in depopulatione ac vastatione Regionis, in eversione Civitatis ac Templi combustione, in divina ultione in Regem & Prophetas ob scelera, quæ fiebant in Templo, in exclusione omnis solatii; insuper repræsentat horrenda crimina judaicæ Gentis, quibus divinam in se iram provocaverat, totiusque comminatæ vastationis rationem & modum sub undecim adumbrat metaphoris: primò, sub metaphora vitis sterilis resectæ, & in ignem projectæ. Secundò, sub metaphora Adulteræ. Tertiò, sub metaphora Aquilæ grandis. Quartò, sub metaphora uvæ acerbæ, & aggrestis. Quintò, sub metaphora Leenæ & Leonis. Sextò, sub metaphora fal-

saltus & nemoris comburendi. Septimò, sub metaphora Gladii elimati. Octavò, sub metaphora scoriæ, stanni, ferri, & æris. Nono, sub metaphora duarum Meretricum. Decimò, sub metaphora lebetis pleni carnibus ad ignem appositi. Undecimò, sub metaphora rei desiderabilis sublatæ & plangi prohibitæ. Deniquè, prędicit Ezechiel futurum populi ex captivitate Babylonica reditum, Messiæ Regnum, vocationem Gentium, Ecclesiæ Christianæ ex hostibus victoriam, & Iudęorum reliquias ubique terrarum propter Christi crucifixionem dispersas ad Christum circà finem Mundi convertendas. Prophetia Ezechielis apud Hebræos, Græcos, & Latinos quadraginta & octo continet Capita, in quibus multa ad Christum spectantia extant vaticinia, sed pręcipuè cap.36. Baptismus, quem Christus instituere debebat, apertè designatur his verbis: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris, & dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis*. Et cap.37. *Et percutiam cum illis fœdus pacis, pactum sempiternum erit*. Ezechiel hujus operis initio genus suum indicat, locum & tempus, quo vaticinatus est. Cum Iechonia Rege Iuda in captivitatem Babylonicam abductus, ibi ad oram fluminis Chobar munus Prophetæ obire cæpit, & per viginti annos vaticinatus est, atque demùm ibi interfectus à Gentis suæ Principe, cùm eum, populumque ab Idolorum cultu revocare, & ad virtutem excitare contenderet, sicut ait Auctor, qui vitas Prophetarum scripsit sub nomine Epiphanii, quique ad ætatem suam superfuisse docet Ezechielis sepulchrum miraculis clarum, & magno Iudæorum concursu frequentatum.

Ana-

ANALYSIS
Prophetiæ Danielis.

PRęcipuus Danielis in hoc libro ſcopus eſt Chriſti Regnum deſcribere. Quamvis enim prioribus ſex Capitibus Hiſtoriam texat Regni Nabuchodonoſoris uſq; ad everſum per Medos & Perſas Babylonicum Imperium, multaque de quatuor Monarchiarum viciſſitudine narret, attamen ea, quam deſcribit Daniel, deſtructio quatuor Orbis Monarchiarum, putà Chaldęorum, deindè Medorum & Perſarum, poſtmodùm Alexandri Magni & Gręcorum, poſtremò Romanorum, eò videtur pertinere, ut intelligamus, omnia alia Regna & Imperia finem aliquandò habitura, ſolum verò Chriſti Regnum æternum fore, & nunquam periturum. Sic enim loquitur Daniel cap.2. *In diebus autem Regnorum illorum ſuſcitabit Deus Cæli Regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & Regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem & conſumet univerſa Regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum. Secundùm quod vidiſti, quòd de monte abſciſſus eſt lapis ſine manibus, & comminuet teſtam & ferrum &c.* Capite verò ſeptimò, ęternum Regnum illud filii hominis futurum luculenter prędicit his verbis: *Et ecce cum nubibus Cæli quaſi filius hominis veniebat, & uſque ad antiquum dierum pervenit, & dedit ei poteſtatem & honorem & Regnum: & omnes Populi, Tribus & linguæ ipſi ſervient, poteſtas ejus, poteſtas æterna, quæ non auferetur, & Regnum ejus non corrumpetur.* Item: *Cujus Regnum ſempiternum eſt, & omnes Reges ſervient ei & obedient.* Denique, cap.9. prędicit Daniel, univerſum genus humanum per Meſſiam liberatum iri à peccatis ſuis, & à poteſtate Diaboli poſt hebdomades ſeptuaginta, quæ ſummam annorum conficiunt 490. quam prophetiam Danielis de ſeptuaginta hebdomadibus, quibus Adventum, Vitam, & Mortem Meſſiæ circumſcribit, in Chriſto Servatore noſtro fuiſſe completam oſtendimus in Paragrapho 1. Differt. 15. Tractatus *de Myſteriis Chriſti.*

Qua-

Quapropter Prophetia Danielis tempus ipsum, quo venturus est Messias, Regnum, Vitam, & Mortem illius, urbis Hierosolymæ excidium tamquàm res jam gestas & non gerendas oculis subjicere videtur. Undè Porphyrius Ethnicus Scriptor, Danielem non tàm ventura dixisse, quàm prȩterita narrasse ajebat. Liber Danielis continet Capita xiv. in quorum xiii. describitur Historia castissimæ Susannæ, & in xiv. attexitur Historia Belis & Draconis, quas Historias non assutas esse, sed ad Scripturam Sacram pertinere in superiori Paragrapho ostendimus. Daniel ex semine Regio natus, cùm adhùc adolescens ac puer esset, Babylonem translatus est à Nabuchodonosore. Fuit aspectu decorus, mente humilis, corpore castus, perfectus in fide, egregius in opere, in virtute summus, in prodigiis clarus, insignis cognitor secretorum cæleſtium, prȩscius futurorum; continuis autem jejuniis & orationis assiduitate meruit futura prȩdicere Sacramenta, summâque fuit prȩditus sapientiâ, ut palàm colligitur ex judicio, quo perfidiam duorum Presbyterorum detexit ac condemnavit, & Susannam vindicavit ab iniqua impudicorum Senum accusatione.

Analysis
Prophetiæ Osee.

Propheta Osee, Dei jussu, fornicariam uxorem duxit, & ex ea filios procreavit, quorum primum appellavit *Semen Dei*; alteri indidit nomen, *absque misericordia*; tertius nuncupatus est, *non populus meus*. Quibus Osee filiis, & ipsis impositis nominibus, continuò quasi vivis imaginibus inculcabatur Israëlitis in Idololatriam prolapsis prȩsentissimum ipsorum excidium, tristeque repudium, sicut per uxorem fornicariam, cum qua matrimonium iniit Osee, designatur Synagoga, quam Deus tamquàm sponsam suam in adulterio, idest, in idololatria deprehensam, objurgare, punire, & repudiare decrevit. Hinc Propheta sub portento & sensibili illo signo prædixit futuram Israëlitarum excæcationem,

ipsosque à Deo repudiatos, multo tempore fore sine Deo, sine Templo, Altari, & Sacrificio; sine Lege, sine Sacerdotio, sine Regno & Rege. Ipsis ob oculos ponit summa beneficia, quæ à Deo acceperant, nimirùm possessionem terræ uberrimæ, eductionem & liberationem ab Ægyptiaca servitute, protectionem Jacob in sua peregrinatione; conservationem totius populi in deserto, eorumque post tot & tanta à Deo accepta beneficia maximam post hominum memoriam ingratitudinem redarguit & exprobrat. Deindè, prędicit Osee Gentium illuminationem ac finalem Judæorum conversionem, quos ad pœnitentiam adhortatur, & resipiscentibus veniam ac gloriam pollicetur. Propheta Osee fuit filius Beeri, ex Tribu Issachar, natus non in Oppido *Belemoth*, ut mendosè legitur in Pseudo-Epiphanio & Pseudo-Dorotheo, lib. de Vitis Prophetarum, sed in Oppido *Bethsames*, quod recensetur inter Urbes illius Tribus, cap. 19. lib. Josue, idque disertè asserit S. Hieronymus Comment. ad cap. 1. Osee. Inter Prophetas duodecim minores primum locum occupat, immò si habeatur ratio temporis, quo floruit Osee, primus omnium non solùm minorum Prophetarum, sed & quatuor majorum censendus est, quippè qui ætate illos omnes antecessit, primusque omnium futura prædicere aggressus est, Oziæ, Joathanis, Achazi, & Ezechiæ Regum Juda, Jeroboami verò, filii Joas Regis Israël temporibus. Ad summam vixit senectutem, nam eum per nonaginta annos Prophetæ munere functum esse affirmant Hebræi. Quatuordecim Capita complectitur prophetia Osee, in quorum tertio prędicit miserum statum, in quo nunc reperiuntur Judæi propter crucifixionem Christi repudiati à Deo, & per totum Orbem sine Rege & sine Principe dispersi: *Dies multos sedebunt filii Israël sine Rege & sine Principe, & sine Sacrificio, & sine Altari, & sine Ephod, & sine Theraphim*. Capite autem sexto, prędicit hic Propheta Resurrectionem Christi Domini, ejusque post mortem ad Inferos descensum ad liberandas animas justorum: *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & vivemus*

mus in conspectu ejus. Sciemus, sequemurque, ut cognoscamus Dominum: Quasi diluculum præparatus est egressus ejus, & veniet quasi imber nobis temporaneus & serotinus terræ.

Analisis
Prophetiæ Joelis.

Joelis prophetia duas in partes dividi potest. In prima, Joel prędicit judaicæ Regionis devastationem, Hierosolymæ excidium, & Populi captivitatem. Undè per Erucam, Locustam, Bruchum, & Rubiginem, tanquàm per quatuor Regnorum, seù etiam Chaldæorum eruptiones, vel, ut suspicatur eruditus *P. Paulus Pezron* Ord. Cisterc. Parisiensis Doctor, per incursiones Scytharum, qui ex Aquilone in Terram Sanctam irruperunt, vaticinatur Joel, Judæam fore atterendam, exhauriendam, excindendam, segetes, vineas, omnesque fructiferas arbores penitùs exterminandas. Quapropter Judæos adhortatur ad pœnitentiam, ad lamenta, ut hæc impendentia mala declinare, & à se amoliri possent. In altera parte, Joel consolatur Judæos, promittendo, Deum aliquando ad ipsos missurum Liberatorem, scilicet Christum, qui eos ab omni servitute & captivitate diabolica eximat, cujus misericordiam si spreverint, minatur divinam vindictam in finali judicio, cui omnes omninò gentes se se sistere debent in Valle Josaphat, districtè exercendam. Ex qua Tribu oriundus sit Propheta Joel, quo tempore, aut sub quibus Regibus prophetaverit? incertum est. S. Hieronymus, proœmio in Oseam, ait, Joelem fuisse æqualem, seù contemporaneum Prophetæ Osee. Probabilius est, Joelem post decem Tribuum captivitatem fuisse vaticinatum, tùm quia de Tribu tantùm Juda verba facere videtur, tùm quia capite tertio deportationem decem Tribuum, ut jam factam commemorat his verbis: *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in Vallem Josaphat, & disceptabo cum eis super populo meo, & hæreditate mea Israël, quos disperserunt in Nationi-*

 bus

bus. Undè cùm in prophetia Joelis altum sit de Israëlitico Regno silentium, signum est, Joelem dumtaxat vaticinatum fuisse post desolationem decem Tribuum & ante captivitatem Babylonicam. Tria Capita continet prophetia Joelis, in quorum secundo, nascentis Ecclesiæ primordia quasi oculis subjiciuntur, dum Deus dona Spiritus Sancti non raro, aut in paucos homines, ut antehàc, sed in omnes absque ullo sexus, vel conditionis discrimine effudit: *Et scietis, quia in medio Israël ego sum: & ego Dominus Deus vester, & non est ampliùs, & non confundetur populus meus in æternum. Et erit post hæc: Effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ ..... sed & super servos meos, & ancillas in diebus illis effundam spiritum meum.*

ANALYSIS
Prophetiæ Amosi.

PRophetia Amos in duas partes distribui potest. In prima, Propheta per rugitum Leonis figuratè designat excidium, ultionemque divinam contra finitima Regna Judæis infesta, videlicet contra Damascum, Gazam, Tyrum, Ammonitidem, & Moabitidem. In secunda parte, denunciat Propheta Judęis & Israëlitis futuras calamitates, clades, eversionem, & excidium, eosque de avaritia, de Idololatria, & de lascivia redarguit. His tamen impendentibus calamitatibus, adjungit Propheta ad consolandos Judæos Lęta de venturo Messia prænuncia, qui libertatem, pacem, omnemque prosperitatem, & quasi aureum sæculum erat in Orbem invecturus, & omnibus Nationibus salutem allaturus. Undè ait, cap.9. *In die illa suscitabo Tabernaculum David, quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum ejus, & ea, quæ corruerant, instaurabo: & reædificabo illud sicut in diebus antiquis, ut possideant reliquias Idumææ, & omnes Nationes, eo quòd invocatum sit nomen meum super eos, dicit Dominus faciens hæc*. Quod quidèm vaticinium completum fuit in Christo Domino, qui domum David instauravit, cùm in

in corpus Ecclesiæ, quam suo sanguine acquisivit, induxit non Israëlem modò, sed Nationes omnes. Amos se Pastorem Thecuitam temporibus Oziæ Regis Juda, & Jeroboam Regis Israël, biennio ante terræ motum, qui, ut ex veteribus Hebræis tradit Hieronymus, contigit anno 23. Oziæ, vaticinari cępisse narrat in exordio prophetiæ suæ. Thecue autem, ubi pastor & armentarius erat Amos, pagus erat in Tribu Juda sex milliarium spatio à Bethleem dissitus. Crebras Amoso, quòd Idolorum cultum summâ libertate carperet, ab impio Bethelis Sacerdote *Amasia* inflictas pœnas, mortemque ipsi ab Amasię filio, elisis clavâ temporibus, illatam, narrat Pseudo-Epiphanius in lib. de Vitis Prophetarum, & Martyrologium Romanum ad diem 31. Martii. Ejus prophetia IX. continet Capita.

Analysis
Prophetiæ Abdiæ.

Brevis & uno capite continetur prophetia Abdiæ contra Idumæos, quorum ultimam per Chaldæos devastationem prædicit Propheta propter culpam superbiæ, superstitiosæ scientiæ & inimicitiæ, quâ Judæos fratres suos opprimere volebant. Deindè, filiis Jacob, maximè Tribui Juda promittit gratiam perpetuam, terminorum dilatationem & Imperium tùm in Idumæos, tùm in omnes Gentes, quod utique contigit temporibus Machabæorum, sed multò magis eventurum pręnunciat temporibus Christi: *Erit*, inquit, vers. 17. *in monte Sion salvatio, & erit sanctus, & possidebit domus Jacob eos, qui se possederant, & erit domus Jacob ignis, & domus Joseph flamma, & domus Esau stipula, & succendetur in eis, & devorabunt eos, & non erunt reliquiæ domus Esau*, idest, Idumæorum, quibus Esau frater Jacob originem dedit. Hoc Abdiæ oraculum fuisse reverâ impletum in Christo Domino, qui Gentiles per Idumæos designatos eruit è potestate tenebrarum, & transtulit in Regnum Dei, docent SS. Patres Hieronymus, Augustinus, & Theodo-

doretus. Abdias, cujus ignorantur patria ac Tribus, fuit, juxtà S.Hieronymi calculum, coævus Oseę, Joeli, Amoso, & Isaiæ, & sub iisdem Regibus prophetiam suam edidit.

ANALYSIS
Prophetiæ Jonæ.

JOnas in sua prophetia describit primò se ipsum, ut à Deo ad Ninives subversionem nunciandam & infra 40. dies eventuram, missum, ut fugientem, & imperio Domini reluctantem, eamque ob causam in Mare projectum, ex utero Ceti stupendo miraculo prodeuntem, divino mandato tandem obtemperantem. Secundò, describit Regem & populum Ninives, ipso prædicante, pœnitentiam agentem, & à Deo veniam impetrantem, quod ægrè ferens Jonas, quia vaticinium suum adversùs Niniven videbat non impleri, mortem optat, sed à Domino corripitur, qui injustam ipsius indignationem convincit, quod putaret se rectè dolere de arefacta hedera, quamvis eam nec sevisset, nec coluisset. Indèque edoctus est, quàm immeritò doleret, quòd Deus Civitati maximæ pepercisset, in qua erant plusquàm centum viginti millia hominum, qui non peccaverant. Jonas fuit filius Amathi, natione Getheus, non verò Sareptanus, ut comminiscuntur Hebræi, qui eum Viduæ Sareptanæ filium fuisse opinantur; coævus fuit Oseę, Joeli, Amoso, Abdiæ, & Isaiæ, & sub Regibus Ozia, vel Azaria vaticinatus est. Hic Propheta fuit insignis typus Christi Salvatoris nostri, sicut ipse Christus asserit, Matth. cap. 12. *Sicut enim fuit Jonas in ventre Ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.* Hinc S.Hieronym. in epist. ad Paulinum ait: *Jonas Columba pulcherrima, naufragio suo Passionem Domini præfigurans, mundum ad pœnitentiam revocat, & sub nomine Ninive, Gentibus salutem nunciat.* Legi possunt super hac re idem Sanctus Pater, præfat. in Jonam, Sanctus Augustinus lib. 18. de Civitate Dei, cap. 30. & Sanctus Cyrillus Alexandrinus, præfat.

fat. Commentarii in Jonam. Prophetia Jonæ constat Capitibus quatuor.

Analysis
Prophetiæ Michęæ.

Michęas in Idololatriam, aliaque scelera Judæorum & Israëlitarum invehitur, undè utrisque denunciat excidium & captivitatem, his per Assyrios, illis per Chaldęos. Principum, qui plebem iniquis tributis, exactionibus, fraudibus, usuris opprimebant; Judicum, qui acceptis muneribus justitiæ leges violabant; Sacerdotum, qui lucro inhiabant; Prophetarum, qui sub cubitis peccatorum pulvillos consuebant, scelera redarguit, & propter illa delendam Hierosolymam prędicit. Deindè, Michęas lętum è Babylonia reditum per Cyrum Persarum Regem promittit, & lætiorem ex servitute peccati, mortis, & Diaboli per Christum liberationem, cujus Nativitatis tempus & locum declarat his verbis: *In novissimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & sublimis super colles, & fluent ad eum populi. Et prophetabunt gentes multæ, & dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob.... quia de Sion egredietur lex, & verbum Domini de Hierusalem. Et judicabit inter populos multos, & corripiet gentes fortes usque in longinquum, & concident gladios suos in vomeres, & hastas suas in ligones, non sumet gens adversùs gentem gladium, & non discent ultrà belligerare.* Hoc Michęæ oraculum, quod legitur capite quarto, fuisse impletum in Christo Domino, liquet ex his, quæ diximus in Paragrapho 2. Dissert. 7. Tractatus *de Mysteriis Christi*, ubi ostendimus, nascente Christo Templum Jani fuisse clausum, totumq; Orbem sub Imperatore Augusto summâ pace fuisse potitum. Alterum oraculum, quo Michęas locum designat ortus Christi, legitur cap. 5. his verbis conceptum: *Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israël, & egressus ejus ab initio,*

tio, à diebus æternitatis. Id in Christo, qui in Bethleem natus est, fuisse itidèm completum, evicimus Paragrapho mox laudato adversùs Judæos, & sinistras interpretationes, quibus hoc Michęæ oraculum ad Zerobabelem detorquere nitùntur, confutavimus. Michęas in viculo dicto, *Morasthi*, in Tribu Juda natus est, iisdemque fermè temporibus, cùm regnaret Joathan, Achas, & Ezechias, vaticinatus est contra Samariam & Hierusalem, idest, contra Regnum utrumque Israëliticum & Judaicum. Ejus Prophetia septem complectitur Capita.

ANALYSIS
Prophetiæ Nahum.

URbi Ninive & Ninivitis totiès relapsis extremum tandem prænuntiat Propheta excidium propter illius urbis malitiam, rapinas, maleficia &c. Undè describit Nabuchodonosorem Regiam Ninive Urbem obsidentem, obsessam capientem, captam deprędantem; Chaldæos deniquè ac Medos totum Assyriacum Imperium excindentes ac devastantes. Nahum Elcesi Galilęæ viculo in Tribu Simeon oriundus, regnante Ezechia floruit, non Joathami temporibus, ut visum est Josepho lib.9. Antiquit. Jud. cap.11. neque temporibus Manassis impiissimi Regis Juda, ut censent Hebræi in *Seder Olam.* Ejus Prophetia tria habet Capita.

ANALYSIS
Prophetiæ Habacuc.

COnquerenti Prophetæ, quòd pios Deus sineret ab impiis opprimi, atque viribus & potestate crescere Regnum Nabuchodonosoris Idololatrę pessimi, respondit Deus, se, postquàm per Chaldæos punierit Judæos, illicò etiam illos perditurum, tùm propter irreverentiam, quâ Balthasar Chaldæorum Rex vasa divino cultui consecrata usibus humanis impiè destinaverat, tùm propter Chaldæorum, eorum-

rumque Regum ebrietatem, crapulam, violentiam, cædes, homicidia, Idololatriam. Undè multiplex *væ* intentat Propheta Nabuchodonosori, frustràque illum se in Belo docet confidere, aut in virtute cujuscumque Idoli. Denique, suam prophetiam concludit Carmine Eucharistico, seù Cantico Gratiarum Actionis, quo summam Dei misericordiam in missione Messiæ Redemptoris commendat capite 3. dicens: *Domine opus tuum in medio annorum vivifica illud. In medio annorum notum facies: Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis..... Egressus es in salutem populi tui: in salutem cum Christo tuo.* Et vers. 18. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jesu meo.* Messiam propediem venturum vaticinatur hic Propheta his verbis capitis 2. *Quia adhùc visus est procùl, & apparebit in finem, & non mentietur, si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Habacuc, regnante in Juda Manasse, cujus impietatem & flagitia non obscurè perstringit cap. 1. vers. 4. Suam edidit Prophetiam, quæ tribus Capitibus absolvitur.

Analysis
Prophetiæ Sophoniæ.

Hortatur hic Propheta Judęos, ut extirpatâ Idololatriâ, aliisque relictis vitiis & sceleribus, resipiscant, & ad pœnitentiam, verumque Dei cultum redeant, quod si facere detrectent, inevitabile excidium eis per Nabuchodonosorem executioni mandandum prædicit; perindè ac Philistæis, Moabitis, Ammonitis, Æthiopibus, & Assyriis. Deinde, Hierosolymę accusat scelera omnia, videlicet rapinas Principum, injustitiam Judicum, mendacia Pseudo Prophetarum, impietatem Sacerdotum, & stultitiam Judæorum, qui tùm Ninivitarum, tùm aliarum gentium ob sua scelera jam excisarum exemplo nec sapientiores, nec meliores evaserint. Denique, consolatur Judæos, prænuncians illorum omnium sub finem Mundi futuram conversionem, & multorum ex illis in adventu Christi ad fidem vocationem. Sic

enim loquitur cap.3. *Lauda filia Sion, jubila Israël, lætare & exulta in omni corde filia Hierusalem. Abstulit Dominus judicium tuum, avertit inimicos tuos: Rex Israël Dominus in medio tui, non timebis malum ultrà. In die illa dicetur Hierusalem: Noli timere: Sion, non dissolvantur manus tuæ. Dominus Deus in medio tui fortis, ipse salvabit: Gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione sua, exultabit super te in laude &c.* Sophonias è Stirpe Regia ortus, filius Chusi, prophetavit temporibus Josiæ Regis Juda. Ejus Prophetia tria continet Capita.

ANALYSIS
Prophetiæ Aggæi.

AGgæus frivolas Judæorum excusationes de fabrica Templi diutiùs procrastinanda elidit, eosque increpat, quòd neglectâ domus Dei instauratione, proprias domos sollicitè curarent, quam ob causam Deum illis sterilitatem, famem & inopiam immisisse significat. Ipsos ad sacrum opus sub Cyro Persarum Rege cęptum, eoq; per Bella occupato, & Cambyse ejus filio circumvento intermissum, tandem perficiendum adhortatur; quâ Prophetæ adhortatione & prædicatione Zorobabel Ethnarcha è Davidis stirpe,& Jesus Josedec Sacerdos maximus, ac reliqui de populo permoti manum operi admovent, & ad illud absolvendum se se certatim accingunt. Deniquè, Propheta Zorobabeli fabricam Templi resumenti spondet, Christum, seù Messiam ex ejus stirpe nasciturum, & Templum ab eo constructum, etsi amplitudine, ornatu & decore inferius esset Salomonico Templo, illo tamen celebrius ac illustrius fore propter præsentiam venturi Messiæ, qui illud doctrinâ & miraculis splendidius & ornatius, quàm fuerat Salomonis Templum, efficere debebat. Sic enim Propheta capite 2. inducit Deum loquentem: *Quia hæc dicit Dominus Exercituum: Adhùc unum modicum est, & ego commovebo Cælum & Terram, Mare & aridam, & movebo omnes gentes: & veniet deside-*

ra-

ratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloriâ: dicit Dominus Exercituum. Meum est argentum & meum est aurum, dicit Dominus Exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimæ plusquàm primæ, dicit Dominus Exercituum: & in loco isto dabo pacem. Hoc vaticinium fuit impletum in Christo Servatore nostro, ipse quippè est desideratus Gentibus, quem Patriarcha Jacob futurum, *expectationem Gentium*, prædixit, Gen. cap.49. Christus huic secundo Templo majorem gloriam conciliavit in ipso docens, quia est Rex Regum, & Salomone major. Deniquè, Deus in hoc secundo Templo pacem dedit per Christum, qui in sacris litteris vocatur *Princeps pacis*, & *pax nostra*. Quis fuerit ille Darius, cujus animum ita flexit Deus, ut Templi fabricam non tantum permitteret, sed ex edicto suo promoveret, jubens ex tributis regiis præberi sumptus ad structuram & sacrificia necessarios? non convenit inter Scripturæ Sacræ Interpretes. Ipse eorum facilius subscribo sententiæ, qui asserunt, hunc Darium non alium fuisse quàm Histaspis filium, qui, ut superiùs diximus, fuit Estheris maritus, quique in Judæos, ut liquidò ex Historia Estheris apparet, fuit propensissimus & de illis benè meritus. Anno itaque secundo Darii Histaspis filii Aggæus spiritu prophetico donatus, vaticinatus est post captivitatem Babylonicam, ut ipsemet declarat initio suæ Prophetiæ, quæ duobus continetur Capitibus.

Analysis
Prophetiæ Zachariæ.

Zacharias filius Barachiæ, filii Addo, prophetavit post captivitatem Babylonicam, & ideo hortatur Judæos, sicut Propheta Aggæus, ad Templi Hierosolymitani instaurationem, illos exemplo majorum, qui ob flagitia sua vehementer à Deo puniri fuerant, deterret ab Idololatria & aliis criminibus. Deindè, visiones sibi objectas exponens, sub figuris quatuor Quadrigarum & quatuor ventorum, prædicit quatuor Monarchiarum, quas Daniel prospexerat, per con-

sequentes ætates successiones, quæ desinent in Regnum Christi, cujus Vitam & Passionem instar Evangelistæ describit; nam cap.9. hæc habet: *Exulta satis filia Sion, jubila filia Hierusalem: Ecce Rex tuus veniet, tibi justus & Salvator; ipse pauper ascendens super asinam & super pullum filium asinæ &c.* Quod certè vaticinium nulli alteri aptari potest, nisi uni Christo. Ille quippè sedit super asinam, cùm triumphantis more, sed in habitu pauperis Hierosolymam ingressus est. Ad Christum quoque spectat aliud vaticinium, quod legitur in eodem capite: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos de lacu, in quo non est aqua*; nam Christus post mortem descendit ad Inferos, ubi Sancti Patres tenebantur conclusi, donec per Passionem Christi reserato Cælo unà cum eo in Cælum conscenderent. Rursùs cap. 11. ait: *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos, & dixit Dominus ad me: Projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis, & tuli triginta argenteos, & projeci illos in domum Domini ad statuarium.* Quæ omnia in Christo impleta sunt, ita ut Historia potiùs quàm vaticinium esse videatur, sicut Matt.c.27. conceptis verbis legitur. Clarius etiam Propheta cap.seq. crucifixionem Christi exprimit his verbis: *Et aspicient ad me, quem confixerunt, & plangent eum planctu quasi super Unigenitum, & dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.* Quæ Prophetia, ut constat ex Sacris Evangelistis, ad Christum pertinet in Cruce clavis confixum, & lanceâ pertusum. Denique, Propheta Zacharias prædicit ultionem divinam in Chaldæos & cæteras gentes, quæ Judæos afflixerant, eversionem Imperii Chaldæorum à Græcis, & Græcorum Monarchiæ à Romanis. Quatuordecim Capita continet illius Prophetia.

ANALYSIS
Prophetiæ Malachiæ.

MAlachias, jam instaurato per Zorobabelem Templo Hierosolymitano, & florente iterum Judæorum Republicâ, prophetavit. Et in primis, omnes Judæos ingratitudi-

tudinis insimulat, quòd Deum, post reditum è captivitate Babylonica & instaurationem Urbis & Templi, tanquàm tot bonorum auctorem, eosque tenerrimo prosequentem amore minimè redamarent. Deindè, Propheta arguit Sacerdotum negligentiam, socordiam & impietatem; minatur ipsis egestatem, maledictionem & infamiam; quia sacrificia, quæ ab his Sacerdotibus offerebantur, Deo non placebant, sed ipsi erant fastidio & odio. Quare Propheta aliud sacrificium longè excellentius Deo oblatum iri prædicit, cap. 1. vers. 10. & 11. his verbis: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus Exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis usq; ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus Exercituum.* Quo vaticinio designari incruentum novi Fœderis sacrificium Corporis & Sanguinis Christi, quod, *Missam*, appellare Ecclesiæ usus obtinuit, quodque ubique locorum & gentium totâ, quà latè patet, Ecclesiâ offertur, concors est omnium Sanctorum Patrum sententia. Hoc quippè incruentum Sacrificium verè est oblatio munda & accepta Deo, cùm sit Deus ipse, qui Deo offertur, & idem Sanguis, qui effusus est in redemptionem totius generis humani. Deniquè, Malachias duplicem prædicit adventum Messiæ. Circà primum adventum prænunciat, Joannem fore Præcursorem Salvatoris, qui statim Templum præsentiâ suâ condecorabit. Sic enim loquitur cap. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad Templum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus Testamenti, quem vos vultis: & quis poterit cogitare diem adventus ejus, & quis stabit ad videndum eum?* Hoc vaticinium de se & Joanne Baptista interpretatur Christus, Matth. cap. 11. dicens: *Hic est*, idest, Joannes Baptista, *de quo scriptum est*: *Ecce ego mitto Angelum meum &c.* Dominator autem, quem Judæi expectabant, est Christus Dominus, qui & Angelus quoque Testamenti appellatur. Est quippè magni Consilii Angelus & Nuncius, qui

qui à Deo Patre missus est, ut cum hominibus novum sanciret Fœdus, illudque sempiternum. Circà secundum adventum Messiæ, in quo Christus veniet judicaturus omnes omninò homines, describit Malachias diem illam judicii ut impiis terribilem, sed piis & fidelibus utilem ac jucundam. Prænunciat etiam, Eliam fore Præcursorem secundi adventus Christi Domini. Hæc Prophetia Malachiæ quatuor est comprehensa Capitibus.

Mitto hìc consultò Analysim libri Psalmorum, in quo benè multa de Ortu, Vita, Doctrina, Miraculis, Morte, Resurrectione & Ascensione Christi Domini extant vaticinia, quia ea, quæ dixi in Paragr.3. diluendo objectiones, quę contra hunc librum proponi solent, Theologiæ candidatis, quos in hoc opere Scripturæ Sacræ notitiâ imbuere ac informare in votis habeo, abundè sufficere videntur. Quapropter huic Secundæ Parti coronidem impono, & ad ultimam transitum facio.



TER-

TERTIA PARS,

In qua tractatur de Libris sacris novi Testamenti, & diluuntur omnes Objectiones, queis ab Hæreticis eorum impetitur Auctoritas.

HAnc postremam Partem quatuor absolvam Paragraphis. In primo, agam de divina Auctoritate quatuor Evangeliorum. In altero differam de sacris Libris & Epistolis novi Testamenti, quibus auctoritatem detrahunt Hæretici. In tertio, Analysim exhibebo, seù brevem narrationem rerum, quæ in sacris Libris, & in novi Testamenti Epistolis continentur. In ultimo, opera, quæ Apostolis falsò sunt adscripta, ad Apocryphorum classem esse ableganda commonstrabo.

PARAGRAPHUS PRIMUS

De divina Auctoritate quatuor Evangeliorum.

QUæ Prophetæ futura prædixerunt, hæc facta nunc & impleta in quatuor Evangeliis & in novi Fœderis Libris apertè legimus. Quò fit, ut novum Testamentum in veteri, & vetus in novo penè contineatur. Ordior autem à quatuor Evangeliis, quæ nec plura, nec pauciora, perpetuâ, sibique semper constanti traditione agnovit, & venerata est Ecclesia. Varia quidèm in Ecclesiæ primordiis sub speciosis Apostolorum nominibus evulgata fuerunt Evangelia, videlicet Evangelium secundùm Petrum, secundùm Paulum, secundùm Andream, secundùm Philippum, secundùm Thomam, Matthiam, Bartholomæum, Barnabam, Nicodemum. Evangelium duodecim Apostolorum, Evangelium Basilidis, Appellis, Tatiani, seù Encratitarum, Ebio-

Ebionitarum, Nazaræorum, Ægyptiorum, Proto Evangelium Jacobi & Evangelium Nicodemi. Hæc autem Evangelia falsò Apostolorum nominibus inscripta non esse genuina, sed subditidia, hinc facilè colligitur, quòd Ecclesia toto Orbe dispersa, & succedentium temporum Sancti Patres prædicta Evangelia sua auctoritate non firmarunt, nec eis consensum præbuerunt, sed potiùs eorum falsitatem & fabulas, quibus scatent, prodiderunt. E' contrario, quatuor Evangelia, quæ nunc habemus, Matthæi videlicet, Marci, Lucæ & Joannis, Ecclesia ab ipsis Apostolorum temporibus, & Sancti Patres Clemens Romanus Pontifex, Ignatius Martyr, Polycarpus, Papias, Justinus Martyr, Irenæus, Athenagoras, & alii Apostolorum ævo, vel coævi, vel proximi hæc quatuor Evangelia tanquàm vera & genuina Apostolorum opera laudant, & ex iis promunt testimonia. Cùm igitur omnia Evangelia, quæ supposuerunt, & falsò Apostolis affinxerunt Hæretici, deleverit dies & quatuor dumtaxat Evangeliis inviolabili sæculorum serie Ecclesia divinam asseruerit auctoritatem, eidemque tramiti, quem ab initio tenuit, constanter etiamnùm insistere perseveret, certissimè affirmare debemus, hæc quatuor Evangelia à Sacris Evangelistis fuisse conscripta. Nam, ut solidè probat Illustrissimus Abrincensis Episcopus Axiomate primo suæ Demonstrationis Evangelicæ, omnis liber est genuinus, qui genuinus habitus est ab omnibus proximè & continuata serie sequentibus eum ætatibus. Hinc S. Augustinus lib. 33. contra Faustum cap. 6. eodem argumento, quo ex proximè consequentium ætatum, aliarumque iis succedentium constanti testimonio probatur aliquem librum esse genuinum, utitur ad refellendum hunc Hæreticum Manichæum, qui adulteratos esse novi Testamenti libros effutiebat. Sic enim loquitur Aquilinus ille Doctor: *Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque ejusmodi Auctorum libros, undè noverunt homines, quòd ipsorum sint, nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua?* Cùr autem Deus quatuor dumtaxat voluerit esse Evangelia? hanc rationem S. Augusti-

ftinus in lib. de consensu Evang. affert: *Quemadmodùm*, inquit, *sunt quatuor Orbis partes, ita quatuor Deus voluit esse Evangelia, ex quibus totus Orbis spiritualis constaret.* Circà hæc quatuor Evangelia, quorum auctoritas extrà omnem dubitationis aleam posita est, & de quibus nullum unquàm fuit in Ecclesia dissidium, duo hoc in Paragrapho breviter conficiam. Primò, ostendam quo tempore, quove idiomate scripta fuerint Evangelia. Deindè, diluam objectiones, quæ vulgò proponi solent, aut saltèm, nè longior sim, obiter ea indicabo loca Tractatus, quem edidi, *de Mysteriis & Annis Christi*, in quibus plenissimè ejusmodi difficultatibus feci satis. Auspicor igitur ab Evangelio Sancti Matthæi.

De Evangelio S.Matthæi.

Sanctus Matthæus primus omnium scripsit Evangelium paucis elapsis annis post Christi Domini Ascensionem, & antequàm Apostoli ab Hierosolyma discederent, & in varias dispergerentur Regiones. Hinc probabilius est, Sanctum Matthæum linguâ hebraicâ suum scripsisse Evangelium, idest, eo sermone, quò tùm Judæi utebantur, qui ex hebræo & syriaco permixtus erat. Nam cùm S.Matthęus suum ediderit Evangelium ad confirmandos & illustrandos Judæos, qui ad fidem Christi erant conversi, credibile sanè est, Matthęum non alio, quàm Judæis tùm temporis familiari sermone scribere voluisse. In hoc veteres Patres penè omnes consentiunt. Testatur etiam Eusebius lib.5. Hist. Ecclesiast. cap. 10. Pantænum Philosophum Christianum secundo exeunte sæculo Evangelium Matthæi hebraicè scriptum à S.Bartholomæo in Indiis relictum reperisse.

Non me latet, Cajetanum in prologo ad Matthæum, unà cum Erasmo, in contrariam abjisse sententiam, eumque asserere, Matthæi Evangelium non hebraice, sed græce fuisse ab illo conscriptum, quia, inquit, nomina hebraica græcè interpretatur Matthæus, quod prorsùs inutile ac superva-

caneum fuisset, si Matthęus hebraicè scripsisset ad Hebræos, qui vim & nativam Hebræorum vocabulorum significationem apprimè intelligebant, & ad ea explicanda nulla interpretatione opus habebant; sic, verbi gratiâ, Matthęus cap. 1. *Vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur, nobiscum Deus*. Cap. 27. *Clamavit Jesus dicens: Eli, Eli Lammasabactani, hoc est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Quæ interpretationes, si Matthæus reverà hebraicè ad Hebręos scripsisset, obscuriores essent ipso Textu. Hoc est Cardinalis Cajetani fundamentum, quod tamen infirmum ac caducum est. Nam si quid roboris haberet, probaret itidem, Libros Genesis & Exodi non fuisse hebraicè conscriptos, quia latinus Interpres nonnulla vocabula hebraica identidem in illis libris interpretatur. Sic Genesis cap. 31. vers. 49. *Galaad, idest, tumulus testis*. Gen. cap. 35. vers. 18. *Benoni, idest, filius doloris mei*. Et vers. 19. *Beniamin, idest, filius dexteræ*. Et Exodi cap. 12. vers. 11. *Phase, idest, transitus Domini*. Et cap. 16. vers. 15. *Manhu, quod significat, quid est hoc?* Sicut igitur nullus propter ejusmodi hebræorum vocabulorum interpretationes negavit unquàm, libros Genesis & Exodi fuisse hebraicè conscriptos, ita propter Hebręorum nominum interpretationes, quas ad faciliorem Mysterii latentis intelligentiam inseruit vulgatus Interpres in Evangelio Matthęi, negari haud potest, S. Matthęum hæbraicè suum scripsisse Evangelium. Plura legi possunt apud Richardum Simonium in Historia Crit. novi Testam. cap. 10.

Supersunt diluendæ objectiones, quas Manichæi, quorum agmen ducebat Faustus, olim proponebant contra Evangelium S. Matthæi, & quos recentiores Hęretici Anabaptistæ instar crambis recoctæ obtrudunt.

Primò, objiciebant Manichæi, ex Genealogia Christi, quam texuit S. Matthæus, probari non posse, Christum esse filium Davidis, quia illa Christi Genealogia tota devolvitur ad Josephum, qui fuit ex Davidis Regis Prosapia oriundus; ex quo tamen non sequitur, Christum ex Davidis stirpe prodi-

diisse, quia dogma fidei est, Christum ex semine Josephi non fuisse procreatum, sed Spiritus Sancti operatione in utero Virginis esse conceptum. Prætereà, contendebant Manichæi, Mariam Matrem Christi Domini genus suum duxisse ex stirpe Aaron & ex Tribus Levi, quia Lucæ cap. 1. Maria Virgo dicitur Cognata Elisabeth de filiabus Aaron. Ergò Christus non est ortus, juxtà ipsius Genealogiam, quam texuit Sanctus Matthæus, ex stirpe David & ex Tribu Juda.

Verùm hæc duo argumenta, quæ Manichæi adversùs Evangelii Matthæi veritatem objiciebant, jam abundè soluta manent ex his, quæ à me dicta sunt in Dissertat. tertia, Tractatus *de Mysteriis & Annis Christi*, ubi latè ostendi primò, Matthæum texuisse Genealogiam Christi per Josephum, quia Josephus proximo agnationis gradu erat cum Maria conjunctus & ex eadem Tribu Juda & familiâ David oriundus, ex quo planissime consequitur, Christum filium Mariæ Virginis ex Tribu Juda & ex stirpe David suam originem traxisse. Secundò, exposui, quì factum sit, ut Maria Mater Christi, quæ ex Tribu Juda, & ex progenie David suum genus ducebat, fuerit tamen Cognata Elisabeth, ibidemque falsi convici spuriam traditionem, quâ Manichæi probare se posse autumabant, Joachimum Patrem Mariæ Virginis prodiisse ex Tribu Levi. Quapropter, nè actum agere videar,in his Manichæorum refellendis agumentis diutiùs hìc non immorabor.

Sunt etiam alia argumenta, quibus Manichæi Evangelium Matthæi oppugnabant, quæ sat erit hìc obiter indicare, quia his in Tractatu *de Mysteriis & Annis Christi* cumulatissimè feci satis. Hæc autem Manichæorum argumenta, quæ innovarunt recentiores Hæretici Anabaptistæ, ad sex potissimùm revocari possunt. Primum istud est: imprudenter Matthæus Christi Genealogiam è Tribu Juda & stirpe David ex Jechonia per Salathielem deducit, faciens Salathielem Iechoniæ filium & Zerobabelis patrem, cùm tamen Jeremiæ cap. 22. Iechonias dicatur sterilis. Alterum argu-

mentum hoc est: Matthæus, à Luca in texenda Genealogia Christi discordat. Quandò quidèm Lucas à Davide usque ad Christum 43. enumerat generationes, Matthæus verò viginti octo ad summum recenset generationes. Tertium argumentum in hoc consistit, quòd Matthæus Genealogiam Christi deducat ex Avis, Proavis, Atavisque diversis ab his, quos ipsi assignat Evangelista Lucas. Nam Matthæus Josephum facit filium Jacob, nepotem Mathan ex stirpe Davidis per Salomonem propagatum. Ast Lucas Josephum facit filium Heli, nepotem Mathat ex stirpe Davidis per Nathanem deductâ. Quartum argumentum petitur ex antilogia, quâ Matthæus se ipsum in texenda Genealogia Christi implicare videtur; nam cùm ab Abrahamo ad Christum tres generationum Tessaredecades esse dicat, & in unaquaque earum quatuordecim generationes se inseruisse affirmet, in ultima tamen Tessaredecade non quatuordecim, sed tredecim tantùm collocat generationes, quòdque gravius est, tres omittit generationes, dùm scribit Joram genuisse Osiam, cùm tamen constet, Joram genuisse Ochosiam, Ochosiam genuisse Joasum, Joasum genuisse Amasiam, & Amasiam genuisse Osiam, ac proindè Osiam quarto gradu distare à Joramo. Quatuor illa argumenta, quæ contra Christi Domini Genealogiam à S. Mattheo contextam proponebant Manichæi, singillatim expendi & dissolvi in Dissertatione quarta Tractatus *de Mysteriis & Annis Christi*, in qua conciliavi apparentem antilogiam, quæ videtur esse Matthęum inter & Lucam circà Genealogiam, quam texunt, Christi Servatoris nostri. Ad hanc igitur Dissertationem, ut brevitati studeam, Lectorem remitto. Poterit etiam Lector, si consulat Dissertationem octavam ejusdem Tractatus, facilè negotio diluere quintum argumentum, quo olim utebantur Manichæi, & etiamnùm utuntur Anabaptistæ ad impugnandum S. Matthæi Evangelium, dicentes: Historiam, quam refert sacer ille Evangelista, Magorum venientium ad Christi cunas cum muneribus, apparitionis Stellæ, & cædis Infantium ab Herode perpetratę falsam esse, quia nullus Evange-

geliftarum, præter Matthæum, illius Hiftoriæ meminit; immò Jofephus Hebræus, qui in recenfendis fævitiis Herodis Regis poft homines natos crudeliffimi fuit diligentiffimus, nihil ufpiam de hac Stellæ apparitione, de celebri Magorum in Judæam adventu, de hac Puerorum ftrage ab Herode edita fcripfit. Hoc, inquam, Manichæorum argumentum, quod etiam plenis buccis decantant Anabaptiftæ, Lector in laudata mox Differtatione pleniffimè folutum inveniet. Deniquè, fextum argumentum, quo Manichæi putabant fe Evangelii S. Matthæi auctoritatem labefactare poffe, defumitur ex quibufdam teftimoniis, quæ S. Matthęus citat tanquàm à Prophetis dicta, & quorum tamen in ipforum fcriptis ne vola quidèm ac veftigium apparet; ficut, verbi gratiâ, Matthæus capite fecundo citat hæc verba: *Quoniam Nazaræus vocabitur*, quæ tamen in nullo Prophetarum libro extant. Et cap. 27. idem Evangelifta loquens de agro 30. argenteis à Juda proditore relatis empto, ait: *Tunc impletum eft quod dictum eft per Hieremiam Prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiaverunt à filiis Ifraël, & dederunt eos in agrum figuli, ficut conftituit mihi Deus*. Quod tamen vaticinium non legitur in Hieremia, fed in Zacharia cap. 11. Verùm quàm debile ac infirmum fit iftud Manichæorum argumentum fat fuperque jam oftendi in refponfione ad tertiam objectionem Paragraphi quarti primæ Partis hujufce Libri, ubi datâ operâ facio fatis objectionibus contra infpirationem Librorum facrorum. Hunc igitur locum adeat, fi velit, Lector, cui nolo iteratis repetitionibus tędium ac faftidium ingerere.

Pręter hæc argumenta, alia nonnulla, fed levioris momenti, congerebat Fauftus hæreticus Manichæus, quæ hìc cum S. Auguftino breviter diluemus. In primis, Fauftus Genealogiam Chrifti, quæ legitur cap. 1. Evangelii S. Matthæi, rejiciendam effe pertendebat, quia in ea ufque ad baptifmum Chrifti & apertionem Cælorum & vocem Patris, quæ audita eft, nunquam dicitur, Chriftum effe filium Dei, fed tan-

tantùm esse filium hominis dicitur, quod sanè purum putumque Ebionitarum errorem sapere videtur. Sed respondet Sanctus Augustinus lib. 23. contra Faustum cap.5. hanc esse putidam illius Hæretici calumniam; nam Matthæus, postquàm texuit Genealogiam Christi Servatoris nostri, confestim subdit, eum, quem filium David nuncupat, de Spiritu Sancto esse conceptum, & in eo impletum esse vaticinium Isaiæ cap.7. dicentis: *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus.*

Instabat Faustus: nusquàm in toto Evangelio legitur, Christum dixisse se habere Patrem aut Matrem in terris; immò sæpiùs Christus dicit: quòd non esset de hoc Mundo, quòd à patre processerit, quòd neque mater aut frater sibi sit, nisi ille, qui facit voluntatem patris ejus, qui in Cęlis est. Igitur quid quid in Evangelio, quod adscribitur Matthæo, legitur de Genealogia Christi, non pertinet ad Evangelium, nec divinâ pollet auctoritate, sed potiùs *Genisidium* dici debet: *Evangelium quidèm cæpit à prædicatione Christi, & esse cæpit & nominari, in quo tamen ipse nusquàm se natum ex hominibus dicit. At verò Genealogia adeò non est Evangelium, ut nec ipse ejus Scriptor ausus fuerit eam Evangelium nominare. Quid enim scripsit: Liber Generationis Jesu Christi filii David. Non ergò liber Evangelii Jesu Christi, sed liber Generationis: Quippè ibi Stella inducitur, quæ confirmat Genesim, ut rectè Genisidium hoc magis nuncupari possit quàm Evangelium.* Verba sunt Fausti apud S.Augustinum lib.2. cap.1. adversùs eumdem Hæreticum. Idque totum Faustus hoc argumento confirmabat: Matthæus & alii Apostoli ac Evangelistæ dumtaxat Christum Dominum in carne viderunt & ea, quæ gessit, cùm esset Christus annorum triginta: Ergò non potuit S.Matthæus certò narrare Christi Genealogiam, sicut nec cæcus quæ non vidit, aut surdus quæ non audivit.

Sed hæc Fausti hæretici argutiæ futiles sunt atque omninò ineptæ; nam, ut optimè ait S.Augustinus lib.7. contra Fau-

Faustum cap.2. quandò Christus plurimis locis insinuat se in terris non habere patrem, aut matrem, aut consanguineos, id intelligendum est eodem prorsùs modo, quo ipsemet Christus suos edocens Discipulos, dicebat: *Nè vobis dicatis patrem in terra, unus enim est pater vester Deus*. Nimirùm Christus non matrem, aut consanguineos, quantùm ad humanitatem suam, unquàm negavit, sed eos, qui etiam carnaliter nos genuerunt, omnemque generis necessitudinem propter Regnum Cælorum contemnere nos debere suo exemplo docuit. Undè apposite S.Hieronymus ait in epistola ad Heliodorum: *Per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, ad vexillum Crucis evola. Summum genus pietatis est in hac re fuisse crudelem*. Quamvis autem S.Matthæus suum non inchoaverit Evangelium his verbis: *Liber Evangelii*, sed istis: *Liber Generationis*, seù Genesis, non sequitur quòd debeat dici *Genisidium*, & ad Evangelium non pertineat, sicut quamvis S.Joannes primum sui Evangelii caput his verbis non inceperit: *Evangelium Jesu Christi*, sed istis: *In principio erat Verbum &c.* non sequitur tamen, primum istud S.Joannis caput non pertinere ad Evangelium, aut illud appellari debere *Verbi-dium*. Ita Fausto respondet S.Augustinus lib. 2. quem adversùs hunc Hæreticum edidit cap.6. Sanè Generationem Christi secundùm carnem ex semine David ad Evangelium pertinere, apertè docet S.Paulus 2. ad Timoth. cap. 2. *Memor esto, Christum resurrexisse à mortuis ex semine David, secundùm Evangelium meum*, idque liquidò patet ex notione Evangelii, quod *bonum nuntium* significat. Quis autem inficias ire potest, Generationem Christi, per quam ejus declaratur Incarnatio, bonum, faustumque nuntium toti Orbi attulisse? Deniquè, licèt Matthæus, Apostoli & Evangelistæ Christum nascentem haùd viderint, sed ei annos triginta nato corporaliter adhęrere cęperint, potuit tamen Matthæus peculiari Spiritus Sancti instinctu omnes circumstantias ortus & generationis Christi nosse, non secùs ac S.Joannes divinam Christi generationem, quam certè non viderat, ipso tamen fatente Fausto Manichæo,

chæo, cognovit, dùm in fronte sui Evangelii scripsit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum &c.* Potuit etiam Matthæus in tàm recenti natalis Christi memoria, genus ipsius secundùm carnem, totamque originem certò compertam habere. Plura legi possunt apud S. Augustinum lib. 7. contra Faustum cap. 2.

De Evangelio S. Marci.

MArcum, jussu S. Petri Apostolorum Principis, cui se se Comitem, Discipulum ac Interpretem dederat, græcè suum Evangelium, dùm unà cum ipso Romæ degeret, scripsisse ante annum 49. æræ christianæ, probabilior est sententia. Erant quippe Romæ plurimi Judæi, qui sermonis latini ignari, diuturnâ per Asiam & Græciam habitatione græcam linguam didicerant, & fermè omnes Romani id ætatis linguam græcam callebant, ita ut infimæ etiam sortis mulieres græce loquerentur, teste Juvenali Satyrâ VI. accedit auctoritas S. Hieronymi in epist. 123. ad Damasum, & S. Augustini lib. 1. de Consensu Evang. cap. 1. qui disertè asserunt, S. Marcum græcè suum Evangelium confecisse. Ex iis autem, quæ à S. Petro audierat S. Marcus, Evangelium hoc conflatum esse tradit S. Irenæus Lugdunensis Episcopus, *quod*, teste S. Hieronymo in catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, *cùm Petrus audisset, probavit & Ecclesiæ legendum suà auctoritate dedit, sicut Clemens in sexto Hipothyposeon libro scribit.* Postremum caput Evangelii secundùm Marcum quibusdam olim, ut observat S. Hieron. qu. 3. ad Hedib. & lib. 2. advers. Pelagianos, suspectum & assutum visum est. Sic enim loquitur S. Doct. advers. Pelagian. *In quibusdam exemplaribus, & maximè in Græcis Codicibus, juxtà Marcum in fine ejus Evangelii scribitur: Posteà cùm accubuissent undecim, apparuit eis Jesus, & exprobravit incredulitatem & duritiam cordis eorum, quia his, qui viderant eum resurgentem, non crediderunt, & illi satisfaciebant dicentes: Sæculum istud iniquitatis & incredulitatis substantia est, quæ non sinit per immundos Spiritus veram Dei apprehendi virtutem:*

tem: *idcircò jam nunc revela justitiam tuam &c. Quod quidèm additamentum, quia Manichæorum dogma redoleat, ab omnibus tàm græcis, quàm latinis Exemplaribus meritò resectum ac rejectum est*. Ex quibus verbis S.Doctoris colligitur, hoc ultimum S.Marci caput, in quo Christi Resurrectionis Historia describitur, à quibusdam fuisse rejectum, eo quòd ab Hæreticis fuisset interpolatum hac laciniâ, quæ incipit ab his verbis: *Et illi satisfaciebant dicentes &c.* & terminatur in istis: *jam nunc revela justitiam tuam*. Quæ certè lacinia, cùm Manichæorum hæresim redoleat, meritò à Patribus græcis fuit resecta. Cæterùm caput istud ultimum S.Marci, ut nunc est, & legitur in Editione vulgata, & in Versionibus Arabica & Syriaca, ab his additamentis purum, tanquàm legitimum & canonicum agnoscunt omnes. Undè in eo vindicando prolixiorem operam insumere necesse non est. Legi potest Richardus Simonius in Hist.Crit. novi Testam. cap.11.

Ebionitæ & Marcionitæ Hæretici integrum S. Marci Evangelium rejiciebant, ut videre est apud nostrum Sixtum Senensem lib.7. Biblioth. Hæresi 3. recentiores verò Hæretici Anabaptistæ illud in multis locis vitiatum & adulteratum fuisse contendunt his adductis rationibus. Primò, quia cap.1. Evangelii S.Marci hæc verba leguntur: *Sicut scriptum est in Isaia*: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam ante te*: *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini*. Quem locum interpolatum esse dictitant, quia prior pars hujus vaticinii non est Isaiæ, sed Malachiæ. Prætereà, cap.2. ejusdem Evangelii legitur, hæc fuisse à Christo Domino dicta: *Numquid legistis quomodò David introivit in domum Dei sub Abiathar Principe Sacerdotum, & panes propositionis manducavit?* Qui sanè locus ab errore excusari haùd potest. Id quippè non est gestum sub Abiathare, sed sub Abimelecho, sicut legitur lib.1.Regum cap.21. Deniquè, cap.14. dicitur, Christum fuisse crucifixum horâ tertiâ, cùm tamen S.Joannes Evangelista capite 19. asserat, Christum horâ quasi sextâ in Crucem actum

fuisse. Verùm in his Anabaptistarum refellendis objectionibus in præsentia non immorabor, quia jam retusæ & solutæ manent ex his, quæ à me dicta sunt in Paragrapho 4. primæ Partis hujus Libri respondendo ab objectionem tertiam. Quapropter, ut brevitati consulam, Lectorem ad hunc ocum remitto.

Nullius autem momenti ac roboris est altera objectio Anabaptistarum asserentium, Marcum in describenda Resurrectionis Christi Historia pugnare cum Joanne Evangelista, quia Marcus cap. ultimo ait, mulieres venisse ad monumentum *orto jam Sole*, Joannes autem cap. 20. scribit, mulieres accessisse ad monumentum, *cùm adhùc tenebræ essent*. Hæc, inquam objectio, nullius momenti ac roboris est, nam S. Marcus ait, mulieres venisse ad monumentum *orto jam Sole*, idest, cùm Cælum jam ab Orientis parte albescere, & Solis lumen multis adhùc admixtum tenebris inciperet affulgere. Joannes verò Evangelista ait, mulieres venisse ad monumentum, *cùm adhùc tenebræ essent*, quia sese sub noctis finem, cùm tenebræ necdùm essent omninò discussæ, itineri commiserunt, & ad monumentum, cùm Sol inciperet illucescere, pervenerunt. Qua in re inter utrumque Evangelistam nulla omninò apparet antilogia.

De Evangelio S. Lucæ.

Sanctus Lucas, jussu Apostoli Pauli, cujus peregrinationum fuit individuus comes, Evangelium græcè scripsit, quod multi Sancti Patres ab ipsomet Paulo in epistola 2. ad Corinthios asserunt hoc elogio fuisse consecratum: *Misimus etiam cum illo fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias, non solùm autem, sed & ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ*. Quo anno Evangelium scripserit Lucas? lis adhùc sub Judice est, quam in medio relinquere satius est, quàm temerè ariolando definire velle. Caussa, quæ S. Lucam ad scribendum Evangelium impulit, hæc fuit, quam ipsemet in procemio sui Evangelii declarat, quòd vi-

videlicet totam Christi Domini Historiam ab initio ad finem usque fuerit assecutus, sive per divinam revelationem, sive quia ipse fuerat Christi Discipulus, sive quia à Paulo, cujus laborum socius ac particeps fuit indefessus, vel ab aliis Apostolis, immò à Beatissima Virgine didicit ea, quæ spectant Annunciationem Angelicam, ortum & infantiam Salvatoris, in qua describenda præ cęteris aliis Evangelistis immorari videtur. Suum Evangelium S. Lucas opponit scriptis quorumdam id ætatis Pseudo-Evangelistarum, qui Vitam Christi scribere aggressi, narrationes suas falsis rumoribus & variis fabulis asperserant. Sic enim loquitur sacer ille Evangelista: *Quoniam quidèm multi conati sunt ordinarę narrationem, quæ in nobis completæ sunt rerum, sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt & ministri fuerunt sermonis: visum est & mihi assecuto omnia à principio diligenter ex ordine tibi scribere, optime Theophile, ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem*. Hoc Sancti Lucæ Evangelium semper ut sacrum & canonicum recepit Ecclesia. Marcion verò teterrimus olim hæreticus, licèt Evangelium S.Lucæ, repudiatis aliis Evangeliis, admitteret, multas tamen in eo esse corruptelas effutiebat, & duo præcipuè priora capita, tanquàm insinceras & assutas partes, nullis rationibus, sed solâ suâ temeritate fretus expungebat ac resecabat. Fuerunt etiam olim nonnulli, qui Historiam Christi de sudore sanguineo, & de apparitione Angeli ipsum consolantis, quæ legitur cap.22. Lucæ, temerè ex Textu eraserunt, quòd videlicet Arriani eâ Historia ad detrahendam Christo Jesu divinitatem impiè abuterentur, sicut Sanctus Hieronymus refert lib.2. contra Pelagianos. In gręcis etiam & latinis Codicibus compluribus suâ ætate desideratam disertè testatur S.Hilarius lib. 10. de Trinitate, ubi hæc habet: *Nec sanè ignorandum nobis est & in græcis & in latinis Codicibus quamplurimis, vel de adveniente Angelo, vel de sudore sanguineo nihil scriptum reperiri*. Verùm nunc omnes græci & latini Codices, sicut & Syriaca & aliæ Versiones orientales hanc Historiam complectuntur, eamque ut ge-

nuinam Evangelii Lucæ partem agnoſcit univerſa Eccleſia. Quod igitur antiquitùs in nonnullis Codicibus græcis & latinis hæc Hiſtoria eſſet deleta, id totum tribuendum eſt privatæ ſuperſtitioni quorumdam, qui tàm inſignia humanæ infirmitatis argumenta Chriſto tribuere metuebant, nè ipſius divinitati derogare viderentur, ſicut rectè obſervant Janſenius Gandavenſis Commentar. in Concord. Evangel. capite 137. & Richardus Simonius in Hiſt. Crit. novi Teſtam. cap.12.

Tertullianus lib.4. contra Marcionem refert omnia loca, quæ ex Evangelio S.Lucæ temerario auſu hic Hæreticus eraſerat, ibidemque eum ſolidè refellit. Legi etiam poteſt ſuper hac re *Richardus Simonius* loco mox laudato. Hic etiam obiter Lectorem monitum velim tritam illam objectionem de Cainane juniore, quem Arphaxad inter & Salem in Genealogia Chriſti repoſuit S.Lucas, de quo tamen nulla mentio fit in Textu hebræo & Samaritano, nec in antiquis Scripturæ Sacræ Verſionibus, fuiſſe à me difflatam in reſponſione ad quartam objectionem Paragraphi 4. primæ Partis hujus Libri.

De Evangelio S.Joannis.

Sanctus Joannes ſub finem vitæ ſuæ, poſtquàm videlicet ex Inſula Patmos veniſſet Epheſum, græcè Evangelium ſcripſit, ut Cerinthi, Ebionis, & Nicolaitarum, qui Chriſti divinitatem negabant, impios refelleret errores. Hinc in ipſo ſui Evangelii limine æternam Verbi generationem his verbis exponit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Ex quo patet, iſtud Evangelium non fuiſſe ab Hæreſiarcha Cerintho compoſitum, ut inſulsè aſſerebant quidam Hæretici, quos S.Epiphanius Hæreſi 51. vocat *Alogos* græcè, ideſt, ſine verbo, eo quòd Verbum Divinum à Joanne prędicatum agnoſcere nolebant. Hiſtoria Mulieris adulteræ, quæ legitur capite 8. Evangelii S.Joannis, quibuſdam olim ſuſpecta viſa eſt, quòd

in

in multis Codicibus græcis deesset, & ex Evangelio secundùm Hebręos hùc asportata videretur. Sic enim scribit Eusebius lib.3. Histor. Eccles. cap.39. *Papias Historiam quamdam subjungit de Muliere adultera, quæ accusata est à Judæis apud Dominum, habetur autem in Evangelio, quod dicitur secundùm Hebræos, scripta hæc parabola*. Quibus verbis innuere videtur Eusebius, hanc Historiam in Codicibus Evangelii S.Joannis suo tempore non extitisse, sed excerptam fuisse ex Evangelio secundùm Hebræos, quod ceù Apocryphum, & multis fabulis ac erroribus fœdatum reprobatur ab Ecclesia. Eamdem de Muliere adultera Historiam non extitisse in multis & græcis & latinis Codicibus *S.Hieronymus* testatur lib. 2. contra Pelagianos. Quin & *Maldonatus* Societatis Jesu in cap.8. Joannis ait, se nec in antiquissimo Codice M. S. Vaticano, nec in viginti trium Patrum græcorum Codicibus hanc Historiam scriptam invenisse. Sic enim loquitur: *Non habebat antiquissimus ille Vaticani Codex, quem sæpè nominavimus, non Græcorum catena, in qua cùm tres & viginti Auctores sint, nemo ejus meminit, habemus græcos impressos multos, Origenem, Clementem Alexandrinum, Chrysostomum, Nonnum, Theophylactum, nemo eorum legit, cùm Chrysostomus & Theophylactus scripserint in totum Joannem Commentarios*. *Richardus Simonius* cap. 13: Histor. Critic. novi Testamenti multos, quos vidit, citat MM. SS. Codices græcos Biblioth. Regiæ & Bibliothecæ Colb. in quibus non extat hæc de adultera Muliere Historia.

Verùm, hinc solùm evincitur, quod ultrò concedimus, nonnullos scilicet græcos Codices hanc Historiam non habuisse, quia, ut suspicatur S.Augustinus lib.2. de Adulterinis Conjugiis cap.7. ex eis fuit erasa ab inimicis Ecclesiæ benignitatis peccatores post lapsum recipientis, cujus illustre exemplum præbet hæc, de Muliere adultera, quam absoluit Christus Dominus, Historia. Cęterùm, hanc Historiam semper extitisse in Codicibus gręcis sincerioribus, patet, quia ejus meminerunt antiqui Patres græci, *Ammonius* in sua

Har-

Harmonia, seù Consonantia ex quatuor Evangeliis, Auctor Synopsis Scripturæ Sacræ, quæ tribuitur S. Athanasio, *Sanctus Chrysostomus* Homil. 60. in Joannem, *Euthymius* Comment. in Joannem. Suppetunt etiamnùm benè multi Codices greci, iique antiquissimi, in quibus, teste Richardo Simonio, linguarum orientalium peritissimo, descripta est Historia de Muliere adultera. Quod quidèm fateri coactus est *Theodorus Beza* Hæreticus Calvinista, qui annotat. in Joannis caput 7. vers. 53. de Historia Mulieris adulteræ hæc habet: *Ex vetustis nostris Codicibus* 17. *unus dumtaxat illam non habet*, *in reliquis scripta quidèm est*. Hæc igitur Historia ex sincerioribus Codicibus grecis restituta, & antiquissimo Ecclesiæ usu, summoque consensu approbata recipi debet tanquàm pars Evangelii S. Joannis.

Dicet fortassis aliquis, hæc Historia de Muliere adultera à Papia relata, legebatur, teste Eusebio lib. 3. Hist. Eccles. capit. 39. in Evangelio secundùm Hebreos, quo utebantur Nazarei, atqui illud Evangelium secundùm Hebreos est Apocryphum, & reprobatur ab Ecclesia, utpotè ab insigni hæretico Tatiano compositum: nutat igitur veritas illius Historiæ, quæ ex Evangelio secundùm Hebreos in Evangelium S. Joannis fuit intrusa.

Respondeo primò, Historiam de Muliere adultera à Papia relatam, quæ in Evangelio secundum Hebreos legebatur, esse diversam ab illa Historia Mulieris adulteræ, cujus mentionem facit S. Joannes in Evangelio; nàm, ut optimè ait Cardinalis Baronius ad annum Christi 99. not. 6. *Cùm Papias multorum criminum dicat illam fœminam accusatam, Joannes verò dicat unius tantùm facinoris, nempè quòd deprehensa esset in adulterio, insimulatam; planè diversam ab illa fuisse, cujus nulla esset mentio apud Evangelistas, significare videtur*.

Respondeo secundò, quòd licèt Historia de Muliere adultera, cujus meminit S. Joannes in Evangelio, eadem esset ac illa, quæ in Evangelio secundùm Hebreos legebatur, indè tamen non sequeretur, eam ceù spuriam & apocrypham re-

repudiari debere. Ratio est, quia Periti Critici docent, Evangelium, quod dicitur secundùm Hebręos, fuisse Evangelium S.Matthęi hebraicè scriptum, cujus exemplar nacti Nazaręi illud aliquandiù illibatum, incorruptumque servarunt, ut affirmat S.Epiphanius Hęresi 29. *Est verò*, inquit, *penès illos*, idest, Nazaręos, *Evangelium secundùm Matthæum hebraicè scriptum, & quidèm absolutissimum: hoc enim certissimè, prout hebraicis litteris initio scriptum est, in hodiernum usque tempus conservant*. Idem testatur S.Hieronymus in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, ubi sic loquitur de Evangelio S.Matthæi: *Porrò ipsum hebraicum exemplar habetur usque hodiè in Cæsariensi Bibliotheca, quam Pamphilus Martyr studiosissimè confecit: mihi quoque à Nazaræis, qui in Berœa urbe Syriæ hoc volumine utuntur, describendi facultas fuit*. Idem Evangelium secundùm Hebręos in gręcum & latinum sermonem se transtulisse testatur Sanctus Hieronymus, illudque ab insignioribus priorum Ecclesiæ sęculorum Scriptoribus fuisse citatum certissimè constat. Fatendum tamen est, huic Evangelio secundùm Hebręos, quòd, ut mox diximus, non erat diversum ab Evangelio Matthęi hebraicè scripto, quædam posteà additamenta, seù, ut loquitur *Grotius* annot. in Tit. Matthæi, narrationes quasdam non pręscriptas à Matthęo, sed auditu dumtaxat perceptas, paulatim à Nazaræis fuisse assutas, quarum tamen nonnullas veras fuisse, & ex traditione Apostolica manasse innuere videtur S.Hieronymus, qui Comment. lib.2. in cap. 12. Matthæi hæc habet: *In Evangelio, quo utuntur Nazaræi & Ebionitæ, quod nuper in græcum de hebræo Sermone transtulimus, eò quod vocatur à plerisque Matthæi Authenticum, homo iste, qui aridam habet manum, Cæmentarius scribitur, istiusmodi vocibus auxilium petens*: Cæmentarius eram manibus victum quæritans. Precor te, Jesu, ut mihi restituas sanitatem, nè turpiter mendicem cibos. Hactenus Sanctus Hieronymus, qui hujus narrationis ex Evangelio secundùm Hebræos desumptæ fidem & veritatem non elevat, nec impugnat. Idem S.Doctor in lib.

lib. de Scriptor. Eccleſ. *in Jacobo*, refert aliam Hiſtoriam de Chriſti Domini poſt Reſurrectionem apparitione facta S.Jacobo, quæ ſolùm extabat in Evangelio ſecundùm Hebræos, & quæ ſic habet: *Dominus autem cùm dediſſet Sindonem ſervo Sacerdotis, ivit ad Jacobum, & apparuit ei. Juraverat enim Jacobus, ſe non comeſturum panem ab illa hora, quà biberat Calicem Domini, donec videret eum reſurgentem à mortuis*. Rursùs poſt paululùm: *Afferte, ait Dominus, menſam & panem*. Statimque additur: *Tulit panem & benedixit ac fregit, & poſt dedit Jacobo iuſto, & dixit ei: Frater mi, comede panem tuum, quia ſurrexit Filius Hominis à dormientibus*. Hanc narrationem ex Evangelio Nazaręorum, ideſt, ſecundùm Hebræos excerptam, nec falſam dicit *Sanctus Hieronymus*, nec ut Apocrypham explodit. Undè Cardinalis Baronius ad Annum Chriſti 34. num. 182. poſtquàm eamdem apparitionem Chriſti, prout in Nazaręorum Evangelio legitur, in medium protulit, eam veram eſſe agnoſcit, quia S.Hieronymus, dùm illam tanquàm Apocrypham non rejicit, ut de aliis aſſolet, ſe ejuſdem Hiſtoriæ fidem non impugnaſſe demonſtrat. Quocircà cùm inter narrationes, quas huic Evangelio ſecundùm Hebræos addiderunt Nazarę̧i, nonnullæ eſſent veritati & Apoſtolicæ traditioni conſentaneæ, mirum nemini videri debet, quòd hæc Hiſtoria de Muliere adultera fuiſſet in eo inſerta.

PARAGRAPHUS SECUNDUS

De Epiſtolis & Libris novi Teſtamenti, quibus Hæretici divinam detrahunt Auctoritatem.

QUatuordecim Epiſtolas ſcripſit Apoſtolus Paulus, quarum ultimam, quæ eſt ad Hebræos, in Scripturæ Sacræ album non referunt Heterodoxi, ſicut nec ſecundam Epiſtolam S.Petri, ſecundam & tertiam Sancti Joannis, Epiſtolam Judæ, Epiſtolam Jacobi, & librum Apocalypſis. Quapropter in hocce Paragrapho momenta, qui-

quibus nituntur Hæretici, proponam, iisque breviter faciam satis.

Diluuntur Objectiones

Hæreticorum contra Epistolam Sancti Pauli ad Hebræos.

Arguunt primò Hæretici: Epistola ad Hebræos Novatianæ Heresi,his, qui lapsi sunt post Baptismum,Pœnitentiæ ac veniæ locum deneganti, favet. At enim cap.6. auctor illius Epistolę ait, impossibile esse, eos, qui semel illuminati gustaverunt donum cęleste & prolapsi sunt, rursùs renovari ad pœnitentiam. Et cap.10. dicit, voluntariè peccantibus nobis, postquàm accepimus notitiam veritatis, non relinqui pro peccatis Hostiam. Idque capite 12. confirmat exemplo Esau, qui, cùm vendidisset propter unam escam primitiva sua, posteà cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est, nec invenit pœnitentiæ locum, quanquàm cum lacrymis inquisisset eam.

Prętereà, hęc Epistola patrocinatur Arrianis, qui dicebant, Filium Dei esse creaturam, & diversam habere substantiam à substantia Patris. Nam capite primo hujus Epistolæ Filius nominatur non substantia Patris, sed *splendor gloriæ, & imago, seù figura substantiæ ejus*. Et posteà subditur: *Tantò melior Angelis effectus*, idest, Filius Dei, *quantò differentius præ illis nomen hæreditavit*, quasi non à Deo Patre genitus, sed factus, seù creatus esset Angelis superior, quod sanè apertè redolet Arianismi virus.

Respondeo ad primum momentum, quòd quemadmodùm Evangelista Matthæus cap. 12. citrà ullum Novatianæ crudelitatis periculum ait, peccata in Spiritum Sanctum non remitti in hoc sęculo, neque in futuro; ita Paulus ad Hebræos scribens, absque ullâ Novatianâ crudelitate ait: peccata illa, quæ committuntur ex certa malitia & contemptu, quęque nihil aliud sunt, quàm peccata in Spiritum Sanctum,

ctum, condonari non posse. Preterea, Sancti Patres docent, Apostolum Paulum his in locis dumtaxat loqui de renovatione, quæ fit per Baptismum, ita ut sensus sit, his, qui ab innocentia baptismali per lethale peccatum exciderunt, ad eam recuperandam non ampliùs patere aditum, seù non dari regressum per iteratum Baptismum. Non excludit tamen Apostolus laboriosam pœnitentiam, quæ est altera, ut loquitur *Tertullianus*, post naufragium tabula. Deniquè, dici potest, Apostolum velle impossibile esse, non quidem impossibilitate absolutâ, sed morali, hoc est, difficile admodùm esse iis, qui post Baptismum in peccata relabuntur, veram peragere pœnitentiam, quia sępè usu venire solet, ut in his vehemens dominetur cupiditas, ad quam vincendam necessaria est gratia se ipsa efficax, & quam Deus in pœnam præcedentium peccatorum justo judicio aliquandò denegat, sicut post S.Augustinum pluribus in locis docet *S.Thomas*.

Ad alterum momentum dico, Epistolam ad Hebræos non suffragari Arrianis, sed potiùs eorum errorem apertè jugulare. Nam dùm Paulus dicit, Filium Dei esse splendorem gloriæ Patris, ostendit ejus coęternitatem, & eamdem cum Patre durationem. Sicut enim Sol non est radio duratione anterior, nec ipsum liberè, sed necessariò, immutabiliter & perpetuò diffundit, nec ab eo separabilis est; sic Pater Æternus Filium suum duratione non pręcedit, nec eum liberè, sed naturaliter & continuò eum generat, estque ab eo prorsùs inseparabilis. Dùm verò Apostolus ait, Filium Dei Angelis factum esse meliorem, loquitur de Filio Dei, quatenùs in tempore naturam humanam induit, nobisque consubstantialis factus est, non verò quatenùs ab Æterno Patre genitus, ipsique consubstantialis est, & in omni perfectione, virtute ac potentia omninò coęqualis.

Arguitur secundò, Auctor Epistolæ ad Hebręos cap.9. scribit, quòd in Arca erat urna habens Manna, simul cum Virga Aaronis, quę fronduerat, & cum Tabulis Testamenti. Qua in re falsi convincitur hic auctor ex capite 8. lib.3. Regum,

gum, ubi dicitur, nihil aliud fuisse in Arca pręter duas Tabulas lapideas.

Deindè, Auctor ejusdem Epistolæ hęc verba ex cap.7. lib.2. Regum deprompta: *Ego ero illi in Patrem*, usurpat ad probandum contra Judæos, Christum esse Filium Dei. Porrò, argumentum inde petitum nihil planè roboris adversùs Judęos habere poterat, quippè qui facili negotio respondere potuissent, hęc verba de Salomone ad litteram fuisse dicta, ac subinde ineptè ac pręposterè ad Iesum Christum detorqueri.

Respondeo, ea, quæ habet Auctor Epistolæ ad Hebręos cap.9. optimè cohęrere cum his, quæ leguntur cap.8. lib.3. Regum. Nam, quamvis intrà Arcam essent solæ Tabulæ lapideæ, juxtà tamen ipsam Arcam appensæ erant Virga & Urna, quò fit, ut in latiori sensu in Arca fuisse dici possint. Addo etiam, tempore Salomonis Urnam & Virgam Aaronis non fuisse quidem in Arca, in qua tamen, tempore Moysis, inesse potuerunt. Quod quidem licèt Scriptura Sacra non dicat, Apostolus tamen ex traditione rescire potuit.

Ad alteram objectionis partem dico, Judæos multa de Salomone in sacris Litteris dicta agnovisse, quæ illi, nonnisi ut erat Messiæ typus, congruebant, ideòque etiam ad Messiam, quem ut Liberatorem venturum expectabant, referenda esse non ignorabant. Appositè igitur Paulus ad commendandam Messiæ dignitatem, & ipsius divinitatem comprobandam hæc verba usurpavit: *Ego ero illi in Patrem*, quæ licèt de Salomone dicta sint, ad Christum tamen verum Messiam, quem typicè adumbravit Salomon, erant in vero sensu referenda. Argumentationes autem à sensu litterali ad sensum mysticum & allegoricum deductæ frequenter occurrunt in novo Testamento, quod est veteris complementum. Sic ex sensu allegorico illius loci Deuteronom. cap. 25. *Non alligabis os bovi trituranti*, probat Paulus 2. ad Corinth. cap. 9. non esse Evangelicis Concionatoribus negandam alimoniam. Sanctus etiam Joannes cap.19. scri-

 bit,

bit, ossa Christi in Cruce pendentis non debuisse confringi, quia de Agno Paschali, qui typus erat Christi, scriptum est Exodi cap. 12. *Os non comminuetis ex eo*. Nemini igitur mirum videri debet, quòd Apostolus eâ argumentatione è sensu litterali ad sensum allegoricum, quem non negabant Judęi, deducta, hac in Epistola utatur.

Arguitur ultimò, multa sunt in Epistola ad Hebræos, ex quibus evincitur, eam ab Apostolo Paulo non fuisse exaratam. Nam primò, Paulus suum huic Epistolæ nomen non indidit, quod aliis Epistolis tredecim ab ipso scriptis præfixit. Secundò, stylus hujus Epistolæ sublimis est, splendidus & figuratus, at verò stylus Pauli in aliis tredecim Epistolis simplex est & impolitus, undè ipsemet candidè fatetur, se esse imperitum sermone, nec venisse in sublimitate sermonis. Tertiò, auctor sub finem illius Epistolæ scribit, se reversurum ad Judæos. Quod certè in Paulum non cadit, qui, ut eos tanquàm suos capitales hostes effugeret, Cęsarem appellavit. Quartò, auctor illius Epistolæ cap. 2. vers. 3. & 4. se eorum numero accenset, qui non à Christo Domino, sed ab Apostolis edocti fuerunt. Quod etiam non quadrat in Apostolum Paulum, qui in Epistola ad Galatas cap. 1. ait, se non ab hominibus, sed ab ipsomet Christo Evangelium accepisse. Quintò, multi antiqui Patres, ut videre est apud Eusebium lib. 6. Histor. Eccles. cap. 14. hanc Epistolam germanum esse Apostoli Pauli fœtum negarunt. Denique, si hęc Epistola esset Apostoli Pauli, omni procul dubio hebraicè fuisset scripta, utpotè ad Hebręos directa. Ast constat, hanc Epistolam non fuisse hebraicè scriptam, tùm quia primigenius Textus hebraicus illius Epistolæ non extat, & an aliquandò extiterit, plane ignoratur; tùm quia etiam multa in hac Epistola citantur testimonia non juxta Textum hebraicum, sed juxta Versionem Gręcam à LXX Interpretibus elaboratam. Non igitur Apostolo Paulo hęc Epistola asseri, ac vindicari debet.

Respondeo breviter omnibus illis momentis, & ad primum dico, Apostolum Paulum huic Epistolæ nomen suum con-

consultò non inscripsisse, quia erat Judęis invisum, undè illud prudenter celavit, nè illi Judęi, qui ad Fidem Christianam necdùm erant conversi, ab illius lectione retraherentur, quod sanè ægrè admodùm tulisset Apostolus Paulus, qui eorum salutis cupidissimus erat. Prętcrquàm, si quid roboris haberet hoc argumentum, dicendum esset, hanc Epistolam à nemine fuisse scriptam, cùm nullius auctoris nomen sit ei præfixum.

Ad alterum momentum dico, non defuisse Apostolo Paulo sublimitatem styli, qui in aliis ejus Epistolis interdùm etiam relucet. Verùm cùm Apostolus omnibus omnia factus esset, ut omnes Christo lucrifaceret, nunc grandiori, nunc simpliciori stylo utebatur, sicut unicuique expediebat. Undè apud Gręcos, qui vanam eloquentiam & inanem verborum pompam affectabant, simpliciori stylo usus est, nè falsò sibi persuaderent, Scripturæ Sacræ veritatem verborum splendore & eloquentiæ apparatu indigere. Sed scribens Apostolus ad Hebręos, sublimiori usus est stylo, qualis usurpatur à Prophetis, ut majestas styli sublimitati rerum responderet, cùmque hebraicè & patrio stylo sibi magis familiari hanc Epistolam scripserit, ut censent Eusebius lib. 3. Histor. Eccles. cap. 38. & Clemens Alexandrinus apud eumdem Eusebium lib. 6. cap. 14. mirum non est, quòd hęc Epistola cultior & elegantior sit aliis Epistolis, quas scripsit Apostolus Paulus. Non caret tamen probabilitate conjectura Origenis, qui apud Eusebium lib. 6. Histor. Eccles. cap. 25. censet illius Epistolę ad Hebręos sententias esse Apostoli Pauli, dictionem autem & compositionem verborum esse alterius cujusdam, qui dicta Apostoli commemorare, & quasi in Commentarios redigere voluit ea, quæ à Magistro audierat, sive ille fuerit S. Lucas, sive S. Clemens.

Ad tertium momentum dico, Paulum, cùm Romæ esset, ad Judęos scribere potuisse, se ad illos reversurum. Hanc siquidèm Epistolam Paulus nominatim non direxit ad Judęos Hierosolymis commorantes, quorum ut rabiem effugeret, Cæsarem appellaverat, sed ad Judæos in Asia di-

dispersos, ad quos citra periculum redire poterat.

Ad quartum dico, Apostolum in hac Epistola ad Hebræos non asserere, se ab Apostolis, & non à Christo suam doctrinam accepisse, sed dumtaxat dicere, *salutem, quæ, cùm initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, confirmatam fuisse in nos*, idest, per totum genus humanum, *contestante Deo signis & portentis, & variis virtutibus & Spiritus Sancti distributionibus secundùm suam voluntatem*, cap.2. vers.3. & 4. Quamvis autem Paulus à Deo immediatè fuerit edoctus, ut ipsemet testatur cap.1. Epist. ad Galatas, potuit tamen aliquo in sensu dicere, se à Discipulis Christi fuisse confirmatum, quia missus est à Christo ad Ananiam, ut ab ipso instrueretur, & adivit ipse Apostolos, ut cum eis conferret Evangelium suum.

Ad quintum dico, quosdam veteres dubitasse quidèm, immò & negasse, Paulum esse auctorem Epistolæ ad Hebræos, quos inter, alii hanc Epistolam tribuerunt Lucæ, alii Barnabæ, alii Clementi; verùm hanc sententiam, quam nonnulli veteres, necdùm propalato Ecclesiæ universalis judicio, propugnarunt, nemo in præsentia Catholicus tenere ac defendere potest, quia Ecclesia antiquam secuta traditionem Patrum tàm Græcorum, quàm Latinorum, hanc Epistolam ad Hebræos decretorio & infallibili judicio vindicavit Apostolo Paulo in Conciliis Laodiceno, Carthaginensi tertio, Romano sub Gelasio Papa, Florentino, & Tridentino.

Ad ultimum momentum respondeo, antiquos Scriptores circa idioma, quo primò hæc Epistola ad Hebræos fuit exarata, in duas sententias esse distractos. Alii siquidèm censent, hanc Epistolam græcè primò fuisse scriptam, Apostolo Paulo videlicet dictante sententias, & S. Luca, vel Clemente sensum verbis græcis exprimente, quia tùm temporis lingua græca notior erat Hebræis, quàm ipsa lingua hebraica. Sunt verò alii, ut Clemens Alexandrinus & Eusebius, quorum mihi magis probatur sententia, qui asserunt, Epistolam ad Hebræos fuisse hebraicè primò scriptam. Undè

dè dicendum eſt primò, in Archetypo exemplari Epiſtolæ ad Hebræos loca Scripturæ Sacræ laudata fuiſſe juxtà Textum hebraicum, ſed græcum Translatorem ea vertiſſe juxta Editionem Lxx.Interpretum, quę tunc apud Judæos & Chriſtianos pervulgata erat, & in ſummo pretio habebatur. Secundò, dicendum eſt, primigenium illius Epiſtolæ exemplar periiſſe, ſicut certum eſt periiſſe omninò originarium exemplar hebraicum Evangelii S.Matthæi. Quapropter facilè crediderim, hunc Judæum, qui perſuaſit Melchiori Cano, viro aliundè undecumquè doctiſſimo, primigenium illius Epiſtolę ad Hebręos exemplar hebraicum apud Carpentoractenſes extare, fumum ei vendidiſſe, cùm nemo hactenùs illud videre potuerit.

Diluuntur Objectiones

Hæreticorum contra Epiſtolam S. Jacobi, ſecundam S. Petri, adversùs tres Epiſtolas S. Joannis & Epiſtolam S. Judæ.

Contra Epiſtolam S.Jacobi, quæ inter ſeptem Epiſtolas canonicas non dignitate, ſed antiquitate, principem locum obtinet, hæc argumenta proponunt Hæretici. Primò, inquiunt, auctor illius Epiſtolæ non ſe Apoſtolum appellat, nec ullum in ſuæ Epiſtolæ fronte titulum de Pace, de Gratia, de Chriſto, de Deo præmittit, quod tamen alii Apoſtoli in ſuis Epiſtolis factitare ſolent, immò, loco gratiæ ac pacis, dicit more Gentilium, *Salutem*. Hęc igitur Epiſtola nec eſt canonica, nec eſt S.Jacobi, & hac de cauſa in multis exemplaribus græcis hæc Epiſtola nomine S.Iacobi non inſcribitur.

Prætereà, Euſebius Cæſarienſis lib. 2. Hiſtor. Eccleſ. cap.23. de S.Iacobo Hieroſolymorum Epiſcopo mentionem faciens ait: *Ei etiam adſcribi ſolet Epiſtola prima earum, quæ Catholicæ dicuntur, quam quidem nonnulli ſpuriam ac ſuppoſititiam exiſtimant. Sanè pauci admodùm ex vetuſtioribus,* hu-

huius Epistolæ mentionem fecere. S.Hieronymus etiam in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis scribit de S.Iacobo: *Unam tantùm scripsit Epistolam, quæ de septem Catholicis est, quæ ipsa ab alio quodam sub nomine ejus edita asseritur; licèt paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem*. Hæc autem auctoritas, quam progressu temporis obtinuit hæc Epistola, non potest esse divina, quæ cùm sit invariabilis & immutabilis, nulli vicissitudini temporum obnoxia esse potest.

Deniquè, Auctor illius Epistolæ rectâ fronte pugnat cum Apostolo Paulo. Nam Paulus in Epistola ad Romanos totus est, ut probet hominem justificari non ex operibus, sed ex fide, Auctor verò illius Epistolæ hanc Apostoli doctrinam funditùs subvertit docendo, fidem sine operibus mortuam esse, & hominem justificari ex operibus, & non ex fide tantùm. Divinâ igitur auctoritate non pollet hæc Epistola, nec canonica censeri debet.

Respondeo ad primum, S.Iacobum, qui dicitur *Minor*, & filius fuit Alphæi, titulum Apostoli ideò fortè Epistolæ suæ non adscripsisse, quia Iudæis ad fidem Christi conversis satis superque notus erat sicut Apostolus, utpotè Hierosolymorum Antistes, undè tantùm se appellat servum Domini nostri Iesu Christi: *Jacobus Dei et Domini nostri Jesu Christi seruus*; non secus ac Apostolus Paulus scribens ad Philippenses, qui ejus Apostolatus dignitatem probè perspectam habebant, huic Epistolæ titulum Apostoli non præfixit, sed *servi Jesu Christi*. Excidit quidèm sive casu, sive malitiâ in quibusdam græcis exemplaribus nomen Iacobi, sed extat in vetustissimis Latinis Codicibus, & in compluribus græcis tàm editis, quàm MM. SS. Codicibus Biblioth. Reg. & Biblioth. Colb. quos vidit & citat Richardus Simonius in Historia Critica novi Testamenti agendo de hac Epistola S.Iacobi. Quod autem S.Iacobus loco Gratiæ & Pacis hanc vocem substituat, *Salutem*, nullam debet facessere difficultatem, quia ipsi Apostoli in Concilio Hierosolymitano congregati eamdem vocem usurparunt in ea Epistola, quam

quam ſcripſerunt ad Gentes: *Apoſtoli & Seniores his, qui ſunt Antiochiæ, & Syriæ & Ciliciæ fratribus ex Gentibus ſalutem*. Act. Apoſt. cap. 15.

Ad alterum momentum dico, Euſebium loco laudato, hiſtoricè dumtaxat referre hanc Epiſtolam S. Jacobi à nonnullis tanquàm ſpuriam & ſuppoſititiam fuiſſe rejectam, à quorum opinione ſe abhorrere ibidèm declarat his verbis: *Verumtamen has quoque*, ideſt, Epiſtolas S. Jacobi, & S. Judæ, *cum cæteris in plurimis Eccleſiis publicè lectitari cognovimus*. Idem dicendum occurrit de S. Hieronymo, qui, dùm loco citato ait, quòd hæc Epiſtola ab alio quodam ſub nomine Jacobi edita aſſeritur, non ſuam, ſed aliorum expreſſit ſententiam. Quandò autem ſubdit idem Sanctus Doctor, hanc Epiſtolam paulatim procedente tempore obtinuiſſe auctoritatem, non vult, hanc Epiſtolam ſucceſſu temporum divinam evaſiſſe, & S. Jacobo eſſe adſcriptam, cùm talis antehac non eſſet (id enim impoſſibile eſt & apertè falſum, cùm hæc Epiſtola à primis Eccleſiæ ſæculis ut Scriptura Sacra audierit, & ex ea Tertullianus & Cyprianus adversùs Judæos, Origenes Homil. 7. in Joſue, & alii benè multi veteres teſtimonia deſumpſerint) ſed vult tantùm S. Hieronymus, hanc Epiſtolam, de qua nonnulli ambigebant, an divino ſpiritu, & an ab Apoſtolo Jacobo ſcripta eſſet? paulatim tempore procedente ab Eccleſia Chriſti, cujus eſt indeficiens judicium, compertam eſſe ac declaratam veram, ſacram, canonicam, & Sancti Iacobi germanam prolem.

Ad ultimum momentum reſpondeo, S. Iacobum in ſua Epiſtola refellere hæreſim Simonis Magi, qui docebat ad ſalutem prærequiri ſolam fidem, nec opus eſſe bonis operibus: *Quoniam ergo*, inquit S. Auguſtinus lib. de Fide & Operibus cap. 14. *hæc opinio fuerat exorta, aliæ Epiſtolæ Petri, Joannis, Jacobi, Judæ, contra eam maximè dirigunt intentionem, ut vehementer adſtruant, fidem ſine operibus nihil prodeſſe, ſicut ipſe Paulus non quamlibet fidem, quà in Deum creditur, ſed eam ſalubrem, planèque Evangelicam definivit*,

cujus opera ex dilectione procedunt. Hac responsione facilè contra Hæreticos evincitur, doctrinam S.Pauli de Iustificatione non esse oppositam doctrinæ S.Jacobi. Nam S.Jacobus in sua Epistola Catholica vult hominem justificari operibus ex fide, gratiâ, & charitate elicitis, quod Simonis Magi Sectatores ex perperàm intellectis & in sinistrum sensum detortis Apostoli Pauli sententiis negabant. At verò S. Paulus in Epistola ad Romanos docet, hominem non justificari ex operibus legis, quæ præcedunt fidem, gratiam, & charitatem, vel quæ fiunt ex viribus naturæ. Disputat quippe Apostolus Paulus contra Judæos, qui, ut inquit Sanctus Augustinus, Serm.13. de verbis Apostoli: *De lege gloriabantur, & libero arbitrio suo legem sufficere arbitrabantur, ignorantes Dei justitiam, idest, ex fide justitiam datam à Domino, & suam volentes statuere, quasi suis viribus impletam, non dante fide impetratam, justitiæ Dei, sicut dicit* (Apostolus) *non sunt subiecti*. Ad frangendam itaque Judæorum superbiam, sæpiùs hac in Epistola inculcat Apostolus, hominem non ex operibus legis justificari. Quæ cùm ita sint, certè mirari non subit, quòd Lutherus, qui impium Simonis Magi de sola fide justificante dogma recoxit, ausus sit, præfat. in Epist. S.Jacobi, infrunito ore eam appellare, *Epistolam Stramineam*.

Accedamus nunc ad examen Epistolæ secundæ S.Petri, quam Hæretici duobus potissimùm, sed nullius ponderis momentis oppugnant. Primùm petitur ex testimonio Eusebii, qui, lib.3. Histor. Eccles. cap.3. loquendo de Epistolis S.Petri, hæc habet: *Quod verò attinet ad Petrum*, inquit, *Una ejus Epistola, quæ prior dici solet, tanquam germana ab omnibus sine controversia admititur, cujus testimonio veteres Religionis nostræ Antistites, utpotè extra omnem dubitationem positæ, in scriptis suis frequentissimè usi sunt. Quæ verò secunda appellatur, eam quidem inter sacros novi Testamenti Libros censitam non esse à majoribus accepimus*. Alterum momentum desumitur ex diversitate styli illius secundę Epistolæ, undè cùm in confessò sit apud omnes, priorem Epi-

Epistolam à S.Petro fuisse scriptam, necesse est, ut hæc secunda, cujus stylus à priori plurimùm distat, fuerit ab alio Scriptore exarata.

Verùm hæc duo momenta nè tantillùm quidèm elevant auctoritatem secundæ Epistolæ S.Petri. Nam primò, Eusebius loco in objectione laudato asserit, hanc secundam S.Petri Epistolam, unà cum reliquis Sacræ Scripturæ Libris fuisse in Ecclesia lectam: *Sed tamen*, inquit, *cùm utilis esse videretur quàm plurimis, unà cum reliquis Sacræ Scripturæ Libris studiosè lectitata est*. Esto igitur, non æqualis fuerit in primórdiis Ecclesiæ hujus Epistolæ atque prioris certitudo & veneratio, ut scribit Eusebius, quia tamen Ecclesia in Conciliis Laodiceno, Carthaginensi, Florentino, & Tridentino congregata, hanc secundam Epistolam pro genuina S.Petri habuerit, & veteres Scriptores, & Sancti Patres Iustinus, Origenes, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Gregorius Papa, cæterique Patres ex ea secunda Epistola, velut ex Scriptura Sacra & germanâ S.Petri prole eliciant testimonia, nemini, post tàm solemne judicium Ecclesiæ Catholicæ, cui jus à Deo assertum est Libros sacros à spuriis secernendi, fas esse potest in dubium revocandi, an hæc secunda Epistola sit canonica, & à S.Petro conscripta.

Quod verò attinet styli diversitatem, respondet S.Hieronymus in Epistola ad Hedibiam quæst. 11. illam diverso Interpreti acceptam referri debere. Fieri quippe potuit, ut S.Petrus pro diversitate rerum diversis uteretur Interpretibus, ita ut quæ ipse dictabat hebraicè, seù syriacè, Interpretes scriberent græcè, quidam eloquentiùs, alii minùs eloquenter. Addunt etiam nonnulli, hanc posteriorem Epistolam annis circiter xxiv. post primam fuisse editam, quandò videlicet S.Petrus jam erat senex. Porrò ætatem aliquandò stylum immutare, patet in plerisque, quorum opera in juventute lucubrata floridiori & elegantiori stylo elaborata apparent, quàm ea, quæ, dùm senes sunt, edunt in lucem. Turpiter ergo hallucinatur *Hugo Grotius*, qui vanis conje-

Sf 2 ctu-

cturis indulgendo ariolatur, Scriptorem hujus secundæ Epistolæ esse *Simeonem*, vel *Simonem*, qui post S.Iacobi mortem fuit Hierosolymorum Episcopus. Undè enim, amabo, Grotius habet, quod ille *Simeon*, vel *Simon* Hierosolymorum Episcopus, fuerit itidèm cognominatus *Petrus*, sicut auctor illius secundæ Epistolæ se se utroque nomine *Simonis* videlicet & *Petri* in exordio hujus Epistolæ appellat, dicens: *Simon Petrus, servus & Apostolus Jesu Christi*. Quo etiam argumento poterit evincere *Grotius*, hunc Simonem Hierosolymitanum Episcopum fuisse unum ex his, qui viderunt Christum transfiguratum in Monte sancto, sicut auctor secundæ hujus Epistolæ cap.1. se vidisse testatur, his verbis: *Voce delapsa ad eum hujuscemodi à magnifica gloria: hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite, & hanc vocem nos audivimus de Cælo allatam, cum essemus cum ipso in Monte sancto*. Quod sanè apprimè convenit S.Petro, qui fuit unus ex his Discipulis, quos Christus testes esse voluit Transfigurationis suæ. Grotii igitur & aliorum, qui S.Petro hanc secundam Epistolam abjudicant, conjecturas, quibus nituntur, flocci faciendas esse, nemo, qui earum levitatem tantisper attenderit, inficias ire poterit.

Elisis argumentis, quę contra posteriorem Sancti Petri Epistolam Hæretici proponunt, nunc expendere juvat alia momenta, queis divinam Epistolarum S.Ioannis auctoritatem labefactare moliuntur. Tres autem nomine S.Ioannis Evangelistæ inscriptæ circumferuntur Epistolæ, quarum prior, teste Eusebio lib. 3. Histor. Eccles. cap. 24. & lib.7. cap.25. ab omnibus cùm antiquis, tùm recentioribus admittitur. Una tamen occurrit difficultas circa versiculum septimum capitis quinti primæ Epistolæ S.Ioannis, quam hic intactam prætermittere haùd debemus. Hic quippe versiculus septimus, qui legitur in Editione vulgata, & his verbis constat: *Tres sunt qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt*, non extat in Codicibus græcis, sicut testatur Richardus Simonius

cap.

cap.18. Historiæ Criticæ novi Testamenti, ubi ait, se in Bibliotheca Regis Christianissimi legisse septem Grecos venerandæ antiquitatis MM. SS. Codices, & quinque alios in Bibliotheca Colbertina, in quibus hic septimus versiculus omninò desideratur, quò fit, ut ipse suum inducat in animum, hunc versiculum instar Scholii ad marginem olim adjectum esse, & deindè sensim sine sensu in Textum fuisse intrusum. Preterea, hoc versiculo septimo capitis quinti Epistolæ primæ S.Ioannis, nec Concilium Nicænum, nec veteres Patres, qui Arrianorum hæresim impugnarunt, unquam usi sunt, quo tamen usi fuissent, si genuinum esse credidissent, cùm sit aptissimus ad hanc heresim profligandam. Hæc sunt duo momenta, quæ contra hunc versiculum septimum opponi possunt; sed ad ea facilis est responsio. Nam primò, quamvis hunc versiculum septimum quidam Codices greci non exhibeant, exhibent tamen exemplaria antiquissima & probatissima. Legitur quippe hic versiculus in Codice Greco Britannico, cujus ob vetustatem tanta fuit apud Erasmum auctoritas, ut, eo semel lecto, hunc versiculum, quem in priori sua Scripture Versione omiserat, in sequenti posteà restituerit. Legitur itidèm hic versiculus in Codicibus grecis, quo usi sunt Auctores Editionis Complutensis studio Cardinalis Ximenii Archiepisc. Toletani concinnatæ. Legitur etiam in Codicibus Laurentii Vallæ, qui nullam hìc inter Codices græcos discrepantiam notat, quod tamen facere solet. Legitur in Codicibus græcis vetustissimis, quos Robertus Stephanus summo studio conquisivit, & Anno 1550. scriptum edidit, in quo testatur ex 16. Codicibus græcis, quos penès se habebat, septem tantùm fuisse, in quibus hic versiculus non legebatur, sed in novem repertum fuisse, quos & ipse secutus est. Auctor Prefationis in septem Epistolas canonicas, quem omnes, si unum excipias Richardum Simonium paulò audaciorem criticum, putant esse Sanctum Hieronymum, conqueritur quòd hic versiculus, qui in Codicibus græcis legebatur, ab infidelibus latinis Interpretibus fuerit omissus. Quid plura? antiquissimi Patres hunc

hunc versiculum ut genuinum citant. Sic S.Cyprianus, qui ante Arrium natum scripsit, in lib. *de Unitate Ecclesiæ* hæc habet: *Dicit Dominus, ego & Pater unum sumus; & iterùm de Patre & Filio, & Spiritu Sancto scriptum est, & hi tres unum sunt.* Sic *Tertullianus*, *Athanasius*, *Idacius*, sive *Ithacius*, *Victor Uticensis*, & *Fulgentius* eumdem versiculum citant. Quibus momentis convictus *Theodorus Beza* in annot. in 1.Epistolam Ioannis cap.5. vers.7. ait: *Hic versiculus omninò mihi retinendus videtur*. Quod autem Concilium Nicænum, & Patres, qui disputarunt contra Arrianos, videlicet Chrysostomus, Cyrillus, Hilarius, Augustinus &c. hunc versiculum Arrianis non opposuerint, id ex triplici causa contingere potuit. Primò, quia fortè illi Patres inciderunt in exemplaria, in quibus hic versiculus casu, vel vitio Scriptoris omissus fuerat. Fieri siquidèm facilè potuit, ut Scriptor, postquàm descripsisset initium versiculi septimi: *Tres sunt qui testimonium dant*, deindè, errante & excurrente oculo transierit ad versum octavum, ubi eadem verba repetuntur, atque ita versum septimum ex incuria prætermiserit. Id sanè faciliùs credere est, quàm asserere integram istam pericopen interpolatrice manu in Textum fuisse insertam, eamque ab universa Ecclesia fuisse posteà tanquàm partem Scripturæ Sacræ approbatam. Secundò, dici potest, Patres, qui disputarunt contra Arrianos, hunc versiculum eis non opposuisse, quia ille versiculus jam ab Arrianis fuerat sublatus & expunctus. Et sanè cùm *Constantius*, & *Valens* Imperatores essent Arriani, omnesque fermè Orientis Episcopi hâc pestiferâ Hæreseos labe essent infecti, facilè hunc versiculum suo errori apertè contrarium eradere potuerunt, cùm sæpiùs hac in re patefacta sit fraus Hæreticorum. Tertiò, dici potest, Patres, qui disputarunt, vel calamum strinxerunt in Arrianos, ab hoc citando versiculo septimo abstinuisse propter octavum versiculum sequentem: *Et tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus, & aqua, & sanguis: Et hi tres unum sunt*, nam cùm certum sit, spiritum, aquam, & sanguinem non esse *unum*, nisi

nisi quia in unum testimonium consentiunt, ita periculum erat, nè Arriani reponerent, versiculum septimum innuere dumtaxat Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse *Unum* consensu, concordiâ, & voluntate, non verò essentiâ, & naturâ. Undè Sancti Patres, quibus ad probandam Sanctissimæ Trinitatis doctrinam innumera alia Scripturæ Sacræ suppetebant testimonia, hunc versiculum, nè geminarent frustrà difficultates, & contentiosum funem cum pervicacibus illis Hæreticis ducerent, consultò prætermiserunt. Ut ut sit, certissimè constat, hoc argumentum petitum ex silentio Sanctorum Patrum esse merè negativum, quod argumentis, quæ supra adduximus, & universalis Ecclesiæ Catholicæ consensui ac irrefragabili judicio præponderare miminimè debet.

Contrà Epistolas secundam, & tertiam S.Ioannis duo argumenta proponunt Heterodoxi, quibus breviter faciam satis. In primis, pugnant auctoritate S.Hieronymi, qui in lib. de Script.Eccles. in *Joanne* hęc habet: *Scripsit Joannes unam Epistolam, reliquæ duæ Joannis Presbyteri asseruntur, cujus & hodie alterum sepulchrum apud Ephesum ostenditur*. Quibus verbis, inquiunt Hæretici, asserit S.Hieronymus, duos fuisse Ephesi Ioannes, Apostolum videlicet & Presbyterum, priorem Epistolam esse scriptam à Ioanne Apostolo, secundam verò & tertiam tribui Ioanni Presbytero. Prætereà, in duabus illis Epistolis auctor se non Apostolum, sed *Seniorem*, seù *Presbyterum* appellat. Dicit enim: *Senior Electæ*. *Senior Cajo*. Igitur auctor secundæ & tertiæ Epistolæ non est Ioannes Apostolus, sed quidam alius Ioannes Presbyter.

At nullo negotio soluuntur ista argumenta. Nam primò, S.Hieronymus loco laudato non suam, sed aliorum refert sententiam, in Epistola autem 83. ad Evagrium duas illas Epistolas adscribit Ioanni Apostolo dicens: *Clangit tuba filii tonitrui, quem Jesus amavit plurimùm, qui de pectore Salvatoris doctrinarum fluenta potavit; Presbyter Electæ Dominæ, & filiis ejus, quos diligo in veritate*. Sanè Ioannem

nem Apostolum harum duarum Epistolarum Scriptorem esse, Sole clarius indicant styli & sententiarum cum prima Epistola accuratus consensus, & Concilia sæpiùs laudata Laodicenum, Carthaginense, Florentinum, & Tridentinum, quæ duas illas Epistolas eadem serie, quâ primam, Ioanni Evangelistæ adjudicant. Secundò, S.Ioannes vocat se *Seniorem*, seù *Presbyterum*, quia Apostolatus dignitate & vitæ diuturnitate omnium Christianorum erat senior. Ultimus quippè Apostolorum vixit usque ad Trajani Imperium, & mortuus est anno circiter ab Incarnatione Domini 101. ut observat S.Hieronymus in lib. de Scriptor. Eccles. Addo etiam, S.Ioannem titulum Apostoli his duabus Epistolis non inscripsisse iisdem de causis, ob quas tùm in Evangelio, tùm in prima Epistola eumdem Apostoli titulum omninò siluit.

De Epistolis canonicis una superest Epistola Sancti Iudæ Apostoli cognominati Thaddæi, cujus auctoritatem ac sinceritatem in dubium vocant Hæretici his permoti rationibus. Primò, inquiunt, Eusebius lib.3.Histor.Eccl. cap.23. dicit: *Non multos veterum hujus Epistolæ meminisse*. Et S.Hieronymus lib. de Scriptor. Eccles. *In Iuda* hæc habet: *Iudas frater Iacobi parvam quidem, quæ de septem Catholicis est, Epistolam reliquit, & quia de libro Enoch, qui Apocryphus est, in ea assumit Testimonium, à plerisque rejicitur*. Prætereà, auctor illius Epistolæ se *servum* Christi vocat, non *Apostolum*. Tertiò, auctor illius Epistolæ ait, se post Apostolos vixisse, nam vers.17. sic scribit: *Charissimi memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi*. Ex quo *Hugo Grotius* coniicit, auctorem illius Epistolę non esse Iudam Apostolum, sed quemdam Iudam Episcopum Hierosolymitanum, qui floruit Adriani Imperatoris temporibus. Deniquè, auctor illius Epistolæ citat librum Enochi. Verosimile autem non est, voluisse Apostolum ex libro Apocrypho, qualis est liber Enoch, Epistolæ suæ conciliare auctoritatem.

Verùm hæ & similes Hæreticorum rationes nè tantillùm

lum quidem labefactare possunt auctoritatem Epistolæ S.Iudæ. Dùm enim Eusebius dicit: *Non multos veterum hujus Epistolæ meminisse*, indicat, aliquos saltem ejus meminisse, quorum sanè certa affirmatio pluris est, quàm dubium multorum silentium, cui opponimus Tertullianum lib. de Habitu Muliebri cap.3. Origenem in cap.13. Matthæi, auctorem lib.de Divinis nominibus cap.4. & alios plerosque veteres Ecclesiæ tùm Græcæ, tùm Latinæ Doctores, necnon supra laudata Concilia, quæ hanc Epistolam S.Iudæ Apostoli ut canonicam agnoscunt, eamque disertè illi adscribunt. Quò fit, ut hæc Epistola, de qua initio dubitatum est: *Auctoritatem tamen*, ut inquit S.Hieronymus loco mox memorato, *vetustate jam & usu meruerit, & inter sacras Scripturas computari, & sacro-sanctam auctoritatem habere*. Deindè, S.Iudas se *servum Christi* nuncupare potuit, sicut Apostolus Paulus in Epistolis ad Philipp. ad Thessal. ad Philem. se servum Christi appellat. Futilis autem est & oppidò falsa conjectura Grotii asserentis, hanc Epistolam non à Iuda Apostolo,sed à quodam Iuda Hierosolymitano Episcopo, qui Adriani Imperatoris temporibus florebat, fuisse conscriptam. Hanc quippè conjecturam falsi apertè convincit exordium illius Epistolæ, ubi auctor se fratrem Iacobi appellat. Quis autem tàm bonus, ut credat, fratrem Iacobi, qui jam ætate maturus erat, dùm ad Apostolatum à Christo vocatus est, vitam produxisse usque ad Adriani tempora, hoc est, circiter CXL. annis. Nec quidquam Grotius ad stabiliendam conjecturam suam extundere potest ex his verbis, quæ hac in Epistola vers. 17. leguntur: *Charissimi memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi*. Ex his, inquam, verbis, colligi non potest, auctorem hujus Epistolæ vixisse post Apostolos, ut perperàm visum est Grotio, sed tantùm colligi potest, S.Iudam omnium Apostolorum postremum (si Ioannem Evangelistam excipias) suam scripsisse Epistolam, ac subindè nonnullas Apostolorum vidisse Epistolas. Sicut, exempli gratiâ, S.Petrus in secunda sua Epistola cap.3. mentionem facit Episto-

larum Pauli, non quia post S.Paulum Apostolum vixerit, cùm, juxtà Annales Ecclesiæ, eodem anno, eodemque die mortem sub Nerone Romæ ambo oppetierint, sed quia S.Petrus hanc secundam Epistolam scripsit, postquàm Apostolus Paulus suas jam Epistolas evulgasset. Deniquè, auctoritati Epistolę Sancti Iudæ officere non potest illa Prophetia Enochi, quam ille Apostolus vers. 14. citat, dicens: *Prophetavit autem & de his septimus ab Adam Enoch dicens: Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis*, hanc siquidem Enochi prophetiam, non in aliquo libro illius Patriarchæ inscriptam, sed ore tantùm prolatam S.Iudas, vel ex traditione, vel speciali aliquo Spiritus Sancti afflatu notam habere potuit. Vel si S.Iudas hanc Enochi prophetiam ex libro huic Patriarchæ adscripto desumpsit, dicendum est cum S.Hieronymo in cap. 1. Epistolæ Pauli ad Titum, potuisse S.Iudam in sua Epistola canonica citare testimonium ex libro Enoch, quamvis Apocryphus esset, perindè ac Apostolus Paulus in suis Epistolis ad convincendos Infideles interdùm laudat Gentilium Poëtarum testimonia: *Ipsius enim & genus sumus*, Act. Apostol. cap. 17. *corrumpunt bonos mores colloquia prava*, 1. ad Corinth. cap. 15. *Cretenses semper mendaces, malæ Bestiæ, ventres pigri*, ad Tit. cap. 1.

DILUUNTUR OBJECTIONES,

Quas Hæretici Alogi *proponebant contra Librum Apocalypsis.*

DIvinam libri Apocalypsis auctoritatem rejiciebant olim Hæretici varii, ut *Cerdon*, & *Marcion*, teste Tertulliano, deindè *Alogi*, & *Theodotiani*, ut referunt Sanctus Epiphanius Hæresi 51. & S.Augustinus in lib. de Hæresibus. Hac autem præcipuè de causa illi Hæretici auctoritatem libri Apocalypsis rejiciebant, quòd putarent in eo contineri Hæresiarchæ Cerinthi errorem de millenario terreno Christi Regno, de nuptiis & delitiis, quibus Iusti, qui ante

Iudi-

Iudicium generale mille annis unà cum Christo in terris regnaturi erant, frui debebant. Legitur quippè cap. 19. lib. Apocalypsis vers.7. *Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni.* Et cap.20. *Vidi animas decollatorum propter testimonium Jesu, & qui non adoraverunt bestiam, & vixerunt, & regnaverunt cum Christo mille annis. Cæteri verò mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni, hæc est Resurrectio prima. Beatus qui habet partem in Resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt Sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum illo mille annis.* Hæc & alia id genus, quæ in eodem capite dicuntur de duabus Resurrectionibus, de mille annis felicibus inter utramque, de instauratione Hierusalem, de famis & sitis satietate, de Bello Gogi & Magogi &c. occasionem multis dederunt Apocalypsim rejiciendi tanquàm opus Cerinthi, qui, teste *Cajo* vetustissimo auctore, apud Eusebium lib.3. Histor.Eccles. cap.28. affirmabat: *Post Resurrectionem Regnum Christi in terris futurum, ac rursùs homines Hierosolymis degentes cupiditatibus & voluptati corporis obnoxios fore, & mille annorum spatium in nuptialibus festis transactum iri.*

Verùm proclive est demonstrare, eos esse turpiter hallucinatos, qui Apocalypsis librum Cerintho adjudicarunt, nihilque planè toto hoc in libro reperiri, quòd impio hujus Hæresiarchæ dogmati faveat. At enim quæ cap. 20. istius libri referuntur, non ad litteram & carnaliter intelligi debent de judaica illa & terrena Hierusalem, sicut perperàm interpretabatur Cerinthus, sed de cælesti ac sempiterna Hierusalem, idest, de Ecclesia sponsa Christi, quam Ioannes immortalitatis, cæterisque diversis exornatam dotibus vidit, non tamen priusquàm fieret Resurrectio prima, idest, Resurrectio spritualis animæ à peccatis, quę soluta corpore confestim Cælo donatur. Hanc autem Resurrectionem appellat S.Ioannes, *primam*, ad discrimen secundæ Resurrectionis generalis, in qua omnes animæ cum suis corporibus iterùm erunt unitæ, & resurgent, sicut per secundam mor-

tem Sanctus Ioannes intelligit animæ & corporis perpetuam damnationem. Per mille verò annos hujus primæ Resurrectionis denotat S.Ioannes spatium illud, quo animæ Iustorum gloriâ in Cęlis una cum Christo potiturę sunt à tempore Ascensionis Christi Domini usque ad universale Iudicium, in quo animæ Iustorum reassumentes corpora sua beatitudine completâ æternùm perfruentur. Ponit autem sacer ille Evangelista determinatum mille annorum numerum pro indeterminato, quod in sacris litteris fieri solenne est. Integrum istud caput vigesimum libri Apocalypseos eruditè exponit S.Augustinus cap.7. lib.20. de Civit. Dei, & nos etiam in Differt. ultima Tractatus *de Mysteriis & Annis Christi*, ubi Chiliastarum, seù Millenariorum errorem confutavimus, pro viribus dilucidare studuimus.

Fatendum tamen est, benè multa in libro Apocalypsis reperiri, quæ, propter obscuritatem, intellectui humano sunt impervia, & doctissimorum Interpretum exercent, & tantùm non absorbent ingenia, cujus obscuritatis causa est illius libri sublimitas, qui plenus est symbolis, ænygmatibus & prophetiis, quas usque ad tempus impletionis Deus voluit manere occultas: *Apocalypsis Joannis*, inquit S.Hieronymus in Epistola ad Paulinum, *tot habet Sacramenta, quot verba. Parùm dixi, pro merito voluminis laus omnis inferior est. In verbis singulis multiplices latent intelligentiæ.* Idem asserit Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib.7. Hist. Ecclef. cap.25. in libro Apocalypsis, inquit: *Arcanam, planèque admirabilem singularum rerum intelligentiam latere existimo. Nam etsi ipse non intelligo, suspicor tamen altiorem quemdam sensum verbis subesse, eaque non meo ipsius judicio metior, atque æstimo, sed plus fidei tribuens, sublimiora esse censeo, quàm ut à me percipiantur, nec ea condemno quæ intelligere non potui: verùm inde admiror magis quod capere non possum.* Quamvis igitur in libro Apocal. multa sint obscurè dicta, quæ vel propheticum, vel mysticum sensum habent, cujusmodi sunt 7.Stellæ, 7.Angeli, 7.Oculi, 7.Candelabra, 7.Tubæ, 7.Phialæ, 7.Sigilla, & alia hujusmodi, quo-

quorum intelligentiam propter ingenitam mentis nostræ imbecillitatem penetrare & assequi minimè possumus, firmiter tamen credere debemus, hæc omnia à Spiritu Sancto esse dictata, quæ proindè curiosiùs perscrutari haùd debemus, sed potiùs prono, ut par est, capite adorare. Qua in re, ut obiter dicam, optimo jure damnanda est impietas Hæreticorum, seù Calvinistarum &c. qui obscuris hujus libri sententiis abutuntur, ut acerbitatis suæ virus in Romanam Ecclesiam, ejusque Summum Pontificem, quem cane pejus & angue oderunt, evomere possint, dùm illam *Babylonem*, hunc verò *Antichristum* esse oblatrant.

Alia sunt Hęreticorum argumenta circà auctorem libri Apocalypseos, quem negant esse Ioannem Evangelistam. Primò, quia S.Ioannes nec in Evangelio, nec in suis Epistolis suum nomen præfixit; at verò in Apocalypsis libro illud sæpiùs repetitur: *Ego Joannes*, quod sanè ab illius Evangelistæ usu atque modestia videtur penitùs alienum. Secundò, antiquissimi Codices græci non habent nomen Ioannis Apostoli, seù Evangelistę, sed nomen Ioannis Theologi, qui videtur alius ab Apostolo, immò Apostolorum ęvo posterior. Tertiò, stylus Apocalypsis longè diversus est à stylo S.Ioannis in Evangelio & in suis Epistolis. Quartò, Eusebius & Dionysius Alexandrinus apud eumdem Eusebium dubitant, an auctor libri Apocalypsis fuerit Ioannes Apostolus, vel alius ejusdem nominis? Deniquè, auctor Apocalypsis meminit Ecclesiæ Thiatirenorum, tanquàm unius ex septem Ecclesiis ad quas scribit. Porrò, tempore S.Ioannis Evangelistæ & aliorum Apostolorum necdùm Thiatiræ fundata erat Ecclesia. Auctor igitur libri Apocalypsis non est S.Ioannes Apostolus.

Verùm hæc argumenta facilè solvi possunt. Ad primum quippè dico, Sanctum Ioannem suum Evangelio non prefixisse nomen, quia secutus est usum aliorum Evangelistarum, qui nec itidèm suum Evangeliis inscripserunt nomen. Historiam siquidèm Evangelicam non suo, sed totius Ecclesiæ nomine litteris consignarunt. At in libro Apocaly-

lypsis, qui multas complectitur prophetias, sectatus est Sanctus Ioannes morem Prophetarum, qui suum nomen frequenter inscribunt, repetunt & inculcant. Hinc Hieremias centiès viciès nomen suum inculcat, & in libro Danielis crebriùs repetitur: *Ego Daniel*, idemque videre est in aliis Prophetis, qui semper nomen suum scribunt initio Prophetiæ, quia cùm tota prophetiæ auctoritas pendeat ex auctore, periculum esset, nè ignorato auctoris nomine contemneretur prophetia.

Ad secundum dico, Apostolum Ioannem ab antiquis Sanctis Patribus fuisse appellatum *Theologum*, eo potissimùm nomine, quod præ cæteris Evangelistis de Christi Domini divinitate expressiùs scripserit, utpotè ab his verbis suum auspicatus Evangelium: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Undè ex eo *Theologi* cognomine potiùs evincitur, auctorem libri Apocalypseos esse Ioannem Apostolum, seù Evangelistam.

Ad tertium respondeò, quòd varietas materiæ, seù argumenti, diversum illum peperit stylum. Nam S.Ioannes in Evangelio & in Epistolis proprio & familiari usus est stylo, sed in Apocalypsis libro scripsit Ioannes quæ Angelus dictabat eo stylo, quo Deus eum uti voluit: Aliter autem homo in extasi & raptu loquitur atque scribit, aliter dùm communi & usitato more cogitata sua, seù sensus expromit. Addo, omnibus esse compertum, stylum, quem inter scribendum usurpant Prophetæ, esse paulò obscuriorem, adeòque nemini mirum videri debere, quòd stylus, quo usus est S.Ioannes in Apocalypsi fœta multis Mysteriis & Vaticiniis suum in fine temporum eventum habituris, diversus appareat ab illo, quo idem Apostolus usus est in Evangelio & in tribus suis Epistolis.

Ad quartum dico, Eusebium in Chronico Apocalypsis librum palàm tribuere S.Ioanni Apostolo, nec aliter saltèm expresse sentire in sua Historia Ecclesiastica. Non eo tamen inficias, Dionysium Alexandrinum super hac re pendulum, dubiumque hæsisse, sed ejus dubitationi prævalere debet totius

tius Ecclesiæ Latinæ constans traditio, cui accedit etiam auctoritas Patrum Græcorum, præsertim S.Iustini Martyris in Dialogo cum Tryphone, Irenæi lib.3. Clementis Alexandrini lib.2. Pedagog. cap.12. qui Apocalypsis librum S.Ioanni Apostolo adjudicant.

Ad ultimum momentum respondeo, Ioannem Apostolum in Apocalypsi prophetice loquentem scripsisse ad Ecclesiam Thyatirenorum, non quod id temporis jam fundata esset, sed quia haùd multò post stabilienda erat. Vel secundò dico, credibile esse, tempore S.Ioannis Apostoli jam extitisse Thyatiris fundatam Ecclesiam, tùm quia, ut dicitur Act. Apostol. cap.16. vers. 14. *Mulier quædam nomine Lydia, purpuraria Civitatis Thyatirenorum*, prędicatione Sancti Pauli fuit ad fidem conversa, quam multos ex eadem Civitate secutos fuisse probabile est; tùm quia etiam S.Ioannes diù circà illas Regiones verbum Dei prædicaverat, variasque constituerat Ecclesias. Undè verosimillimum est; jàm ævo S.Ioannis Apostoli jacta esse fundamenta Thyatirenorum Ecclesiæ.

PARAGRAPHUS TERTIUS,

In quo exhibetur Synopsis, seù brevis narratio rerum, quæ in libris & in Epistolis novi Testamenti continentur.

EO præcipuè collimant quatuor sacri Evangelistæ, ut ostendant in Iesu Christo Servatore nostro fuisse adamussim completa omnia, quæ Prophetæ vaticinati sunt de venturi Messiæ origine ex stirpe David, Conceptione & Nativitate ex Virgine, de ejus Divinitate, Vitâ, Doctrinâ, Miraculis, Morte, Resurrectione, & in Cælos Ascensione, de necessitate credendi in ipsum ut meditatorem inter Deum & homines, de vocatione Gentium &c. Undè, si quis conferre velit ea omnia, quæ in veteri Testamento ad Messiam pertinentia à Prophetis prænuntiata sunt, cum his, quæ in qua-

quatuor Evangeliis de Iesu Christo narrantur, è vestigio facilè comperiet mirificam esse eorum conspirationem & concordiam, summumque utriusque Testamenti consensum, quo Christianæ Religionis veritas continetur, & invictè contrà Iudæos, & Infideles stabilitur, sicut latè ostendimus in Tractatu *de Mysteriis & Annis Christi*. Ut autem palàm omnibus innotesceret Christianæ Religionis sanctitas, describit S.Lucas in Actibus Apostolorum primordia nascentis Ecclesiæ, seù primævos Christianorum mores, fervorem, mutuam charitatem, & in fide constantiam. Omnes etiam Apostoli in suis Epistolis eò certatim tendunt, ut Discipulos suos salutaribus documentis imbuant, eosque edoceant fidei nostræ rudimenta, sanctimoniam morum, & regulas ad totius Ecclesiasticæ Disciplinæ institutionem, ordinem, & statum omninò necessarias, ut videre est in quatuordecim Epistolis S.Pauli, & in septem Epistolis canonicis. Denique, nè Prophetiæ deessent in novo Testamento, Apost. Ioannes in libro prophetico Apocalypsis prædicit totius Ecclesiæ progressum & statum futurum sive quantùm ad prospera, sive quantùm ad adversa, seù persecutiones, quibus Ecclesia instar Navis in procelloso Mari jactari & fluctuare debet, sed non immergi. Hęc est totius novi Fœderis idęa generalis, quæ tamen cùm ad habendam notitiam rerum, quæ in eo narrantur, vel traduntur, sufficere non possit; rem Lectori non ingratam me facturum esse judicavi, si in hoc Paragrapho subjicerem Analysim omnium Librorum & Epistolarum novi Testamenti.

ANALYSIS
Evangelii S. Matthæi.

MAtthæus, qui & *Levi* dictus, suum conscripsit Evangelium, ut ostenderet, Iesum Christum esse verum Messiam Prophetarum oraculis prędictum. Undè primis quatuor Capitibus describit accuratissimè Genealogiam Christi, seù genus, quod duxit ex stirpe Abrahæ, ex Tribu

bu Juda, Davidicam illius & Regiam Propaginem, mirabilem Conceptionis modum, Nativitatem ex Virgine in Oppido Bethleem, regnante Herode Alienigena, Stellæ radiantis in Cælo apparitionem, Magorum ad ejus Cunas, accessum & adorationem, cruentam & post hominum memoriam Infantium ob Christum ab Herode occisorum funestissimam stragem, fugam in Ægyptum, Nazareni nuncupationem, Joannis Baptistæ præcursum, publica ipsius de Christo testimonia, sanctificatas Jordanis aquas Baptismate Christi, trinam ejus tentationem in Deserto, jejunium per quadraginta dies & totidèm noctes productum, atque Angelicam tunc ei exhibitam administrationem. Quæ omnia fuerant à Prophetis de Messia longè antehàc prænunciata, videlicet, quod oriundus esset ex semine Abrahæ: *In semine tuo benedicentur omnes Gentes*, Gen. cap.22. Ex prosapia Davidis Regis: *Egredietur Virga de radice Jesse*, Isaiæ capit.11. *Eccè dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo David germen justum, & regnabit Rex &c.* Hierem. cap.23. Quòd ex Virgine nasciturus esset: *Eccè Virgo concipiet & pariet filium*, Isaiæ cap.7. Quòd in Bethleem nasciturus esset: *Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israël, & egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis*, Michææ cap. 5. Quòd venturus esset post sublatum è Gente judaica sceptrum: *Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de fœmore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium*, Genesis cap.49. Quod vaticinium in Christi ortu, dùm in Judæa regnabat Herodes Alienigena, suum exitum habuit. Prædixerunt quoque Prophetæ, quòd Messias adorandus esset à Magis, Stella duce: *Orietur Stella ex Jacob*, lib.Numerorum cap.24. *Reges Arabum, & Saba dona adducent, & dabitur ei de auro Arabiæ*, Psalm.71. Quòd Præcursorem haberet, qui viam ejus præpararet: *Eccè ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante te*, Malachiæ cap.3. Quòd ei ministerium Angeli exhibituri essent: *Angelis suis mandavit de te*. Item, *in manibus portabunt te*, Psalm.90. Præte-

tereà, Matthæus in progressu Evangelii sui exhibet, Christum, tanquàm Legislatorem, novam cum auctoritate legem condentem atque promulgantem, & ad hoc Apostolos vocantem, & ad Judæis evangelizandum, atque dæmoniacos & infirmos curandos mittentem, doctrinam suam stupendis prodigiis confirmantem, Pharisæorum hypocrisim, & perversas Judæorum traditiones redarguentem, Petro Apostolorum Principi claves Regni Cælorum promittentem, suam Gloriam in Monte Discipulis præmonstrantem, negotiatores è Templo, quod debet esse pietatis Sanctuarium & orationis Domus, ejicientem, futura & arcana referantem, Templi eversionem, & Hierosolymæ destructionem, ob cæcitatem & reprobationem Judæorum, quam variis figuris & parabolis declarat, prædicentem. Quæ singula fuerunt itidèm à sacris Vatibus de Messia prædicta, nimirùm, quòd futurus esset novus Legislator: *Feriam domui Israël, & domui Judæ fœdus novum*, Hieremiæ cap. 31. Quòd miracula ad comprobandam doctrinam suam esset editurus: *Eccè Deus noster ipse veniet, & salvabit nos, tunc aperientur oculi cæcorum*, Isaiæ cap. 35. Quòd futurus esset Propheta & Sacerdos: *Prophetam suscitabo eis*, Deuteronomii cap. 18. *Tu es Sacerdos in æternum*, Psalm. 109. Tertiò, Evangelista Matthæus repræsentat Christum ut totius Generis humani Redemptorem per meritum Passionis. Undè narrat, quo pacto fuit à Juda osculo traditus, colaphis cęsus, injustè flagellatus, à Principibus Sacerdotum condemnatus, opprobriis saturatus, in Crucem actus, aceto potatus, & piè per manus fidelium sepulturæ juxtà ritus Judæorum mandatus. Quæ omnia de Messia vaticinati sunt Prophetæ, quòd scilicet morti esset tradendus: *Sicut ovis ad occisionem ductus*, Isaiæ cap. 53. Alapis percutiendus: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus & conspuentibus in me*, Isaiæ cap. 50. *In siti mea potaverunt me aceto*, Psalm. 21. Quòd esset crucifigendus: *Foderunt manus meas & pedes meos*, ibidem: *Aspicient ad me, quem confixerunt*, Zachariæ cap. 12. Quòd esset se-

ſepeliendus: *Et erit ſepulchrum ejus glorioſum*, Iſaię cap.11. Deniquè, Evangeliſta Matthæus Chriſtum exhibet ut mortis deſtructorem,& de ea glorioſum referentem triumphum, triduò poſt mortem propriâ virtute reſurgendo, ſicut prædixerant Prophetæ, præſertim Oſee cap.6. dicens: *Vivificabit nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos, & vivemus in conſpectu ejus*. Quapropter, ſi quis Matthæi Evangelium conferat cum Prophetarum libris, confeſtim fatebitur, omnia, quæ de Meſſia ſacri Vates cecinerunt, oracula, in Jeſu Chriſto Servatore noſtro fuiſſe adamuſſim completa, ac ſubindè illum eſſe verum Meſſiam Prophetarum vaticiniis prædictum. Evangelium Sancti Matthæi complectitur 28.Capita.

Analysis
Evangelii S. Marci.

Sanctus Marcus ſuum auſpicatur Evangelium à miniſterio & prædicatione Joannis Baptiſtæ, & poſtquàm perſtrinxit ea, quæ ſpectant Baptiſmum Chriſti in Jordane, tentationem illius in Deſerto, carcerem Joannis, prædicationem Chriſti in Galilæa, vocationem Apoſtolorum, totus deinde in id præſertim incumbit, ut oſtendat, Jeſum Chriſtum eſſe totius orbis ſupremum Moderatorem, ac Dominum. Hinc primò deſcribit ſummum illud Imperium, quo Chriſtus pollebat, in ſubſtantias ſpirituales, videlicet in Dæmones, quos ſuâ auctoritate ab Energumenorum corporibus expellebat, & in omnis generis morbos, quos curabat, ſanando ſocrum Simonis febricitantem & leproſum tactu ſuo mundando. Commendat divinam illam poteſtatem, quam Chriſtus habebat, remittendi peccata, dùm dixit Paralytico: *Fili, dimittuntur tibi peccata tua*, ſummum jus ſuam transferendi auctoritatem in alios, videlicet in Apoſtolos, quibus *dedit poteſtatem curandi infirmitates, & ejiciendi Dæmonia*, abſolutam facultatem diſpenſandi à lege, dicente Chriſto Phariſæis: *Sabbatum propter hominem factum*

ctum est, & non homo propter Sabbatum. Itaque Dominus est filius hominis etiam Sabbati. Deindè, sacer ille Evangelista transit ad imperium Christi in Ventos, & Mare, cui dixit: *Tace, obtumesce: & cessavit ventus, & facta est tranquillitas magna.* Describit potestatem vitæ & necis, quâ Christus potissimùm usus est, dùm sanavit mulierem à profluvio sanguinis, & ad vitam revocavit filiam Jairi Archysinagogi: *Et confestim surrexit puella & ambulabat, erat autem annorum duodecim, & obstupuerunt stupore magno.* Dùm etiam in Deserto quinque panes & duos pisces ita multiplicavit, ut ex eis paverit quinque hominum millia, & rursùs ex septem panibus quasi quatuor millia hominum satiaverit. Alia Miracula refert sacer ille Evangelista, quibus Christus ordinem naturæ immutavit, auditum & linguæ usum restituendo, visum cæco reddendo, corpusq; suum coram Petro, Jacobo & Joan. in excelso Monte transfigurando & illuminando. Narrat Marcus, quo pacto Christus reprobaverit traditiones Pharisæorum & Judæorum, & auctoritate suâ interpretatus fuerit, seù potiùs perfecerit Legem Mosaicam, circà institutionem matrimonii. Christum exhibet ut Prophetam, omnia, quæ sibi Hierosolymis mortem obituro, eventura erant, prænunciantem, & eversionem Templi, futura bella, afflictiones, persecutiones, abominationem desolationis, Pseudo-Christos, Pseudo-Prophetas, atque secundum suum in supremi Judicii die adventum prædicentem. Narrat, quomodò Christus pullo Asinæ insidens ingressus fuerit Hierosolyma, ficum arefecerit, ementes ac vendentes ejecerit è Templo, Judæis in ipsum rabie ac cæco furore actis parabolam proposuerit de Vinea elocata Agricolis, qui servos ac filium Patris-familias occiderunt, & Herodianos, à quibus interrogatus fuerat: *An liceret dare censum Cæsari, an non?* Necnon Sadducæos negantes mortuorum resurrectionem suis responsis mutos planè & elingues reddiderit. Deniquè, Evangelista Marcus omnes amaræ Christi Passionis circumstantias, patientiam, æquanimitatem, charitatem, graphicè repræsentat, totamque Historiam

riam Evangelicam potestate, quâ Christus mortem suâ morte destruxit, absoluit; ostendendo, Christum devicto mortis imperio, è tumulo surrexisse vivum, & perpetuò regnaturum in Cælos ascendisse. Evangelium S.Marci continet XVI. Capita.

Analysis
Evangelii S. Lucæ.

Sanctus Lucas in suo Evangelio in hunc scopum præcipuè collimat, ut evincat, Iesum Christum esse totius Mundi Salvatorem. Quamobrèm describit ingressum Christi in hunc Mundum per suam Incarnationem, progressum Christi in hoc Mundo per suam Prædicationem, egressum ejus è Mundo per probrosam & acerbam Passionem, postremò, regressum Christi, seù reditum ad Patrem per suam Resurrectionem, & in Cælos Ascensionem. In primis, Sanctus Lucas probat duplici momento, Christum, dùm per Incarnationem ingressus est in hunc Mundum, fuisse omnium hominum Servatorem. Primum petitur ex ipsius admirabili Conceptione, quam Angelus nunciavit, cujus auctor fuit Spiritus Sanctus in utero Virginis, & quam Elisabeth, Zacharias, & Ioannes Baptista in utero matris adhùc conclusus prædicarunt. Alterum momentum desumit S.Lucas ex Christi Domini Nativitate, quam Angeli suis cantibus per aëra celebratis nunciarunt, Pastores agnoverunt, & suis vaticiniis senex Simeon & Anna in Templo illustrarunt.699Præterea, Iesum Christum in suo progressu in hoc Mundo, idest, in suo cum hominibus convictu & conversatione, fuisse omnium hominum Salvatorem, ostendit sacer ille Evangelista, describendo illius Baptismum, in quo Christus ut Filius Dei, & hominum Salvator Mundo innotuit, referendo ejus jejunium in Deserto, patientiam, misericordiam ergà quoslibet variis calamitatibus jactatos, vel morbis afflictos, singularem benevolentiam ergà peccatores, quos provocavit ad pœnitentiam, tùm saluberrima contra solli-

ci-

citudinem temporalium, contra superbiam, avaritiam, gulam, scandalum, & iracundiam illis sub variis parabolis eorum captui accommodatis suppeditando documenta; tùm varia edendo miracula, tùm eligendo Apostolos & Discipulos, qui illos cælesti doctrinâ informarent, & virtute prodigiorum in fide solidarent. Denique, Christum in suo ex hoc Mundo discessu & reditu ad Patrem fuisse omnium Salvatorem demonstrat S.Lucas ex institutione Sacro-sanctæ Eucharistiæ, quâ tanquàm divinâ alimoniâ animas nostras Christus pascit, ex acerbissima Passione, quam in suo corpore constanti, infractoque animo pertulit, ex effusione & oblatione Sanguinis in ara Crucis, quâ nos Æterno Patri, cui eramus exosi, reconciliavit; necnon ex multiplici fructu quem ex gloriosa ejus Resurrectione, & in Cælos Ascensione percepimus. Evangelium Sancti Lucæ XXIV. habet Capita.

ANALYSIS
Evangelii S. Joannis.

TRes superiores Evangelistæ *in his maximè occupati sunt, quæ Christus in carne operatus est, & quæ præcepta mortalis vitæ exercendæ carnem portantibus tradidit. At verò Joannes super nubila infirmitatis humanæ velut Aquila volat, & lucem incommutabilis veritatis acutissimis, atque firmissimis oculis intuetur*, inquit S.Augustinus lib.1. de Consensu Evang. cap.6. At enim S.Matthæus sub hominis figura ostendit, Jesum esse hominem, seù Messiam in Lege & in Prophetis promissum. S.Marcus sub figura Leonis ostendit, Iesum esse supremum Regem & totius Mundi Dominum. S.Lucas sub figura Vituli ostendit, Iesum esse Salvatorem omnium. Sed S.Joannes sub figura Aquilę ostendit, Jesum esse Deum & Dei Filium. Eo siquidèm fine sacer ille Evangelista ad scribendum Evangelium appulit animum, ut Christi Domini adstrueret divinitatem. Quò fit, ut ea, quæ ad temporalem Christi generationem attinent, summatim & qua-

& quasi molli brachio attingens, totus in explicanda æterna generatione, quam Christus habet à Patre, immoretur, suasque ad eam referat cogitationes. Porrò, æternam Christi generationem expositurus S. Joannes, suum his verbis Evangelium auspicatur: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Per quam æternam & ineffabilem generationem habet Christus, seù Verbum Divinum, æqualitatem cum Patre in essentia, potentiâ, honore, dominio, scientiâ, felicitate, collatione gratiæ, ac parem in scrutandis cordium cogitationibus cognitionem & intelligentiam. Sed quia hæc æterna & incomprehensibilis Verbi Dei generatio omnem humanum captum excedit, ut omnibus hominibus faciliùs innotesceret Christi Divinitas, eam multifariàm probat S.Joannes. Primò, ex locupletissimo testimonio Joannis Baptistæ dicentis: *Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei*. Secundò, ex confessione Nathanaelis Christo dicentis: *Rabbi, tu es Filius Dei*. Tertiò, ex miraculis, quæ Christus edidit conversando cum hominibus, inter quæ potissimùm ista refert S.Joannes, videlicet aquam in vinum conversam in Nuptiis factis in Cana Galilææ, quas Christus præsentiâ suâ dignatus est; hominem ab hinc triginta & octo annis infirmitate detentum ad Piscinam confestim sanatum; quinque Virorum millia refecta & satiata quinque panibus & duobus piscibus miraculosè multiplicatis; Cæcum à nativitate illuminatum; Lazarum 4.diebus mortuum, jamq; fœtentem ad vitam verbo revocatum. Quartò, id probat ex summa humilitate cum infinito amore & heroicâ patientiâ conjunctâ, quam Christus exhibuit in Passione sua, sive dùm Cænam legalem cum Discipulis suis, postquàm eorum lavisset pedes, peregit, comedendo Agnum Paschalem pridiè quàm pateretur; sive dùm vehementissimos tàm in anima, quàm in corpore pro salute nostra pertulit dolores, & oravit pro his, à quibus in Crucem agebatur; sive dùm ejus innocentiam muta elementa non sine miraculo testata sunt. Deniquè, S.Joannes probat Divinitatem Christi ex ipsius Resurrectione ubique per An-

Angelicam Visionem, & multiplicem apparitionem Mundo manifestatâ, atque ex potestate remittendi peccata, quam post Resurrectionem suam Christus impertitus est Discipulis suis Spiritum Sanctum in eos insufflando. Quæ omnia luculentissima sunt Divinitatis Christi argumenta. Evangelium S.Ioannis constat Capitibus XXI.

ANALYSIS
Libri Actuum Apostolorum.

IN libro Actuum Apostolorum, cujus dignitatem ac præstantiam egregiè explicat S.Chrysostomus Homil.1. in Acta, texitur primò infantia nascentis Ecclesiæ, quæ per Ascensionem Christi Servatoris nostri fuit inchoata, redintegrata in electione Matthiæ suffecti in locum Iudæ proditoris, consummata per illapsum Spiritus Sancti in corda Discipulorum in die sacra Pentecostes, oppugnata à Iudæis, multiplicata in Hierusalem per conversionem trium millium hominum ad primam concionem Petri; item quinque millium, qui ad primum S.Petri miraculum fidem amplexi sunt, & in ea confirmati, rursùs per accessionem infiniti propemodùm numeri fidelium, qui Christianæ Religionis Mysteriis fuerunt initiati per prædicationem & ministerium Apostolorum, quorum miracula refert S.Lucas, sicut & incarcerationem Petri & Ioannis, eorum liberationem, stupendam mortem Ananiæ, & uxoris ejus, persecutionem à Sadducæis illatam Ecclesiæ, disputationem cum Sacerdotibus, & Gamalielis sententiam. Secundò, describitur propagatio Ecclesiæ per Iudæam, Samariam, & Antiochiam, ubi fideles cęperunt appellari *Christiani*. Nè autem impediretur prædicatio Apostolorum, crescente in dies fidelium numero, electi sunt septem Diaconi pleni Spiritu Sancto, qui inservirent mensis. Tertiò, narrat S.Lucas Stephani à Iudæis lapidibus obruti mortem; Sauli, seù Pauli conversionem; mortem Iacobi; Petri incarcerationem, ejus liberationem; & Herodis sęvientis in Ecclesiam supplicium.

De-

Deniquè, describit translationem Evangelii à Iudæis ad Gentiles. Undè enarrat Pauli prædicationes, cujus comes Barnabas erat, videlicet in Cyprum, Iconium, Syriam, Ciliciam, Hierosolymam, Macedoniam, Græciam, in qua sapientia solium suum & imperium fixisse videbatur, Ephesum, Melitum, & Romam, ubi supremum in totum Orbem vigebat dominium. Ex qua Evangelii propagatione non sine miraculo facta, contigit, ut Ecclesia post varias, quibus hàc illàc jactata est, procellas, ac persecutiones, devictâ tandèm inani Græcorum sapientiâ, & subactâ Romanorum potentiâ, de præcipuis Orbis partibus Apostolorum prædicatione triumphaverit. Liber Actuum Apostolorum continet Capita XXVIII.

Analysis
Epistolæ Pauli ad Romanos, & Ordo 14. ejus Epistolarum.

Acrior illa contentio de meritis operum & justificatione, quæ in nascentis Ecclesiæ aurora Iudæos inter & Gentiles ad Christi fidem conversos emersit; occasionem suppeditavit Apostolo Paulo hanc ad Romanos scribendi Epistolam. Iudæi quippè typho superbiæ tumidi Ethnicis, qui Christianæ Religioni nomen dederant, se se anteponendos esse magno animorum æstu pertendebant eo potissimùm nomine, quòd ipsis credita essent eloquia Dei, Lex divinitùs per Moysem data, Patriarcharum & Prophetarum oracula tradita, promissa & pacta Dei cum Patribus eorum inita, maximè de mittendo Messia, qui reverà ex ipsis natus erat. Quæ omnia singularia Dei beneficia majorum suorum meritis, suisque accepta referebant Iudæi. E' contrà verò Fideles ex Gentilibus primas ambiebant, & Philosophorum suorum sapientiam ac virtutes plenis buccis crepantes, dictitabant, Iudæos minùs esse dignos Evangelii gratiâ, atque promissis, quòd veri Dei illuminati notitiâ, multisque à Deo beneficiis cumulati, sæpiùs tamen in Idololatriam essent pro-

lapſi, & per ingratitudinem poſt homines natos maximam Ieſu Chriſti Filii Dei doctrinam auſcultare detrectaſſent, miracula contempſiſſent, eumque probrosâ morte affeciſſent. Huic in dies gliſcenti contentioni ac diſſidio, quod in apertum ac funeſtum ſchiſma erumpere potuiſſet, præſentiſſimum remedium afferre volens Apoſtolus, utriſque hac Epiſtolâ ſilentium imponit, & tàm Iudæorum, quàm Gentilium ſupercilium ac faſtum reprimit. In primis, coercet arrogantiam Gentium, oſtendens, nihil illis profuiſſe neque naturæ legem, neque Philoſophiam, cujus profeſſione inſuperbiebant, quominùs in omne ſcelerum dedecus prolaberentur. Rursùm Iudæorum faſtum deprimit, docens Legis cæremonias antiquatas eſſe jam coruſcante Chriſti Evangelio, quem legis umbræ delineaverant. Et ad eum modum detracto utriſque ſupercilio, ademptâ utriſque fiduciâ ſui, omnes ęquat in negotio Fidei Evangelicæ,aſſerendo, omnes ſub peccato eſſe, & egere gratiâ Chriſti omnium Servatoris, cujus medicinalis gratiæ neceſſitatem, originem, efficaciam, & uſum uberrimè explicat Apoſtolus, bona, quæ per eam conſequimur, mala, à quibus per puram Dei miſericordiam liberamur, enumerat. Sacrum Prædeſtinationis Myſterium non ex operum præcedentium meritis pendere (alioqui gratia jam non eſt gratia, ſi ex meritis datur) ſed in divina electione ſitum eſſe docet, cujus ſecretum nobis omninò impervium eſt, nec ullâ planè ratione inveſtigari poteſt. Hinc variam, multiplicemque doctrinam tradit Apoſtolus de Prædeſtinatis, de Præſcitis, de Vocatis, de Gratia & Merito, de Libero Arbitrio, de Divino Conſilio nobis inſcrutabili, de Lege Naturæ, de Lege Moyſi, de Lege Peccati &c. Poſtremò, concludit Apoſtolus, Iuſtificationem eſſe gratuitum Dei donum, ac ſubindè nec ex obſervatione Legis, nec ex operum meritis, ſed ex fide Chriſti proficiſci, neminemque ſive ex Iudæis, ſive ex Gentilibus æternam ſalutem conſequi poſſe, niſi per fidem in Ieſum Chriſtum propitiatorem ac mediatorem inter Deum & homines conſtitutum. Continet hæc Epiſtola XVI. Capita.

Hæc

Hæc Epiſtola ad Romanos ſcripta eſt ab Apoſtolo, dùm eſſet Corinthi, ut probat Origenes, Præfat. in Epiſt. ad Romanos, & quamvis in Bibliis noſtris, habitâ ratione dignitatis Eccleſiæ Romanæ, ad quam directa eſt, ante alias omnes Epiſtolas Paulinas collocetur, attamen ordine temporis, & ſcriptionis non eſt prima, ſed tantùm ſeptima, ſicut ex Epiſtolis S.Pauli cum Hiſtoria Actuum Apoſtolorum collatis evincit Theodoretus, Pręfat. in Epiſtolas Sancti Pauli. Iuxtà igitur ordinem temporis ſic diſponi debent Epiſtolæ Paulinæ. Primum locum occupat Epiſtola 1. ad Theſſalonicenſes, quam proximè ſecuta eſt altera Epiſtola ad Theſſalonicenſes. His ſuccedunt Epiſtolæ prima & ſecunda ad Corinthios, Epiſtola prima ad Timotheum, Epiſtola ad Titum, ſeptima Epiſtola ſcripta eſt ad Romanos, octava, ad Galatas; nona, ad Philippenſes, decima, ad Philemonem; undecima, ad Epheſios; duodecima, ad Coloſſenſes; decimatertia, ad Hebræos. Denique, omnium ultima ſcripta eſt Epiſtola ſecunda ad Timotheum. Hic eſt ordo temporis Paulinarum Epiſtolarum. Eo tamen ordine hic Epiſtolas Pauli referemus, quo in Bibliis noſtris leguntur, ſed non ordine temporis, quo ab Apoſtolo Paulo fuerunt conſcriptæ.

Analisis
Primæ Epiſtolæ Pauli ad Corinthios.

Poſtquàm Apoſtolus Paulus per annum integrum & ſex menſes verbum Dei diſſeminaſſet in populoſiſſima urbe Corinthi, quæ celeberrimum erat totius Achajæ & Gręciæ emporium, ibique nobilem fundaſſet Eccleſiam totius Achajæ Metropolim, contigit, ut poſt ipſius diſceſſum errores, abuſus, vitia, ſcandala, diſſenſiones cęperint in hac Civitate pullulare, quæ Apoſtolum ad hanc priorem ad Corinthios ſcribendam Epiſtolam impulerunt. Alii ſiquidèm ob Philoſophiæ ſtudia, quæ ab antiquo ibi florebant, inani philautiâ tumidi, prædicationis Evangelicæ ſimplicita-

tem fastidiebant, & Paulum tanquàm virum minùs disertum despiciebant. Hinc ortæ dissensiones & contentiones ex nimio ergà Magistros studio, & nata temeraria de Dei Ministris judicia. Hinc illæ dissidiorum voces: *Ego Appollo, ego Cephæ, ego Pauli*. Alii horrendis scortationibus contaminabantur, ita ut Incestus publicus Privigni cum Noverca impunè toleraretur. Alii Idolothytis, seù escis oblatis Idolis non sine aliorum offensione vescebantur. Plurimi apud Iudices Ethnicos in judicium Christianos fratres vocabant. Illi, qui opulenti erant, Agapes & populares cœnas in Ecclesia frequentabant rejectis pauperibus. Nonnulli tandèm de futura universali hominum resurrectione præposterè addubitabant. Ut igitur tot mala, quæ in Corinthiorum Ecclesia serpebant, radicitùs extirparet Apostolus, carpit hac in Epistola eorum inanem fastum & arrogantiam, quâ, quęsito mundanæ eloquentiæ apparatu, Ministrorum Evangelicæ prædicationis simplicitatem contemptui habebant. Secundò, illos perstringit, quod nullâ pœnâ animadverterent in hunc Incestuosum, qui sacrilegâ libidine rem cum Noverca habuerat, quem ipse, ob tanti sceleris gravitatem, à sacris Mysteriis arcet. Tertiò, Apostolus docet Corinthios, quantâ sedulitate improborum consortia, & societates vitare, atque à dissidiis, contentionibus, & aliis vitiis fidei Evangelicæ oppositis debeant abstinere. Quartò, discutit & elucidat nonnulla dubia, quæ ipsi a Corinthiis fuerant proposita de Matrimonio & ejus Legibus, de viduitate, de impari connubio, de divortiis, de virginitate, de cælibatu, de Idolothytis, & de resurrectione. Quintò, resecat Apostolus abusus, qui apud Corinthios irrepserant in celebrationem Cęnæ Dominicæ, & Sacro-sanctæ Eucharistiæ dignitatem ac usum dedecorabant. Sextò, agit de donis gratiarum & eorum effectibus, præfertque charitatem omnibus donis. Demùm adhortatur Corinthios, ut eleemosinas ante ejus reditum colligant ad sublevandas miserias pauperum fidelium, qui in Iudæa vexabantur. Hæc Epistola fuit à S.Paulo scripta non Philippi, ut habet subscriptio græca, sed Ephesi, ut col-

colligitur ex cap. 16. verſ. 8. & 19. fuitque miſſa per Stephanam, Fortunatum, & Achaicum, qui ad Paulum miſſi fuerant à Corinthiis, ſicut conſtat ex capit. ult. verſ. 17. & 18. Continet autem Capita XVI.

Analysis
Epiſtolæ ſecundæ ad Corinthios.

TRiplici præcipuè de cauſa adductus eſt Apoſtolus Paulus ad ſcribendam alteram Epiſtolam ad Corinthios. Primò, ut ſe ſe excuſaret, quod necdùm ſtare potuiſſet promiſſis, quibus in ſuperiori Epiſtola cap. 16. fidem Corinthiis obſtrinxerat, ſe venturum ad illos, poſtquàm Macedoniam pertranſiſſet, quod tamen executioni mandare nequiverat, quia ex Dei ordinatione coactus fuerat diutiùs cunctari ac moras trahere Epheſi ad dirimenda negotia longè magis neceſſaria, & removenda pericula opus Dei interturbantia. Secundò, cùm Timotheus à Paulo ad Corinthios miſſus rediiſſet ad illum, eique nunciaſſet ad meliorem frugem Corinthios eſſe receptos, & publicum Inceſtuoſum ad ſalutarem pœnitentiam adductum, Apoſtolus tàm læti nuncii gaudio perfuſus neceſſarium duxit alteram ad Corinthios ſcribere Epiſtolam, ut eos conſolaretur, quos in priori Epiſtola increpando mœſtitiâ ad tempus impleverat. Undè in hac ſecunda Epiſtola non ſolùm blandioribus verbis Corinthiorum corda emollit ac demulcet, ſed etiam Inceſtuoſum publicâ pœnitentiâ abſolvit ac veniâ donat. Tertiò, quia nonnulli Pſeudo-Apoſtoli ſuo ſervientes quæſtui, ſuæ ſtudentes gloriæ nuſquàm non pelliciebant ad Legis Moſaicæ obſervationem, & hàc illàc circumcurſantes doctrinam Sancti Pauli, cujus erant æmuli, palàm apud Corinthios deprimere ac criminari ſatagebant, has calumnias Pſeudo-Apoſtolorum, qui fructum prædicationis ejus præpedire moliebantur, retundere hac in Epiſtola ac refellere voluit Apoſtolus, enumerando conditiones Apoſtolatus, labores, quos ipſe exantlaverat, pericula mortis, quæ conſtanti animo ſu-

ſubierat in propaganda fide Chriſti per varias Nationes, quas ad obeundum miniſterium ſibi à Deo demandatum perluſtraverat. Narrat etiam factas ſibi ante annos quatuordecim divinas Viſiones & Revelationes. Sed nè in Apologia, quam ad propulſandas Pſeudo-Apoſtolorum calumnias invitus adornabat Apoſtolus, gloriæ cupiditati plus æquo ſervire videretur, è veſtigio ſubdit ſe compulſum eſſe, ut ſe ipſum laudaret. Deniquè, poſtquàm Apoſtolus Corinthios hortatus eſt ad eleemoſynam pauperibus, qui Hieroſolymis degebant, prompto & alacri animo tribuendam Macedonum exemplo, invehitur tàm in Pſeudo-Apoſtolos, qui Corinthios deceperant, quàm in illos, qui eis adhęſerant, eoſque ſedulò admonet, ut tandèm reſipiſcant, nè ad illos veniens inveniat aliquos diſſenſionibus, aliiſque vitiis implicitos, quos cogatur ſeverè caſtigare, utendo datâ ſibi à Chriſto poteſtate. Hæc Epiſtola ſcripta eſt ex Macedonia, & miſſa per Titum & Lucam, ſed ex qua Macedoniæ urbe ſcripta ſit? incertum omninò eſt. Quidam tamen Codices Græci, Syriaci, & Latini eam Philippis in Macedonia ſcriptam eſſe docent. Conſtat hæc Epiſtola Capitibus XIII.

ANALYSIS
Epiſtolæ ad Galatas.

QUidam Pſeudo-Apoſtoli ſemi-Judæi, cùm nullum non moverent lapidem, ut Apoſtoli Pauli auctoritatem modis omnibus elevarent, doctrinam labefactarent, & Eccleſias, quas prædicatione ſuâ inſtituerat, perturbarent, Evangelicæ doctrinæ tritico ſuperſeminantes zizania; perſuaſerunt Galatis, quos Apoſtolus fide Chriſti recens imbuerat, Circumciſionem, aliaſque Legis Moſaicæ cæremonias cum Evangelio eſſe ſuſcipiendas, hominemque ex operibus juſtificari. Quâ de re ubi Paulus, qui tùm temporis abſens erat, certior factus eſſet, abjectâ omni cunctatione ad univerſos fideles Galatiæ (quæ eſt Regio minoris Aſiæ, quæ etiam Gallo-Græcia dicta eſt) hanc direxit Epiſto-

ftolam, in qua duo potiffimùm præftat. Primò, quia Pfeudo-Apoftoli perfonam ejus defpiciebant, illiufque doctrinam non folùm fufpectam & exofam reddebant, fed etiam doctrinæ, quam alii diffeminabant Apoftoli, contrariam effe effutiebant, dictitantes, Paulo fidem non habendam, qui fibi non conftaret, nunc Legis utens cæremoniis, fufceptis votis, rafoque capite, & circumcifo Timotheo, nunc cum Ethnicis Legem negligens ac damnans; ideò Apoftolus, ut fuæ doctrinæ auctoritatem conciliet, ait, fe eam neque ab hominibus, neque per hominem, fed per Jefum Chriftum, & Deum Patrem didiciffe. Ex ea libertate, quâ S.Petrum propter legalium obfervationem reprehendit, ex fua fingulari ad Apoftolatum vocatione, & ex immenfis, quos pro Chrifto exhauferat, laboribus probat, fe non inferiorem effe aliis Apoftolis, à quorum doctrina fe ne latum quidèm unguem defcifcere, evincit tùm ex collatione habitâ cum illis, tùm ex dextris fibi datis a Petro, Jacobo, & Joanne, qui Ecclefiæ videbantur effe columnæ. Secundò, Apoftolus accedens ad præcipuum fuæ Epiftolæ caput, quod fpectat juftificationem, docet nos per Chriftum libertate donatos ambulare in fpiritu & non in carne, legem obfervare non timore temporalis pœnæ, fed amore juftitiæ; fub gratia nos effe, non fub lege; hominem non ex operibus juftificari, nec Legem, nec Circumcifionem prodeffe ad falutem, fed fidem Chrifti, quæ per dilectionem operatur. Profert incommoda, quæ fequuntur eos, qui fervant legalia, quod videlicet Chriftus nihil illis proderit, quod ad univerfam legem obfervandam obftringentur, & quòd ficut fervi fub lege erunt, & non ficut liberi fub gratia conftituti. Oftendit in Lege Mofaica fuiffe carnem, fed in Lege Evangelica effe fpiritum, in illa umbras, in ifta lucem, in illa imagines, in ifta veritatem, in illa fervitutem, in ifta libertatem. Poftremò hortatur ad Chriftianam concordiam, ad fublevandos infirmos, aut lapfos, ad benè merendum de his, à quibus cælefti fuerunt doctrinâ imbuti. Hæc Epiftola Ephefi ab Apoftolo fcripta videtur, & continet Capita VI.

Ana-

ANALYSIS
Epistolæ ad Ephesios.

POstquàm Apostolus Paulus per triennium in urbe Ephesi (quæ Asiæ minoris Metropolis erat, & Dianæ, prę cęteris Numinibus, cultu; Pilosophorum & Oratorum, qui ex ea prodierant, numero, toto Orbe celebratissima) verbum Dei indefesso studio prædicasset, & in ea Idololatriam tot annorum diuturnitate roboratam, & Magiam ibi regnantem profligasset, atque nobilem constituisset Ecclesiam; voluit Ephesios præcipua Religionis Mysteria, & Christianæ vitæ officia pleniùs edocere, quod sanè cumulatissimè istâ præstitit Epistolâ, quæ à capite ad calcem referta est dogmatibus planè cælestibus, sententiis sublimibus, & ad probè informandos fidelium mores salutaribus documentis. Primò siquidèm in tribus prioribus capitulis agit Apostolus de œconomia Gratiæ & Misericordiæ Dei, & de præcipuis illius effectibus, qui sunt Electio, seù Prædestinatio Christi & Sanctorum; Justificatio, Fides, & Redemptio per mortem Christi; Exaltatio, seù Glorificatio Christi; Vocatio Gentium omninò gratuita, Ministerium Apostolorum &c. Secundò, in tribus sequentibus capitulis disserit in genere de moribus, videlicet de servanda concordia, idest, unitate spiritus, de humilitate, charitate, pudicitiâ, veritate, patientiâ, strenuitate, benignitate, imitatione Dei, prudentiâ, sobrietate, & oratione. In particulari autem virorum & uxorum; parentum & liberorum; dominorum & servorum officia præscribit & egregiè explicat Apostolus. Tandèm sub finem Epistolæ omnes & singulos Christianos ad perseverantiam in fide & in exercitio virtutum adhortatur, quia vita hominis est militia super terram, & perpetuò nobis luctandum est contra Dæmonem, Mundum, & Carnem. Undè proponit omnibus Christianis communem armaturam, seù arma illis suppeditat, quibus muniti tot irrumpentes hostes expugnare & vincere possint. Hæc Epistola scri-

scripta est Romæ ex vinculis, quorum meminit Paulus capitibus tertio & ultimo hujus Epistolæ, & missa fuit per Tichycum Diaconum, cujus mentionem facit Paulus in calce ejusdem Epistolæ, quæ sex complectitur Capita.

Analysis
Epistolæ ad Philippenses.

HÆc Epistola, quam scripsit Apostolus ad Philippenses (ita dictos ab urbe *Philippos*, quæ primaria erat Macedoniæ civitas, à Philippo Macedoniæ Rege conditâ, vel instaurata, & ex ejus nomine appellata) totius Doctrinæ Christianæ quasi Synopsis est, & purioris Ethices compendium. Nam primò, postquàm Apostolus gratias egit Philippensibus de subsidio sibi per Epaphroditum misso, impensè laudat eorum pietatem, fervorem & constantiam in fide, quòd scilicet non admiserint Pseudo-Apostolos, quibus auscultarant Corinthii & Galatæ. Hortatur illos ad mutuam dilectionem, ad obedientiam omnibus suis Prępositis pręstandam, & recensendo illas, quas Romæ in vinculis patiebatur, tribulationes propter Evangelium Iesu Christi, ad easdem passiones animosè ferendas provocat; multaque sparsim tradit id genus pręcepta ad piè, sanctèque mores instruendos apprimè necessaria. Secundò, Divinitatem Christi, ejus Incarnationem, atque adeò duas naturas in una persona conjunctas exponit, merita illius infinita commendat, necnon exinanitionem usque ad mortem Crucis, in cujus summę humilitatis pręmium ait Apostolus, Christum accepisse nomen à Patre omni nomine augustius ac sublimius. Tertiò, exaltationem, seù glorificationem Christi in sua triumphali Resurrectione, Ascensione, & in suprema in Cœlis Dominatione enarrat. Quartò, pręmonet Philippenses, ut sibi caveant à Pseudo-Apostolis, qui ultrò & citrò cursantes, falsam doctrinam fidelibus instillabant, suadentes unà cum Evangelio retinendam esse Legis Mosaicæ observantiam, quos Canes appellat, operarios iniquitatis, ini-

micos Crucis Christi. Eosque docet, Iustificationem & salutem gratiæ Iesu Christi esse adscribendam. Postremò, ad sui imitationem, ad perseverantiam, spirituale gaudium, orationem, modestiam, pacem, & fructum bonorum operum eos inducit & efficaciter adhortatur. Scripta est hæc Epistola Romæ tempore primæ custodiæ & vinculorum Pauli, & missa per Epaphroditum, postquàm ex periculosissima ægrotatione, in quam Romę inciderat, convaluisset. Continet hęc Epistola Capita IV.

ANALYSIS
Epistolæ ad Colossenses.

CUm Apostolus Paulus accepisset ab Epaphra, qui Colossenses in fide instituerat, quod quidam Pseudo-Christiani, maximè *Simoniani*, Legis Mosaicę observationibus, superstitionibus judaicis, & Philosophorum figmentis corrupissent doctrinam Evangelicam, quam Colossensibus prędicaverat ille Apostolorum Discipulus, docentes, non Christum, sed Angelos nostræ salutis esse mediatores, & Filium Dei esse majorem, quàm ut eo mediatore nobis uti liceat; necessarium pro suo zelo & munere Apostolico duxit Paulus hanc ad Colossenses scribere Epistolam, ut illos in fide, quâ ab Epaphra imbuti fuerant, confirmaret, eisque demonstraret, Iesum Christum esse reverà Mediatorem Dei & hominum, in quem, repudiato inani Angelorum cultu, & ablegatâ vanâ Philosophorum doctrinâ, atque relictâ Legis Mosaicæ observantiâ, unicè intendere & sperare debebant. Quapropter, primò docet illos Apostolus, nonnisi per Christum Dei Filium, qui est imago Dei invisibilis, qui habet Principatum ac primatum super omnia, qui est Caput corporis Ecclesiæ, nos reconciliari Deo. Undè illos monet, nè se in Religione Angelorum, quasi salutis nostræ mediatores essent, seduci & à fide Christi abduci unquàm patiantur. Secundò, declarat Apostolus, Christum Dominum, deleto in Cruce peccati chyrographo, de Diabolo triumphasse, ut nos

nos ab ejus tyrannide eriperet, & à legalium cæremoniarum duro jugo liberaret. Hinc illos hortatur, nè falsis persuasionibus Philosophorum, aut Judaizantium Pseudo-Apostolorum, qui peregrinam doctrinam illis afflabant, fidem ullam adhibeant. Denique, egregia tradit Christianæ vitæ instituendæ præcepta, ostendens exuendum esse veterem hominem, & Christum induendum, ac singulis præscribens officia, quibus eos ad omnem virtutem informat, maximè ad charitatem, quæ est vinculum perfectionis. Hæc Epistola scripta est Romæ, & missa per Tychicum, & Onesimum Colossensem, ut non solùm in Colossensi, verùm etiam in Laodicensi legeretur Ecclesia, ut constat ex capite ultimo illius Epistolæ. Colosse autem est civitas Phrygiæ, quæ est in Asia minore non procùl ab Hierapoli, & Laodicea. Continet hæc Epistola Capita IV.

Analysis
Epistolæ primæ ad Thessalonicenses.

Apostolus Paulus Thessalonicæ, quæ Macedoniæ Metropolis erat, jecit fundamenta fidei, quam Thessalonicenses maxima cum alacritate exceperunt. Sed cùm id admodùm ferrent Judæi, turbâ factâ concitarunt Civitatem adversùs Paulum, qui, ut periclitanti vitæ suæ consuleret, & insidias, quas ipsi struxerant Judæi, declinaret, venit Beroëam, inde profectus est Athenas, ubi tres circiter menses prędicando verbum Dei cùm fuisset commoratus, adiit Corinthum, quò ad eum pervenerunt *Silas*, & *Timotheus*, qui Paulum certiorem fecerunt de constantia, quâ Thessalonicenses domesticas inter & intestinas persecutiones in accepta fide nullis adversitatibus fracti ac concussi invictè perstiterant, nec ullo Pseudo-Apostolorum suasu ab Evangelica institutione deflecti potuerant. Quâ de causa Apostolus repletus solatio hanc primam ad Thessalonicenses direxit Epistolam, in qua primò eos laudat de perfectione, fide, patientia, & propensiori charitate tùm ergà se, tùm ergà

cæteros verbi Dei Miniſtros, eoſque in tribulatione conſolatur, ſuam ergà illos benevolentiam declarando, atque illis gratulando, quod ipſius imitatores facti ſint, & Domini noſtri Jeſu Chriſti & forma omnium credentium in Macedonia, & in Achaja. Secundò, monet illos, ut caveant à fornicatione, ab omni immunditia, & à cupiditate rerum alienarum. Quoſdam inter illos reprehendit, qui, Ethnicorum inſtar, nimiâ de Parentum ſuorum obitu triſtitiâ conficiebantur, quos certiſſimâ Reſurrectionis ſpe ſolatur, & quia nonnulli inter Theſſalonicenſes de tempore extremi Judicii nimis anxii ac ſolliciti erant, tradit eis veram de extremo Judicio doctrinam, eos hortatur, ut ſedulò invigilent, & bonis operibus incumbant, nè extrema Judicii dies, quæ omnes latet, imparatos opprimat. Denique, plura ſubjungit Chriſtianæ moralis principia, quibus perſuadet Theſſalonicenſibus, ut charitatis officia ergà ſe invicem exhibeant, ac in omnibus ſuis Præfectis obſequantur, maximè Timotheo, quem ad eos remiſit unà cum hac Epiſtola, quæ continet Capita v.

ANALYSIS
Epiſtolæ ſecundæ ad Theſſalonicenſes.

CUm Theſſalonicenſium animi metu extremi Judicii quaſi jam jam inſtantis territi fuiſſent à quibuſdam falſis Doctoribus, qui, ut pecuniam emungerent, proximum eſſe Mundi finem & in januis eſſe ſupremi Iudicii diem audacter affirmabant; idque falsâ interpretatione primæ Epiſtolæ Pauli ad Theſſalonicenſes, aut ex ementita ſub nomine Pauli Epiſtolâ temerè in vulgus ſparsâ totis viribus confirmarent. Hanc ſecundam Epiſtolam Paulus ad Theſſalonicenſes ſcripſit, ut eos à vano illo timore revocaret, & circà extremi Iudicii diem mentem ſuam aperiret. Quamobrèm, primò illos docet non priùs Chriſtum ad Iudicium venturum, quàm apparuerit homo peccati, filius perditionis, ideſt, Antichriſtus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris

oris sui. Secundò, illorum mores ad pietatem informat, prȩcipiendo, ut traditiones sive per sermonem, sive per Epistolam à se acceptam jugiter servent ac teneant, eosque monendo ut corripiant, non tanquàm inimicos, sed ut fratres, errantes, otiosos, inquietos, & vitent consortium ac societatem illorum, qui inordinatè ambulant, quique nihil operantes, sed curiosa sectantes lucrum pietatem putant, & ex Evangelio pecunias, quibus inhiant, corradere student. Hæc Epistola eodem anno, eodemque loco, quo prior scripta est, & continet Capita III.

Analysis
Epistolæ primæ ad Timotheum.

Timotheus ex matre Iudȩa, sed Christiana, patre verò Grȩco & Gentili oriundus, quem Paulus adhùc adolescentem Ephesiorum Episcopum consecrarat, documentis opus habebat, ut boni Pastoris officia dignè, utì par est, in Ecclesia obire, atque implere posset. Hinc Apostolus ad ipsum scripsit priorem istam Epistolam, è qua non solùm Timotheus, sed & omnes Ecclesiæ Antistites & Doctores officii sui rectè administrandi præcepta haurire, oves suæ curæ concreditas diligentissimè regere, & incursantes Lupos ab ovili arcere possent. Primò igitur Apostolus, præmissâ hac in Epistola gratulatoriâ salutatione, monet Timotheum, ut attento studio invigilet contra Pseudo-Apostolos, qui genealogiis & fabulis judaicis indulgentes à sincera & simplici Evangelica doctrina fideles avocabant. Secundò, jubet publicas fieri orationes pro omnibus, etiam pro Principibus Ethnicis, subjungens præcipuas virtutes, quæ Christianas mulieres decent, videlicet modestiam in ornatu, silentium in Ecclesia, viris subjectionem. Tertiò, quales sint ordinandi Episcopi & Diaconi prȩscribit, eorumque dotes & officia postquàm exposuit, Timotheum hortatur ad vitæ austeritatem, ad misericordiam & pietatem, ad studium & lectionem, ad contemplationem, ad subveniendum vi-

viduis, de quarum institutione sanctissimas regulas tradit, ad instruendos homines, & erudiendos præsertim divites, salubris doctrinæ prædicandæ formam edocet. Quartò, Presbyteros, qui benè pręsunt, duplici honore dignos, accusationem adversùs Presbyterum non facilè esse recipiendam, & manus nemini citò imponendas decernit. Deniquè, postquàm Timotheum adversùs instantes hęreses pręcipuè Encratitarum & Marcionitarum, qui superstitiosum ciborum delectum admittebant, & matrimonium improbabant, pręmunivit, docet illum, qualiter se se gerere debeat sive in ordine ad se, sive in ordine ad multitudinem domesticæ familiæ, & ergà omnes cujuslibet sexus, ętatis & conditionis homines sibi subjectos, erga grandes natu viros, erga juvenes, erga anus, erga puellas, erga viduas divites, vel pauperes & Ecclesiæ stipe alendas; qualiter etiam, virulenta vitando Hęreticorum dogmata, debeat fidei depositum custodire, & prophanas abhorrere vocum novitates. Probabilius est, hanc Epistolam fuisse scriptam à S. Paulo, dùm esset in Macedonia, ut censet Baronius ad annum Christi LVII. Quapropter ab inerudita manu fuerunt corrupti illi Codices Gręci, in quibus legitur, hancce Epistolam fuisse ex Laodicea scriptam. Testatur quippè S. Paulus in Epistola ad Colossenses, se à Laodicensibus visum non fuisse. Hęc Epistola continet Capita VI.

ANALYSIS
Epistolæ secundæ ad Timotheum.

Hujus secundæ Epistolæ idem fermè est ac pręcedentis argumentum. In ea siquidèm Apostolus postquàm suum erga Timotheum paternum ostendit affectum, iterùm ipsi ob oculos ponit munia, quæ bonus & legitimus Pastor tùm erga se, tùm erga oves exercere debet, sive intrepidè Evangelium prędicando, sanam doctrinam ex Scriptura Sacra edocendo, fideles exhortando, depositum fidei custodiendo & tradendo aliis, qui sint ad docendum idonei, sive

five peccatores arguendo, contentiones, vaniloquia, ſtultas legis quæſtiones vitando, & confutando Hęreticos, qui per cuniculos, & mille nocendi artes prophana dogmata invehere nituntur. Pręthereà, Timotheum munit Apoſtolus contra inſtantes perſecutiones, eumque ſuo exemplo inducit ad patientiam, ad lectionem aſſiduam & jugem Scripturæ Sacræ meditationem. Pręnunciat noviſſimorum temporum pericula, ſeù futuros aliquandò homines variis onuſtos peccatis, qui mulierculas ſeducentes, veritatem aperta fronte oppugnabunt. Timotheum per Chriſti judicium etiam atque etiam obteſtatur, ut ſe falſis Doctoribus, eorumque Sectatoribus tanquàm murum æneum opponat inſtando doctrinæ & ſollicitudini, pręedicando, vigilando, & miniſterium ſuum fideliter & cum omni ſedulitate ac zelo adimplendo. Deniquè, mortem ſibi imminere, & pro tot in Apoſtolico munere exantlatis laboribus, ſibi à Deo deſtinatum pręmium declarat Apoſtolus cap.4. his verbis: *Ego enim jam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat. Bonum certamen certavi: curſum conſummavi, fidem ſervavi; in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ*. Ex quibus verbis rectè colligunt Viri eruditi, hanc Epiſtolam fuiſſe ſcriptam ab Apoſtolo Paulo Romæ in ſecundis ipſius vinculis, & paulò ante ejus Martyrium. Miſſa autem eſt per Tychicum, & continet Capita IV.

Analysis
Epiſtolæ ad Titum.

HÆc Epiſtola ejuſdem penè argumenti eſt, ac duæ præcedentes ad Timotheum. Nam in ea Apoſtolus Titum Diſcipulum ſuum, ac filii loco habitum, quem Cretę maximæ Inſulę Epiſcopum inauguraverat, dotes ad ſacrum illud munus obeundum neceſſarias edocet. Undè, quia Epiſcopis tria potiſſimùm incumbunt officia, nimirùm inſtituendi Miniſtros, erudiendi fideles, & arguendi eos, qui ſanæ doctrinę contradicunt; ideò Apoſtolus inſtruit primò Ti-

Titum Discipulum suum, qualiter se se gerere debeat in seligendis & ordinandis Ecclesiæ Ministris. Secundò, ipsum admonet quid, juxta diversos fidelium status, liberos & servos, senes, anus, adolescentulas, juvenes, verbo & exemplo docere, eisque singulis præcipere debeat, ut Principibus & Magistratibus etiam Ethnicis morem gerant in iis omnibus, quæ fidei & saluti non repugnant; sintque erga quoslibet pacifici, modesti, mansueti, memores benignitatis Christi Servatoris nostri, qui salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, non ex operibus, quæ fecimus, sed secundùm suam misericordiam. Deniquè, arguendos esse Iudæos, qui legalia servant, increpandos Cretenses, qui sanæ doctrinæ contradicunt, repudiandas penitùs esse quæstiones, genealogias, & pugnas legis, quæ sunt inutiles & vanæ, atque post unam & alteram correptionem Hæreticos esse devitandos mandat. Hæc Epistola inter prima & secunda vincula Romana scripta videtur à Paulo in Orientem reverso, sicut Philippensibus promiserat. Continet autem Capita III.

ANALYSIS
Epistolæ ad Philemonem.

HÆc Epistola commendatitia est, & ad Philemonem virum apud Colossenses clarum scripta à S.Paulo in gratiam Onesimi ipsius servi, qui furto facto Romam profugerat, sed mox facti pœnitens, & à Paulo tùm in vinculis detento baptizatus, atque Christianæ Religionis Mysteriis initiatus ad herum suum Philemonem remissus est cum hac Epistola, in qua Apostolus Philemonem amicum & hospitem suum obnixè deprecatur, ut fugitivum servum ad ipsum revertentem & ad meliorem frugem revocatum benignè suscipiat, non jam ut servum, sed pro servo charissimum fratrem, se interim sponsorem offerens, depensurus, si quid ille suffuratus fuisset in fuga. Hanc Epistolam Paulus scripsit Romæ in prioribus vinculis.

Hanc

Hanc S.Pauli Apoſtoli ad Philemonem Epiſtolam, aliqui olim non recipiebant, his adducti rationibus, quas Sanctus Hieronymus refert & refellit in Procœmio Comment. in Epiſtolam ad Philemonem his verbis: Qui nolunt inter Epiſtolas Pauli eam recipere, quæ ad Philemonem ſcribitur, ajunt non ſemper Apoſtolum, nec omnia, Chriſto in ſe loquente, dixiſſe, quia nec humana imbecillitas unum tenorem Sancti Spiritus ferre potuiſſet, nec hujus corpuſculi neceſſitates ſub præſentia Domini ſemper complerentur, velut diſponere prandium, cibum capere, eſurire, ſaturari, ingeſta digerere, exhauſta complere: Taceo de cæteris, quæ exquiſitè & coactè replicant, ut affirment, fuiſſe aliquod tempus, in quo Paulus dicere non auderet: *Vivo jam non ego, vivit verò in me Chriſtus*. Et illud: *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus?* Quale, inquiunt, Chriſti eſt audire: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens tecum affer*. Et illud ad Galatas: *Utinam & excidantur qui vos conturbant*. Et in hac ipſa Epiſtola: *Simul autem & præpara mihi hoſpitium?* Hoc autem non ſolùm Apoſtolis, ſed Prophetis quoque ſimiliter accidiſſe. Undè ſæpiùs ſcriptum feratur: *Factum eſt verbum Domini ad Ezechiel*, ſive ad quemlibet alium Prophetarum, quià poſt expletum vaticinium, rursùm in ſemet revertens, homo communis fieret Propheta, &, excepto Domino noſtro Ieſu Chriſto, in nullo Sanctum Spiritum permanſiſſe. His & cęteris illiuſmodi, volunt aut Epiſtolam non eſſe Pauli, quę ad Philemonem ſcribitur, aut etiam ſi Pauli ſit, nihil habere quod ædificare nos poſſit, & à pleriſque veteribus repudiatam, dùm commendandi tantùm ſcribatur officio, non docendi. At è contrario qui germanæ auctoritatis eam eſſe defendunt, dicunt, nunquàm in toto Orbe à cunctis Eccleſiis fuiſſe ſuſceptam, niſi Apoſtoli Pauli crederetur, & hac lege nè ſecundam quidèm ad Timotheum, & ad Galatas eos debere ſuſcipere: de quibus & ipſi humanæ imbecillitatis exempla protulerint: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens tecum affer*. Et: *Utinam excidantur qui*

vos conturbant. Inveniri plurima & ad Romanos & ad cæteras Ecclesias, maximèque ad Corinthios, remissiùs & quotidiano penè sermone dictata, in quibus Apostolus loquatur: *Cæteris autem ego non Dominus*, quas & ipsas, quia tale aliquid habeant, aut Pauli Epistolas non putandas, aut si istæ recipiuntur, recipiendam esse & ad Philemonem, ex præjudicio similium receptarum .... quòd si non putant eorum esse parva, quorum magna sunt, alterum mihi Conditorem, juxta Valentinum, Marcionem, & Appellem, formicæ, vermium, culicum, locustarum: Alterum Cæli, Terræ, Maris, & Angelorum debent introducere. An potiùs ejusdem potentiæ est, ingenium, quod in majoribus exercueris, etiam in minoribus non negare. Hactenùs Sanctus Hieronymus.

ANALYSIS
Epistolæ ad Hebræos.

IN hac Epistola tria potissimùm agit Apostolus. Primò, adstruit Sacerdotii & Sacrificii Christi eminentiam super Sacrificium Leviticum, ejus Divinitatem, quâ Patriarchas, Prophetas, Moysem, immò & Angelos omnes transcendit; illius officium, quo per sui sanguinis effusionem factus est omnium peccatorum expiator, hominum cum Deo Patre reconciliator & Regni Cælorum reserator. Secundò, ostendit Apostolus, veteris Legis Sacrificia justitiam hominibus conferre haùd potuisse, idq; maximè confirmat exemplo omnium illustrium Sanctorum Patriarcharum ac Prophetarum, qui nonnisi per fidem in Christum venturum, non autem vi & efficaciâ Legis fuerunt justificati. Denique, Hebræis ad fidem Christi conversis saluberrima tradit præcepta, eosque adhortatur ad hospitalitatem, ad obedientiam Præpositis exhibendam, ad eleemosynarum elargitionem, ad perseverantiam in tradita sibi perfectæ sanctimoniæ disciplina, & in Christiana constantia sustinendi calamitates & persecutiones, quibus propter Christum jactabantur. Hæc Epi-

Epiſtola, quæ circa idem tempus ſcripta videtur ac præcedens, Timotheo jam è vinculis ſoluto, complectitur Capita XIII.

Præter has 14. canonicas S. Pauli Apoſtoli Epiſtolas, una ad Laodicenſes, & ſex ad Senecam Epiſtolæ ab Apoſtolo Paulo exaratæ circumferuntur, quas tamen apocryphas & ſuppoſititias eſſe in ſequenti Paragrapho commonſtrabo.

Analysis
Epiſtolæ Catholicæ. S. Jacobi.

SAnctus Iacobus hac in Epiſtola quinque præſtat. Primò, præmiſsâ ſalutatione, docet tentationum utilitatem, & ſapientiam à Deo cum confidentia poſtulandam. Secundò, confutat hæreſim Simonis Magi, quæ in dies graſſabatur, & fidem abſque operibus mortuam, & ad ſalutem inutilem eſſe demonſtrat. Tertiò, mala linguæ recenſet, quam gubernare ac refrænare difficillimum eſt, ſubditque differentiam inter ſapientiam terrenam & cæleſtem. Quartò, agit de moribus & virtutibus patientiæ, miſericordiæ in pauperes, perſeverantiæ in fide, caſtitatis, manſuetudinis, juſtitiæ, pœnitentiæ, timoris Dei, temperantiæ, Religionis, charitatis, & correctionis fraternæ. Poſtremò, Unctionis extremæ promulgat Sacramentum, & orationis efficaciam oſtendit. Habet hæc Epiſtola Capita V.

Analysis
Epiſtolæ primæ S. Petri Apoſtoli.

HÆc prior S. Petri Epiſtola, quæ eſt ad electos advenas diſperſionis Ponti &c. tota eſt in tradendis vitæ Chriſtianæ præceptis. Nam primò, poſtquàm expoſuit Sanctus Petrus doctrinam, quam prænunciarunt Prophetæ de Verbi Divini Incarnatione, Paſſione, Redemptione, de vocatione Iudæorum & Gentium ad Chriſti gratiam, fideles

omnes adhortatur, ut hanc doctrinam ab Apostolis prædicatam constantissimè amplectantur, & pro ea tuenda ac propaganda omnia, ipsam mortem intrepidè subeant, exemplo Christi animati, qui pro salute nostra probrosam mortem oppetiit. Secundò, fideles omnes redemptos Sanguine Christi, & per verbum Dei regeneratos etiam atque etiam hortatur, ut tanquàm peregrini ab omnibus desideriis carnalibus & illecebris abstinentes, fiant genus electum, gens sancta, populus acquisitionis; sectentur virtutes Evangelicas, humilitatem, charitatem mutuam, constantiam in adversis, contra ingruentes Diaboli tentationes invictam fortitudinem. Denique, Christianos docet S.Petrus debita obsequia, quæ impendere debent Regibus, Principibus, & Magistratibus, quamvis Ethnicis, servi Dominis, uxores Maritis, adolescentes Senioribus, fideles Pastoribus, ac versâ vice quid Viri uxoribus, Pastores subditis referre teneantur. Hanc Epistolam scriptam Babylone asserit S.Petrus cap. ultimo: *Salutat vos*, inquit, *Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus*. Nomine autem *Babylonis* S.Petrum indigitare voluisse Romam, quę id temporis sedes erat Idololatriæ, & omnium Gentium serviebat erroribus, pervulgata est opinio, Eusebii lib.2. Hist. Eccles. cap.5. & S.Hieron. in Catal. Script. Eccl. cap.8. testimonio roborata. Habet hæc Epistola Capita v.

ANALYSIS
Epistolæ secundæ S.Petri Apostoli.

HAnc secundam Epistolam S.Petrus ad eosdem scripsit, ad quos priorem direxerat, scilicet ad fideles ex Iudaismo conversos, quos primò adhortatur, ut, etiam se mortuo, fidem, quam ab Apostolis audierant, firmiter retineant. Secundò, commendat summam ergà homines misericordiam, & liberalitatem Dei, qui pretiosa ac verè divina illis contulit beneficia. Tertiò, admonet fideles, ut sedulò caveant ab Hæreticorum contubernio, quorum depravatos mo-

mores, vafritiem, hypocrisim, spurcitiam, & futuram cum Dæmonibus sortem describit, atque prænunciat. Deniquè, indicat signa, quæ Mundi finem, & universale Judicium antevertere debent, monetque omnes Christianos, ut fidei integritate ac vitæ prorsùs illibatæ castimoniâ se se ad tremendum illud Judicium præparent. Hanc Epistolam scripsit S.Petrus Romæ in vinculis anno vitæ suæ ultimo, Martyrio & morti proximus, ut innuit cap.1. vers.14. *Certus quòd velox est depositio Tabernaculi mei* (idest corporis) *secundum quod & Dominus Jesus Christus significavit mihi*. Continet hæc Epistola tria Capita.

Analysis
Trium Epistolarum S. Joannis.

SAnctus Joannes in prima sua Epistola explicat Incarnationis Dominicæ veritatem & œconomiam. Undè contra Simonianos, Ebionem, Cerinthum, aliosque hujus furfuris posthàc erupturos Hæreticos demonstrat, Jesum esse Christum, verum Deum & verum Hominem verà carne præditum, omnium hominum Mediatorem, qui pœnas, quas pro peccatis nostris luere debebamus, ultrò in se suscepit, nosque sui Sanguinis effusione à peccatis mundavit, & Æterno Patri reconciliavit. Ex quo rectè infert S.Joannes, nos in Jesum Christum, velut in propitiatorem & advocatum nostrum apud Patrem, omnem fidem nostram, spem, & charitatem dirigere debere. Prætereà, S.Joannes cuilibet ætati hominum, videlicet pueris, adolescentibus, senibus, vitæ Christianæ probè instituendæ, & praxis omnium virtutum, sed prçcipuè mutuæ dilectionis, quam frequenter hac in Epistola inculcat, prçcepta ac salutaria præscribit documenta. Continet hæc Epistola Capita v.

Altera Epistola dirigitur ad Electam, nobilem, sanctamque mulierem, cui, ejusque filiis impensè gratulatur S.Joannes de fidei integritate & charitatis sinceritate, eisque persuadet, ut in his constanter perseverent, execrando,

ac

ac fugiendo omnes Hæreticos, qui Jesu Christi Divinitatem, aut Incarnationem pervicaciter negantes, totum Redemptionis nostræ Mysterium ab imis fundamentis subruunt. Hæc Epistola habet Caput unicum.

Tertia Epistola dirigitur ad Gajum, seù Cajum, quem S.Joannes eo potissimùm nomine laudat, quod benè apud omnes fideles audiret ob suam sinceram in Deum fidem, pietatem, & hospitalitatem erga Christianos peregrinos, quos omnibus charitatis officiis prosequebatur. Deindè, Joannes admonet Cajum, ut vitet consortium Diotrephis, hominis superciliosi & maledici, qui primatum illius Ecclesiæ, in qua vivebat Cajus, superbè ambiebat, & imitetur Demetrium, virum eximiâ sanctitate conspicuum, ejusque exemplo confirmetur in bono. Habet hæc Epistola Caput unicum.

Quo tempore tres istæ S.Joannis Epistolæ fuerint conscriptæ? incertum est. Probabilius tamen est, paulò post S.Joannis ex Insula Pathmos reditum, seù paulò ante ejus obitum, hoc est, exeunte primo Ecclesiæ sæculo, fuisse scriptas, quia tunc maximè temporis Ebion, Cerinthus, & Basilides nefarii Hęretici, ad quos S.Joannes in tribus iis Epistolis respexisse videtur, suos errores disseminarunt.

ANALYSIS
Epistolæ S. Judæ Apostoli.

SAncti Judæ, seù Thaddæi Apostoli, fratris S.Jacobi Minoris Epistola non tantùm argumento, sed etiam verbis maximam cum secunda S.Petri Epistola affinitatem habet. In ea siquidèm S.Judas pręmunit fideles adversùs Hæreticos Simonianos, Nicolaitas, & Gnosticos, quorum impurissimos mores, & flagitiosissimam impietatem atris coloribus depingit; justa supplicia, quæ ipsos manent, prædicit, & indè fideles monet, ut ab ipsis caveant, scientes gravissimas pœnas, quas olim Jesus Christus inflixit Ægyptiis, Dæmonibus, & Sodomis, eosque hortatur ad fructum bonorum

rum operum, ad aliorum correctionem, ad Dei glorificationem, & ad perseverantiam in fide. Hæc Epistola scripta est post aliorum omnium, si unum Ioannem excipias, Apostolorum mortem, sicut supra observavimus agendo de divina auctoritate hujusce Epistolæ; quæ unicum Caput complectitur.

Analysis
Libri Apocalypsis.

Sanctus Ioannes in libro Apocalypsis quinque potissimùm exequitur. Primò, informat & ad perseverantiam in fide, perfectamque sanctimoniam provocat septem Ecclesias Asiæ minoris, quarum ipse fundamenta jecerat, eisque Episcopos præfecerat. Secundò, sub sex propheticis & ænigmaticis visionibus prædicit varios universæ Ecclesiæ status usque ad Mundi finem futuros, & calamitates, quibus jactari debet Ecclesia, ad quas patienter tolerandas fidelium animos certâ spe æternæ felicitatis ipsis à Deo repromissæ, & victoriarum, quas de illis reportatura est Ecclesia, erigit S.Ioannes. Tertiò, præmunit fideles contra Cerinthum, Ebionem, Simonem Magum & alios virulentos Hæreticos, qui in perniciem Asianarum Ecclesiarum conjurati veram fidem exterminare moliebantur, divinitatem Christi, aut humanitatem negantes; quâ occasione plurimas alias quovis in sæculo exorituras in Ecclesia hæreses non obscurè denunciat. Quartò, declarat bella, plagas, & funesta signa adventus Antichristi, qui sub finem Mundi contra Christi fideles ferro flammâque sæviet, & inauditam crudelitatem exercebit. Deniquè, duobus ultimis Capitibus felicem & æternam Beatorum Deo fruentium sortem describit S.Ioannes. Liber Apocalypsis continet XXII. Capita, &, ut inquit S.Hieronymus in Epistola ad Paulinum, *tot habet Sacramenta, quot verba*, quorum Sacramentorum interpretationem & intelligentiam si scire aueat Lector, consulat doctissimi Bossuetii Episcopi Meldensis eximium Commentarium;

No-

Nobis enim in rem Theologię Candidatorum hanc omnium novi Teſtamenti Librorum Synopſim delineaſſe, ſat ſuperque ſufficiat.

PARAGRAPHUS ULTIMUS

De Operibus, quæ Apoſtolis perperàm adſcribuntur.

NOn eſt mihi animus diſcutere in hoc Paragrapho, an Opuſcula, Tractatus, Epiſtolæ, & aliæ hujuſmodi Lucubrationes, quæ tribuuntur Scriptoribus, qui in primo Eccleſiæ ſæculo floruerunt, & Apoſtolorum Diſcipuli fuerunt, germanos habeant antiquitatis characteres, vel ad Apocryphorum claſſem ablegari debeant? Longiùs quippè me abduceret tàm latè patens argumentum, in quo magna cum laude & eruditione jam jam verſati ſunt doctiſſimi hujus ætatis Critici, qui de Epiſtolis S.Ignatii Martyris, S.Clementis Papæ, de Libris Recognitionum, & Conſtitutionum Apoſtolicarum, de libris, qui vulgò S.Dionyſio Arepagitæ adſcribuntur, de Epiſtola S.Martialis, de libro Paſtoris, & de aliis id genus primæ Chriſtianorum ætatis Operibus copiosè diſſeruerunt; ſed breviter dumtaxat inquiram in Evangelia, Liturgias, Epiſtolas, & Opera, quæ Apoſtolorum nomina pręferunt, & quę tamen ipſis abjudicari debere optimo jure cenſent Viri eruditi.

Verùm, antequàm de his ſententiam meam promam, non pigebit in anteceſſum obſervare, Gelaſium Papam nonnulla opera, quæ Apoſtolorum erant inſcripta nominibus, Apocrypha declaraſſe in ſolemni ſuo Decreto, quod edidit in Concilio LXX. Epiſcoporum habito Romæ Anno æræ vulgaris 494. hoc Decretum *Petrus Franciſcus Chiffletius* ex Codice Iurenſi ſub nomine Hormiſdę Summi Pontificis publicâ luce donavit, ſed plenum additionibus & interpolationibus. Clariſſimus autem inter Litteratos *Abbas Juſtus Fontaninus* (quem ob pręclara in Eccleſiam, Sedemque

que Apostolicam merita, Sanctissimus Pontifex Clemens XI. germanæ, solidæque eruditionis æstimator æquissimus, inter suos Cubicularios ab Honore adlegit) has additiones & interpolationes minio signavit, vulgatumque Gelasii Decretum à Chiffletio editum contulit cum genuino ejusdem Papæ Decreto, quod ex antiquissimo Codice Palatino Bibliothecæ Vaticanæ nongentis & ampliùs abhinc annis scripto publici juris fecit, & perdoctis observationibus illustravit in Appendice Libri, quem edidit, *de Antiquitate Hortæ Coloniæ Hetruscorum*. Hoc autem antiquum & genuinum Gelasii Decretum à laudato doctissimo Abbate editum caret additionibus & interpolationibus, quæ offenduntur in aliis vulgatis ejusdem Papæ Decretis, & habet latinitatem barbaram ac lutulentam, nec artis Grammaticæ & Orthographiæ leges servat, nec prefert Scripturarum Canonem, sicut in vulgatis aliis Gelasii Decretis, sed sic absolutè incipit: *Post Propheticas & Evangelicas, atque Apostolicas Scripturas, quibus Ecclesia Catholica per gratiam Dei fundata est &c.* Eodem pacto, absque premisso Scripturarum sacrarum Canone, idem Gelasii Decretum incipit in Codice M.S. Iustelli. Integrum hìc non attexam Gelasii Decretum, sed dumtaxat ex omnibus Libris, quos Summus ille Pontifex in hoc Decreto apocryphos esse pronunciat, eos recensebo, qui sacrorum Scriptorum & Apostolorum nominibus inscribuntur, omissis aliis, qui vel Anonymi sunt, vel Sanctorum Patrum, Scriptorumve Ecclesiasticorum prenotantur titulis, quorum examen ad present nostrum non attinet Institutum. Hi autem Libri, qui Apostolorum nominibus sunt inscripti, & in Decreto Gelasii Papæ Apocryphi declarantur, sunt isti:

Itinerarium nomine Petri Apostoli, quod appellatur S. Clementis, apogrifum, idest, apocryphum.

Actus nomine Andreæ Apostoli, apg. idest, apocryphus.

Actus nomine Thomæ Apostoli libri x. apg. idest, apocryphi.

Actus nomine Petri Apostoli, apg.

Actus nomine Philippi Apostoli, apg.
Evangelium nomine Matthiæ Apostoli, apg.
Evangelium nomine Petri, apg.
Evangelium nomine Jacobi Minoris, apg.
Euangelium nomine Barnabæ, apg.
Evangelia nomine Thomæ, quibus Manichæi utuntur, apg.
Evangelium nomine Bartholomæi Ap. apg.
Evangelium, quem, pro quod, *falsavit Lucianus, apg.*
Evangelium, quem, pro quod, *falsavit Eusichius, & Lucius, apg.*
Liber de Infantia Salvatoris, apg.
Liber, qui appellatur Hactu, pro Actus, *Thecle*, seù Theclæ, *vel Thollius, & Pauli Ap. apg.*
Revelatio, qui, pro quæ, *appellatur Pauli, apg.*
Revelatio, qui, pro quæ, *appellatur Thomæ, apg.*
Revelatio, qui, pro quæ, *appellatur Stephani, apg.*
Libri, qui appellantur Penetentia, pro Pœnitentia *Adæ, apg.*
Liber, qui appellatur Testamentum Job, apg. non Historia Beati Job, set, pro sed, *alius ab Hæreticis conscribtus*, pro conscriptus.

In Decretis vulgatis Gelasii Papæ inter apocrypha Opera reponuntur *Evangelia nomine Andreæ Apostoli*, & liber, qui appellatur: *Canones Apostolorum*. De his tamen nulla prorsùs fit mentio in genuino illius Papæ Decreto, quod exhibet *Cl. Justus Fontaninus*. At Epistola Christi ad Abgarum Regem Edessenorum, & vicissim Epistola Abgari ad Christum apocryphæ declarantur tàm in genuino Gelasii Decreto, quàm in aliis vulgatis, nosque in Dissertatione 13. Tractatus *de Mysteriis & Annis Christi* ejusmodi Epistolas supposititias esse evicimus, & prępostéram quorumdam Criticorum circa Gelasii Papæ Decretum dubitationem exsufflavimus. Hac præmissâ de Operibus Apostolis falsò attributis generali observatione, nunc speciatim agendum est de quibusdam Operibus, quæ eorum inscripta sunt

sunt nominibus, videlicet de Evangeliis, Liturgiis & Epistolis, ac primò de Evangeliis instituemus sermo-nem.

De Evangeliis
Quæ falsò Apostolorum nominibus inscribuntur.

PRæter hæc mox laudata Pseudo-Evangelia, quæ Gelasius Papa suo Decreto apocrypha esse declaravit, extant etiamnùm inter monumenta Orthodoxographa, seù potiùs Pseudepigrapha Patrum duo Evangelia, videlicet Proto-Evangelium, quod adscribitur S.Jacobo, & Evangelium nomine Nicodemi inscriptum, quæ in eadem Apocryphorum classe collocari debere, concors est omnium hujus tempestatis Criticorum sententia. At enim Proto-Evangelium, quod perperàm tribuitur S.Jacobo, quodque Nativitatis Virginis Mariæ, ejusque illustrium gestorum ad Magorum usque adventum complectitur Historiam, anilibus fabulis, næniis & ridiculis narrationibus à capite ad calcem scatet. Fingit quippè illius Proto-Evangelii auctor, Joachimum & Annam ob sterilitatem è Templo ejectos, & ab offerendis victimis ceù indignos fuisse repulsos. Quâ de re altum est in tota retrò antiquitate silentium. Narrat, Mariam Virginem, dùm adhùc infans esset sex mensium, in terram à S.Anna depositam, confestim pedibus erectam stetisse, septem gressus fecisse, & venisse in sinum matris, eamque, statim ac ablactata est, in Templum à Parentibus fuisse adductam, & in eo ad nubilem usque ætatem educatam, atque cibo de manu Angeli accepto nutritam. Addit insusuper, Josephum in ætate provecta per sortem divinam & speciale prodigium, hoc est, per Virgam, quam præ manibus tenebat, efflorescentem, eique Columbam insidentem fuisse à Summo Sacerdote volentem nolentem selectum Mariæ Virginis Sponsum. Sed, quod turpius est, fabulatur iste auctor, Josephum & Mariam stupri & sacrilegii insimu-

latos, & ex decreto Sacerdotum adactos fuisse ad bibendum poculum redargutionis, seù zelotypiæ, quo Moyses explorari jussit innocentiam fæminæ de adulterio suspectæ. Prætermitto, brevitatis ergò, commentitia miracula, quæ in partu Mariæ Virginis memorat nugacissimus ille auctor. Ex quibus momentis unicuique proclive est judicare, quam fidem & auctoritatem mereatur istud Proto-Evangelium, in quo tot assutæ, ac malæ consarcinatæ lectitantur fabulæ.

Sed nihilo majori auctoritate pollet aliud Evangelium, quod Nicodemi nomine inscribitur. Ei siquidèm omnem omninò fidem abrogant nugæ, ineptiæ, fabulæ, queis, totum quantum est, inspergitur. Exemp.gratiâ, refert auctor illius Evangelii, Capita signorum, quæ Signiferi pro more Romanorum gestabant, se se in terram prona incurvasse coràm Jesu, illumque adorasse, dùm Prætorium Pilati ingressus est, de quo tamen stupendo prodigio apud sacros Scriptores & antiquos probatæ fidei auctores nè vola quidèm ac vestigium extat. Intereà, figmentum narrat hic auctor satis festivum ac lepidum. Ait quippè, Latronem pœnitentem cum Christo crucifixum atque cum eo in Cælo receptum, Crucem humeris suis in Paradiso circumferre. Cui figmento aliam fabulam nectit, asserendo, eos, qui, Christo resurgente, ad vitam redierunt, fuisse in Jordane baptizatos, & Pascha cum amicis ac Parentibus celebrasse. Quæ certè commenta, & alia his similia manifestò probant, auctorem illius Pseudo-Evangelii mentem habuisse pastam chymęris, eumque fabulosis narrationibus otiosos Lectores ludere voluisse, sed, ut vulgari fertur adagio, frustrà jaciuntur retia ante oculos pennatorum.

De

De Liturgiis
Quæ Apostolis Jacobo, Marco, Petro, & Matthæo tribuuntur.

Nomine Liturgiæ nihil aliud intelligitur, quàm ordo celebrandi Missæ Sacrificium, quod Christus Dominus eo planè penitùsque simplici modo, quem apud tres Evangelistas Matthæum, Marcum, & Lucam, necnon & in prima ad Corinthios Pauli Epistola scriptum legimus, instituit, dùm Cruci jam affigendus, hoc est, pridiè quàm pateretur, ultimam Cænam peregit cum Discipulis suis, quibus, ut quod à se factum fuerat, illud deindè in sui facerent commemorationem præcepit. In Ecclesiæ autem exordio, ob Tyrannorum persecutiones brevissimam fuisse Liturgiam, quâ in celebratione incruenti Sacrificii utebantur Apostoli & Discipuli Christi Domini, facilè colligitur ex Gregorio Magno lib.7. Epist.63. ad Ioannem Syracusanum, & ex Liturgiæ descriptione, quam S.Iustinus Martyr concinnavit in Apologia, quam ipse Ethnicis Imperatoribus circa medium sæculum secundum obtulit. Cæterùm, an crescente fidelium numero plures tùm lectiones, tùm preces, aliasque cæremonias, quibus illud adorandum Sacrificium majori Christianorum cultu ac veneratione celebraretur, huic Liturgiæ addiderint Apostoli? seù utrùm Apostoli harumce Liturgiarum, quæ ipsorum nominibus sunt inscriptæ, sint auctores? hoc est, quod in præsentia discutiendum est.

Dico igitur Liturgias, quæ Sancti Iacobi, S. Marci, S.Petri, & S.Matthæi nominibus inscribuntur, esse Pseudepigraphas, & falsò sacris illis Scriptoribus tributas.

In primis, Liturgiam, quæ sub nomine S.Iacobi circumfertur & extat tom.2. Bibliothecæ Patrum Græco-latinæ, genuinum esse illius Apostoli fætum propugnant quidèm *Claudius de Sainctes* Doctor Parisiensis, ac postea Ebroicensis Episcopus, *Lindanus*, *Leo Allatius*, *Cardinalis Bona*. Multi tamen Viri eruditi, quorum sententiæ lubens

bens subscribo, negant, hanc Liturgiam fuisse à S.Iacobo compositam, iisque argumentis nituntur. Primò, quia in hac Liturgia nomine S.Iacobi inscripta sexiès, ut minimùm, reperitur hæc vox ὁμόιος; seù consubstantialis; porrò, si hęc Liturgia à S.Iacobo fuisset reverà composita, eam omni procul dubiò Patres Concilii Nicæni in medium protulissent, atque illius vel solâ auctoritate Arrianos, qui hanc vocem ὁμόιος respuebant, mutos & elingues reddidissent. Cùm igitur Patres Concilii Nicæni hanc Liturgiam nunquam Arrianis opposuerint, ex eorum hac in re tanti momenti silentio colligitur, hanc Liturgiam non fuisse à S.Iacobo compositam. Prætereà hæc vox Θεοτόκος, seù Deipara, quater in hac Liturgia Mariæ Virgini tribuitur, & tamen Patres Concilii Ephesini, qui omnia veterum scrutati sunt monumenta, quæ huic appellationi patrocinari poterant, nunquàm hanc Liturigam objecerunt Hæreticis Nestorianis, quorum tamen insolentem pervicaciam hac solâ Liturgiâ, si ab Apostolo Iacobo edita fuisset, confestim obruere potuissent. Tertiò, *Trisagium*: *Sancte Deus*, *Sancte fortis*, *sancte immortalis miserere nostri*, in hac Liturgia cantandum adsignatur, quod tamen in Ecclesiis ante annum 446. quo *Proclus* urbis Constantinopolitanæ Episcopus sedebat, planè incognitum fuisse constat apud omnes, idque apertè colligitur ex Epistola *S.Felicis Papæ III.* datâ ex Synodo Romana ad Petrum Cnaphæum Patriarcham Antiochenum. Quartò, Doxologia, seù Hymnus: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, legitur in hac Liturgia, quem tamen ante quintum sæculum in Ecclesia cani non consuevisse testantur Viri eruditi. Quintò, fit mentio in hac Liturgia Confessorum, atque eorum, qui in Monasteriis vitam degebant. Constat autem nomen Confessorum in sacris Mysteriis, & in Officio Divino, diù post S.Iacobum in usu esse cæpisse, ac Monasteria fuisse extructa; idque ultrò fatentur *Leo Allatius*, & *Cardinalis Bona*, qui hanc Liturgiam quamvis S. Iacobo adjudicent, profitentur tamen has voces *Confessorum*, & *Monasteriorum* esse fragmenta huic Liturgiæ progressu tempo-

po-

poris adſuta. Sextò, plures loci in ea Liturgia non ſolùm ex Evangeliis Matthæi, & Lucæ, ſed etiam ex Epiſtolis Sancti Pauli de verbo ad verbum græcè referuntur. Septimò, hæc Liturgia, paucis, quæ à Chriſto & Apoſtolis fuerunt inſtituta, exceptis, diverſa planè eſt ab illis Liturgiis, quæ ab Apoſtolorum tempore ad Iuſtini uſque ætatem fuerunt in uſu, ſicut clariſſimè demonſtrat *Nicolaus Le Nourry* Benedictinus Congregationis S.Mauri in Apparatu ad Bibliothec.Max. Veterum Patrum cap.2. Diſſert.2. Octavò, hanc Liturgiam nullus ante Proclum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, hoc eſt, ante adultum quintum Eccleſiæ ſæculum ſub nomine S.Iacobi Apoſtoli unquàm laudavit; eam quidèm poſteà ſub nomine illius Apoſtoli citavit Synodus Quini-ſexta, ſeù *Trullana*, ſed hæc Synodus temporibus Imperatoris Iuſtiniani coacta non habet in Eccleſia auctoritatem, cùm à Sede Apoſtolica fuerit improbata, & aliundè in hac quæſtione facti errare potuerit. Deniquè, hanc Liturgiam, ſi verè à S.Iacobo Apoſtolo fuiſſet profecta, Canoni ſacrarum Scripturarum accenſuiſſet Eccleſia, quod tamen nunquàm præſtitit. Patet itaque, hanc Liturgiam, quæ ſub nomine S.Iacobi circumfertur, non eſſe germanum illius Apoſtoli fœtum.

Quod ſpectat Liturgiam nomine S.Marci inſcriptam, unâ voce pronunciant Viri eruditi eam ſuppoſititiam eſſe. Primò, quia in ea non ſecùs ac in præcedenti Liturgia leguntur voces ὁμούσιος, θεοτόκος, *Triſagium*, necnon Monachorum fit mentio. Secundò, in ea fit ipſiuſmet S.Marci memoria his verbis: *Protege Civitatem iſtam propter Martyrem tuum & Evangeliſtam Marcum, qui nobis viam ſalutis demonſtravit.* Tertiò, fiunt in hac Liturgia orationes pro Rege Chriſtiano. Nemo autem dixerit, tempore S.Marci Evangeliſtę fuiſſe Alexandrię aliquem Regem Chriſtianum, qui imperaret. Ætate igitur S.Marci multò poſterior eſt hæc Liturgia, quæ falsò illius nomen pręfert.

Liturgia, quæ S.Petri Apoſtolorum Principis nomine inſcribitur, & quam publicâ luce donavit *Guillelmus Lindanus*

nus Gandavensis Episcopus, qui eam ex Manuscripto Græco Bibliothecæ Cardinalis *Sirleti* edi curavit, non solùm iisdem argumentis, quæ adversùs præcedentes produximus, tanquàm supposititia rejici debet, sed etiam ex sola ipsius lectione apparet, eam à Sancto Petro non fuisse compositam. Nam primò, in hac Liturgia mentio fit Sanctorum Pontificum & Martyrum, qui diù post S.Petrum vixerunt, videlicet Xisti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysostomi, Cosmæ & Damiani. Secundò, initium hujus Liturgiæ ex græca S.Basilii Liturgia, Præfatio vero, Canon integer, atque Oratio, quæ post Precem Dominicam, *Pater noster &c.* legitur, ex Missa Latina, & tandèm quæ subsequuntur, ex S.Basilii Liturgia deprompta fuere. Quod sanè, ut eruditè observat supra laudatus *P.Nicolaus Le Nourry*, apertè evincit, hanc Liturgiam opus esse cujusdam compilatoris Clerici græci, seù Basileani Monachi in Italia degentis, qui, ut hanc Liturgiam, Græco Ritu non derelicto, Romanæ Liturgiæ similiorem redderet, ex græca S.Basilii Liturgia, & ex Canone Romano unum Liturgiæ corpus conflavit. Tertiò, si hæc Liturgia esset germana S.Petri proles, eam Ecclesia Romana excepisset, & in Sacris adhibuisset, quod nunquàm ab ea præstitum fuisse certissimè constat. Hæc igitur Liturgia S.Petro adjudicari non debet.

Postremò, Missa Æthyopum, quæ S.Matthæi nòmine inscripta est, hunc sacrum Evangelistam non habet auctorem. Primò, quia in ea legitur particula, *Filioque*, quam tamen post quintum dumtaxat Ecclesiæ sæculum insertam fuisse Symbolo Nicæno tàm certum est, quàm quod maximè. Secundò, legitur in eadem Missa *Trisagium*, quod tamen, ut supra diximus, circa medium quintum sæculum, sedente Proclo urbis Constantinopolitanæ Episcopo, decantari tantùm cæpit in Ecclesia. Tertiò, in hac Liturgia, seù Missa Æthyopum occurrunt Epactæ, Numerus Aureus, Festa mobilia, & immobilia, aliaque id genus, quæ certè Apostolorum ætatem minimè sapiunt, & post quartum dumtaxat sæculum fuerunt in Ecclesia usurpata. Deniquè, in hac Missa

Missa recensentur Sacræ Synodi Nicænæ, Constantinopolitanæ, & Ephesinæ, atq; Sanctorum Patrum Athanasii, Gregorii, Basilii, Cyrilli, Chrysostomi memoria celebratur. Quæ omnia ætate S.Matthæi Evangelistæ, ut nemo non videt, longè sunt posteriora. Sed de Liturgiis, quæ SS.Apostolis tribuuntur, sat, pro suscepti operis brevitate hactenùs dictum sit.

De Libris, et Epistolis, *quæ falsò tribuuntur Apostolo Paulo.*

Doctissimus noster Sixtus Senensis lib.2. Bibliothecæ Sanctæ, verbo, *Paulus*, recenset quædam Opera, quę S.Paulo sunt adscripta, videlicet, Evangelium Pauli, Epistolam tertiam ad Corinthios, Epistolam tertiam ad Thessalonicenses, Epistolam ad Laodicenses, Apocalypsim, & sex Epistolas ad Senecam. Quæ omnia nè quid in genuinis, aut spuriis Apostolorum scripturis intactum relinquam, breviter hic attingere non abs re erit.

Dico igitur, Apostolum Paulum, præter quatuordecim Epistolas, quarum Analysim in superiori Paragrapho exhibui, nullum alium Librum, aut Epistolam canonicam exarasse.

Hujus assertionis veritas patet ex perpetua & nullâ sæculorum serie interruptâ traditione Ecclesiæ, quæ in sacris Bibliis nunquàm permisit, ut aliquis Liber, aut Epistola Sancti Pauli, præter quatuordecim illius Epistolas, quibus sacram ac divinam asseruit auctoritatem, insereretur. Quæ certè Ecclesiæ traditio ad nos usque propagata invictum planè ad explodenda illa opera, quæ Apostolo Paulo adscribuntur, suppeditat argumentum. Hanc quippè Ecclesiæ traditionem tanti fecit S. Augustinus, ut eam solam opponat *Fausto* lib.11. contra hunc Hæreticum Manichæum capite secundo sic eum alloquens: *Vides in hac re quid Ecclesiæ Catholicæ valeat auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis*

Sedibus Apostolorum, usque in hodiernum diem, succedentium sibimet Episcoporum serie, tot populorum consensione firmatur? Cùm igitur juxtà avitam Ecclesiæ traditionem quatuordecim dumtaxat Apostoli Pauli Epistolæ in sacro Canone recenseantur & divinam obtineant auctoritatem, nullâ ratione dici potest, alia Opera fuisse à Sancto Paulo exarata.

Dices primò, Apostolus Paulus cap. 2. Epist. 2. ad Timotheum mentionem facit Evangelii à se conscripti. Sic enim eum alloquitur: *Memor esto, Dominum Jesum Christum resurrexisse à mortuis ex semine David, secundùm Evangelium meum*. Ergò Paulus præter quatuordecim Epistolas, aliud Opus canonicum, seù Evangelium, edidit. Præterea, idem Apostolus 1. ad Corinthios cap. 5. ait: *Scripsi vobis in Epistola, nè commisceamini fornicariis*. Hinc doctissimus *Estius*, Comment. in cap. 5. Epistolæ 1. ad Corinthios censet, valdè probabilem esse eorum sententiam, qui putant, aliam ab Apostolo Paulo scriptam fuisse Epistolam ad Corinthios ante illam, quæ nunc dicitur prima. Tertiò, Sanctus Paulus cap. 2. Epistolæ 2. ad Thessalonicenses innuere videtur, se aliam ad ipsos scripsisse Epistolam distinctam omninò ab illis duabus, quas primam & secundam ad Thessalonicenses vulgò appellitare solemus. Sic enim scribit: *Rogamus autem vos fratres per adventum Domini nostri Jesu Christi, & nostræ Congregationis in ipsum, ut non citò moveamini à vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolam, tanquàm per nos missam.*

Verùm hęc momenta facilè solvi possunt. Ad primum siquidèm dico, Apostolum, dùm ait, *secundùm Evangelium meum*, indigitare voluisse Evangelium, quod S. Lucas ipsius adhortatione & suasu edidit, & quo ipse Paulus assiduè utebatur; vel S. Paulum his verbis discernere voluisse verum quod prędicabat Evangelium, à spuriis & falsis Pseudo-Apostolorum Evangeliis. Ad alterum momentum respondeo cum S. Chrysostomo, quem citat & sequitur loco laudato no-

noster Sixtus Senensis, Apostolum Paulum loqui de eadem, seù de prima Epistola ad Corinthios. Cùm enim timeret ille Apostolus nè Corinthii malè interpretarentur istud pręceptum, quo ipsis hac in Epistola commercium & societatem cum fornicariis interdicebat, sibique falsò persuaderent, omnes omninò fornicarios sibi vitandos & à se repellendos esse; ad semovendam illam pravam & sinistram interpretationem, clariùs in eadem Epistola, seù prima, quam ad Corinthios scribebat, exponit Apostolus, de quibus fornicariis hoc intelligi velit, dicendo: *Non utique cum fornicariis hujus Mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut Idolis servientibus, alioquin debueratis ex hoc Mundo exiisse*. Quasi diceret Apostolus: Non præcipio vobis, ut nullum commercium, nullamve societatem habeatis cum fornicariis, qui sunt extrà Ecclesiam, sive cum Ethnicis, id enim vobis observare impossibile esset, alioquin vobis ex hoc Mundo migrandum esset, qui hujusmodi hominibus plenus est, sed tantùm eo sensu scripsi vobis, ut nullum haberetis commercium & contubernium cum illis, qui, nomen Christianæ Religioni cùm dederint, sunt tamen notorii fornicatores, aut Idolorum cultores: *Nunc autem scripsi vobis non commisceri; si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut Idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere*.

Ad tertium momentum respondeo, Apostolum Paulum his verbis in objectione relatis voluisse pręmunire Thessalonicenses adversùs falsas persuasiones quorumdam Pseudo-Apostolorum, qui obtentu nescio cujusdam Prophetiæ, seù Revelationis quasi à Spiritu Sancto profectæ, aut Epistolæ quasi ab ipso Paulo scriptæ persuadere Thessalonicensibus omni studio conabantur, diem Domini, seù extremi Judicii imminere, ac propediè Christum venturum ad Judicium. Paulus itaque obtestatur Thessalonicenses, ut nullo prętextu sive Revelationis, sive Epistolæ quasi ab ipso scriptæ conturbentur, aut ullo pacto divelli ac dimoveri se patiantur ab illa doctrina, quam ab ipso acceperant, sed constan-

ſtantes in ea jugiter permaneant. Sic idem Apoſtolus cap. 1. Epiſt. ad Galatas, quos nonnulli Pſeudo-Apoſtoli falsâ doctrinâ imbuerant, ait: *Sed licèt nos, aut Angelus de Cælo evangelizet vobis, præterquamquòd evangelizavimus vobis, Anathema ſit*. Apoſtolus itaque Paulus his verbis in objectione citatis præmunire voluit Theſſalonicenſes adversùs illos Pſeudo-Apoſtolos, qui etiam proferebant vel juſſu, vel nomine Pauli ſcriptam Epiſtolam, quo faciliùs Commentum ſuum de inſtante die Domini Theſſalonicenſibus perſuadere poſſent. Undè hinc diſcimus, ait doctiſſimus *Eſtius* in cap. 2. Epiſt. 2. ad Theſſalonicenſes, quàm vetus ſit impudentia Libris, aut Epiſtolis ſuppoſititiis adſcribendi magnorum Auctorum nomina, ut proindè pluſquàm neceſſarium ſit in Eccleſia judicium, quo diſcernantur Libri ſacri ab apocryphis, ac genuini ab adulterinis. Quod quidèm judicium certum ac definitum non aliundè petendum eſt, quàm ab iis, qui præſunt Eccleſiæ Catholicæ, quæ columna & firmamentum eſt veritatis.

Dices ſecundò, Apoſtolus Paulus capite 4 Epiſtolæ ad Coloſſenſes ait: *Et cùm lecta fuerit apud vos Epiſtola hæc, facite, ut in Laodicenſium Eccleſia legatur, & eam, quæ Laodicenſium eſt, vos legatis*. Supponit igitur Apoſtolus, ſe ſcripſiſſe Epiſtolam ad Laodicenſes, quæ tamen non cenſetur in numero quatuordecim Epiſtolarum S. Pauli.

Reſpondent aliqui, hanc Epiſtolam ad Laodicenſes fuiſſe quidem ſcriptam à S. Paulo, ſed non fuiſſe ab Eccleſia receptam, tùm quia de illius Epiſtolæ auctoritate non ſatis conſtabat, tùm quia etiam ab Hæreticis fuerat adulterata & interpolata.

Sed hæc reſponſio abhorret ab omni veri ſpecie. Ecquis, amabò, credat, omnia hujus Epiſtolæ ad Laodicenos exemplaria ab Hæreticis ita corrumpi & depravari potuiſſe, ut nulla prorsùs genuina & integra illius Epiſtolæ exemplaria fuerint in Eccleſia Catholica conſervata? Prætereà, hanc Epiſtolam ad Laodicenſes non fuiſſe à S. Paulo ſcriptam, multis momentis evinci poteſt. Primò, quia occaſione Textus

tus hujus Epistolæ in objectione citati, Hæreticus *Marcion*, ut videre est apud Tertullianum cap. 17. lib.5. contra Marcionem, & apud S.Epiphanium Hęresi 42. Epistolam, quam S.Paulus direxit ad Ephesios, putavit scriptam esse ad Laodicenses. Porrò, si ætate Marcionis Epistola Pauli ad Laodicenses vulgata fuisset, non potuisset ille Hæreticus Epistolæ Pauli ad Ephesios titulum immutare eam inscribendo ad Laodicenses. Ætate igitur Marcionis & Tertulliani necdùm conficta erat illa Epistola ad Laodicenos. Secundò, S.Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccles. postquàm recensuit genuinas S.Pauli Epistolas, subjungit: *Legunt quidèm & ad Laodicenses Epistolam, sed ab omnibus exploditur*. Patres verò septimæ Synodi Generalis hoc judicium de ista Epistola ferunt: *Epistolam ad Laodicenses Apostolo adscriptam Patres nostri tanquàm alienam reprobarunt*. Deniquè, si quis hanc Epistolam ad Laodicenses, cujus exemplar ex vetusto Codice M. S. noster Sixtus Senensis lib.2. Biblioth. verbo, *Paulus*, describit, tantisper expendere non gravetur, ultrò fatebitur, eam S.Pauli genium non sapere, & alienam esse à spiritu & more scribendi illius Apostoli. Paulus namque tonat, fulgurat, meras loquitur flammas, at hæc Epistola ad Laodicenses friget, jacet, nullum habet certum argumentum, sed tantùm continet quasdam exhortationes & præcepta temerè, ac sine ordine congesta, & omnia fermè excerpta ex aliis S.Pauli Epistolis, præsertim ex ea, quæ est ad Philippenses, & multò brevior est eâ, quæ ad Philemonem scripta est. Undè non mirum, si tot sæculis nonnisi tineis & blattis fuerit agnita hæc Epistola ad Laodicenses. Missâ igitur hac responsione.

Respondeo, S.Paulum non scripsisse hanc Epistolam ad Laodicenses, sed potiùs Laodicenses scripsisse hanc Epistolam ad Sanctum Paulum. In Textu siquidèm græco legitur: και της λαοδικειας, ideſt, quæ *ex Laodicea* scripta est. Hanc igitur Epistolam fideles ex Laodicea scripserunt ad S.Paulum, quæ continebat magnam testificationem fidei & charitatis eorum, ideòque Paulus voluit, ut Colossenses eam le-

legerent, quò videlicet eorum exemplo provocari, atque excitari possent ad majus fidei & charitatis incrementum. Ita hunc locum interpretantur SS.Patres Chrysostomus Homil.12. in Epistola ad Colossenses, & Theodoretus in cap.4. ejusdem Epistolæ, ubi hæc habet: *Quidam existimarunt*, *ipsum*, ideft Paulum, *etiam scripsisse ad Laodicenses*, *atque fictam etiam Epistolam proferunt*. *Divinus autem Apostolus non dixit eam*, *quæ est ad Laodicenses*, *sed eam*, *quæ est ex Laodicea*. *Illi enim*, seù Laodicenses, *de aliquibus rebus ad eum scripserunt*. *Verosimile autem est*, *eos accusasse quæ Colossis facta fuerant*, *vel eodem cum his morbo laborasse*. *Et ideò dixit*, *hanc quoque Epistolam eis esse legendam*.

Dices tertiò, sex circumferuntur Epistolæ S. Pauli ad Senecam, & octo à Seneca scriptæ ad S.Paulum, quarum apud Sixtum Senensem lib.2. Biblioth. mentionem faciunt Acta Passionis Pauli nomine Lini Papæ consignata, S.Hieronymus in lib. de Scriptoribus Ecclesiast. & S.Augustinus Epist.54. ad Macedonium datâ. Alias igitur Epistolas, præter quatuordecim, quæ extant in Bibliis, scripsit Apostolus Paulus.

Respondeo primò, Epistolas, quæ nunc extant, S.Pauli ad Senecam, & vicissim Senecę ad Paulum, esse suppositititias. At enim ejusmodi Epistolæ nec stylum, nec gravitatem, nec sanctitatem Apostoli Pauli redolent. In genuinis suis Epistolis Apostolus passim testatur, quod si hominibus placeret, servus Christi non esset. At auctor harum Epistolarum ad Senecam arbitratur se se felicem tanti Viri judicio. Ait, se impensè oblectari recordatione Senecæ sui charissimi, quem devotissimum Magistrum nuncupat. Notat annum, quo scribit ad Senecam IV. Kal. Jul. Nerone IV. & Messala Coss. Cùm tamen, juxtà Fastos Consulares, certum sit, Neronem non IV. sed III. dumtaxat gessisse Consulatum. Præterquamquòd verosimile non est, Paulum voluisse suas Epistolas, quas Romæ ad Senecam in eadem urbe degentem scripsisse dicitur, notâ Consulum consignare, quam aliis quatuordecim Epistolis ad remotissimas Ecclesias missis nunquàm apo-

posuisse compertum est. Idem judicium ferendum esse autumo de octo Senecæ Epistolis ad Paulum scriptis, quas describit noster Sixtus Senensis loco citato. Eas siquidèm Senecæ non esse tribuendas, arguit tùm styli diversitas ab eo, quem servat Seneca in suis Operibus; tùm etiam nota Consulum, quâ in suarum Epistolarum subscriptione utitur ille auctor, dùm notat Consules Frigium, Leonem, & Savinum, cùm tamen nulli sub Nerone hujus nominis Consules legantur in Fastis Consularibus, quod manifestum est suppositionis argumentum. Prętereà, observat Baronius Tom. I. Annal. ad annum Christi *66*. Epistolam illam, in qua de Neroniano incendio ad Paulum scripsisse dicitur Seneca, falsi apertè convinci ex Auctoribus Historiæ Romanæ. Deniquè, futile omninò est, quod in una ex his Epistolis Pseudo-ille Seneca scribit ad Paulum, videlicet se ad illum mittere Librum *de copia verborum*. Quasi verò hisce quisquiliis unquàm fuerit delectatus Apostolus Paulus, qui spretis humanæ sapientiæ verbis, se inculto & impolito sermone loqui passim in suis Epistolis candidè profitetur.

Nec quemquam movere debent Acta Passionis Pauli, quæ nomine *Lini* Papæ consignantur, in quibus legitur, Senecam amicitiâ cum Paulo sociatum frequentibus datis & acceptis Epistolis, ipsius dulcedine & amicabili colloquio atque consilio fruitum esse. Neminem, inquam, movere debent prædicta illa Acta, quia ex primo ipsorum inspectu constat, illa esse supposititia. Ecquis, sodes, tàm bonus, ut contra totius antiquitatis fidem & traditionem sacram sibi persuadeat, S. Petrum ab Agrippa Urbis Præfecto, invito Nerone, morti traditum, & hac de causa fictitium illum Præfectum in ordinem fuisse redactum? Quis naris adeò obesæ credere velit, Xandippem Albini uxorem à viri sui consortio & thoro contrà Legis Evangelicæ præceptum à Sancto Petro esse avulsam atque separatam. Apage ergò inania illa & similia id genus Commenta, quæ obtrudunt ejusmodi Acta *Lini* nomine inscripta, ex quibus, velut ex impuro fonte, emerserunt suppositititiæ illæ Pauli

ad

ad Senecam, & viciſſim Senecæ ad Paulum Epiſtolæ.

Reſpondeo ſecundò, concedi quidèm poſſe, Apoſtolum Paulum dediſſe quaſdam ad Senecam Epiſtolas, qui cùm familiaris amicitiæ intercedebat neceſſitudo, ſicut innuere videntur S.Auguſtinus & S.Hieronymus, dummodò dicatur, has Epiſtolas omninò intercidiſſe, nec unquàm in arcem Scripturæ Canonicæ fuiſſe in Eccleſia Catholica ſuſceptas. Nam cùm ejuſmodi Epiſtolæ Pauli ad Senecam privatæ dumtaxat eſſent, nec aliqua fidei noſtræ dogmata, nec præcepta morum complecterentur, ſed meras urbanitatis ultrò citròque datas continerent ſignificationes; mirum nemini videre debet, quòd Eccleſia ejuſmodi Epiſtolas ſingulari Spiritus Sancti afflatu minimè ſcriptas in Canonem Sacræ Scripturæ non retulerit, juxtà hanc Regulam, quam S.Auguſtinus lib.18. de Civit. Dei cap.38. his verbis tradit: *Ego exiſtimo, etiam ipſos, quibus ea, quæ in auctoritatem Religionis eſſe deberent Sanctus utique Spiritus revelabat, alia ſicut homines hiſtoricà diligentià, alia ſicut Prophetas inſpiratione divinà ſcribere potuiſſe; atque hæc ita fuiſſe diſtincta, ut illa tanquàm ipſis, iſta verò tanquàm Deo per ipſos loquenti judicarentur eſſe tribuenda.*

De Epistola,
Quæ S.Barnabæ Apoſtolo tribuitur.

Circa hanc Epiſtolam, quæ S.Barnabæ tribuitur, non una eſt antiquorum Patrum & recentiorum Scriptorum ſententia. Clemens Alexandrinus, Origenes, & Gregorius Nazianzenus hanc Epiſtolam S.Barnabæ adjudicant, eorumque ſententiæ ſubſcribunt moderni Scriptores Hammondus, Voſſius, Bullus, Guillelmus Cave, Pearſonius, Dodwellus, Du Pin, & alii. At Euſebius lib.3. Hiſt. Eccl. cap.14. & S.Hieronymus lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, hanc Epiſtolam, quæ præfert S.Barnabæ nomen, pro ſpuria habent, eoſque inter recentiores ſequuntur Hugo Menardus Congregationis S.Mauri Benedictinus, Præfat. in Epiſtolam Bar-

Barnabæ, Natalis Alexandre tom. 1. Histor. Eccles. Tilmontius, & plures alii, qui hanc Epistolam inter scripturas apocryphas amandant. Hęc postrema mihi magis probatur sententia. Primò, quia ei apertè suffragantur Eusebius, & Hieronymus, quos sagacissimos antiquitatis fuisse indagatores negari haùd potest. Secundò, quia scriptiones, quas ab aliquo Apostolo prodiisse constat, ab Ecclesia recipi debent. Indè enim S.Augustinus lib. 1. contra adversarium Legis & Prophetarum cap. 20. libros Andreæ & Joannis nomen pręferentes, apocryphos esse probat, quia, *si illorum essent, recepti essent ab Ecclesia*. Si igitur hæc Epistola legitimus esset S.Barnabæ Apostoli partus, non est dubium, quin Ecclesia, ob dignitatem hujus Apostoli socii Pauli, & de fide instar aliorum Apostolorum tàm benè meriti, locum ei inter sacros Libros vindicasset, & tamen nunquàm Ecclesia Epistolam S.Barnabæ nomine inscriptam in Canone sacrarum Scripturarum reposuit. Tertiò, incredibile planè videtur, Apostolum Barnabam eas scripsisse, quas hac in Epistola legimus, coactas allegorias, enarrationes Scripturarum minùs verisimiles, fabulas de Animalibus, spurias Judæorum traditiones, cujusmodi est ista de duratione Mundi ad sex annorum millia, & diversa Scripturæ Sacræ testimonia, quæ vel in sacris Bibliis non leguntur, vel ex quarto Libro Esdræ apocrypho desumuntur. Profectò, quamvis concederemus Cl. *Du Pin* Doctori Sorbonico, illud fuisse Judæorum ad Christianam fidem conversorum ingenium, ut Scripturas sacras allegoriis ac mysticis enarrationibus interpretarentur, multaque studiosè observarent in Animalium proprietates. Non est tamen credibile, Apostolos, quos inter locum habet S.Barnabas, voluisse eas, quas Dei auctoritate muniti ad nascentis Ecclesiæ instructionem scribebant, Epistolas allegoricis & fabulosis narrationibus, necnon falsis traditionibus, quibus à teneris unguiculis pascuntur Judæi, aspergere; id enim à stylo Apostolorum penitùs alienum esse, unusquisque ex genuinis Apostolorum Epistolis nullo negotio dijudicare poterit. Quartò, auctor illius

Ccc Epi-

Epiſtolæ ait, Apoſtolos ante vocationem iniquiſſimos fuiſſe, & *ſuper omne peccatum peccatores*. Quis autem credat, Sanctum Barnabam hoc de Apoſtolis tàm ſiniſtrum unquàm tuliſſe judicium? Ait etiam idem auctor, Chriſtum Dominum aſcendiſſe in Cælum die Dominicâ, contrà perpetuam Eccleſiæ traditionem, quæ Aſcenſionis feſtivitatem celebrat die Jovis. Mentionem facit excidii Hieroſolymitani, quod ſub Tito, ideſt, anno æræ vulgaris Lxx. accidit, cùm tamen S.Barnabas, ut probabilior fert ſententia, longè ante illud excidium obierit, hoc eſt, ſub Nerone Imperatore Martyrium paſſus fuerit. Deniquè, ut ab aliis momentis ſuperſedeam, hæc Epiſtola, quæ S.Barnabæ nomine inſcripta eſt, à Scriptoribus primi & ſecundi ſæculi, videlicet Clemente Romano Pontifice, Polycarpo, Ignatio etiam in ſuis adversùs Judæos Lucubrationibus nullibi laudatur, cùm tamen certum ſit, auctorem illius Epiſtolæ in id præſertim incumbere, ut adversùs Judæos ex Prophetarum oraculis demonſtret, Chriſtum Dominum jure merito Legis Moſaicæ abrogaſſe ſacrificia, eum carnem induiſſe, mortemque ſubiiſſe, ut, deſtructo mortis imperio, Mundum ſuo Sanguine redimeret, ac deniquè, ab iiſdem Prophetis prænunciatum eſſe, fore ut Judæi, nec Chriſti Baptiſmo abluerentur, nec Crucem ejus agnoſcerent, atque ipſis, ob ejuſdem Chriſti ab illis negatam divinitatem, exheredibus factis, in eorumdem locum adoptati Chriſtiani ſubrogarentur.

Dicet fortaſſe aliquis, Scriptores priorum Eccleſiæ ſeculorum citant hanc Epiſtolam tanquàm germanam S.Barnabæ prolem, videlicet S.Clemens Alexandrinus, qui florebat circa exitum ſecundi ſeculi, & initium tertii, ut videre eſt in lib.2. Stromatum Editionis Pariſienſis pag. 373. 389. 410. lib.5. Stromatum pag. 571. & 577. & lib.6. pag. 646. Tertullianus lib. de Pudicitia cap.20. Origenes lib.3. Periarchon, ſeù de Principiis cap.2. & lib.1. contra Celſum circa fin. Hæc igitur Epiſtola S.Barnabæ aſſeri ac vindicari debet.

Re-

Respondeo pirmò, Clementem Alexandrinum, sicut testatur Eusebius lib.6. Hist.Eccles. cap.13. interdùm adferre in suis libris testimonia Scripturarum, quæ à nonnullis repudiantur, v.g. testimonia deprompta ex Revelatione, seù Apocalypsi, quæ dicitur Petri, citat Clemens Alexandrinus in suis libris *Hypotiposeon*, sicut observat idem Eusebius cap. 14. loci mox laudati. Quemadmodùm igitur nemo dixerit, Revelationem, seù Apocalypsim, quæ tribuitur S.Petro, esse germanum illius Apostoli fætum, quia Clemens Alexandrinus eam sub nomine S. Petri aliquandò citavit, ità dici haùd potest, Epistolam, quæ S.Barnabæ nomen pręfert, fuisse ab illo Apostolo exaratam, quia sub ejus nomine in libris S.Clementis Alexandrini citata reperitur. Hinc Eusebius lib.3. Histor.Eccles. cap.23. Editionis Vales. in eodem apocryphorum numero reponit Epistolam Barnabæ, & Revelationem, seù Apocalypsim, quæ dicitur Petri: *Pro spuriis*, inquit, *habendi sunt etiam Actus Pauli, & liber Pastoris titulo inscriptus, & Revelatio Petri, Barnabæ item Epistola &c.*

Respondeo secundò, Clementem Alexandrinum, Tertullianum, & Origenem deceptos fuisse in hac quęstione facti, tribuendo Barnabæ hanc Epistolam, quæ fortasse id ętatis sub ejus nomine circumferebatur, & à quibusdam legebatur tanquàm ab illo Apostolo conscripta. Undè non mirum, si antiqui illi Scriptores hanc Epistolam, ex qua multa ad convincendos Judęos argumenta, & ad benè informandos fidelium mores salutaria colligebant documenta, interdùm sub Sancti Barnabæ nomine citarint. Addo etiam Apocrypha bifariam sumi posse. Primò, pro Operibus Pseudepigraphis, quorum videlicet auctores incogniti sunt, seù quæ non sunt eorum, quorum titulis pręnotantur, ut ait S.Hieronymus Epist. 7. ad Lętam. Secundò, Apocrypha sumuntur pro Operibus, quibus aliqua erroris nota inuri potest. Quandò igitur antiqui aliqui Scriptores Ecclesiastici innuere videntur, Epistolam, quæ S.Barnabæ nomine inscribitur, non esse apocrypham, volunt dumtaxat, hanc

Epiſtolam erroribus liberam eſſe, & ſalutaria complecti documenta, quæ alendæ pietati, & inſtituendis bonis moribus inſervire poſſunt, adeòque illam ad ędificationem Eccleſię legi poſſe. Ex quo tantùm ſequitur, Epiſtolam S.Barnabæ non poſſe in eo ſenſu dici apocrypham, quod aliquibus ſit fędata erroribus, ſed quod non ſit edita à S.Barnaba, cujus nomine inſcripta eſt. Hanc autem Epiſtolam primùm publicâ luce donarunt eruditiſſimi viri *Hugo Menardus* Congregationis S.Mauri Benedictinus, & *Iſaacus Voſſius*, deindè eam vir clariſſimus & omnigenâ Litteraturâ prȩditus *Joannes Baptiſta Cotelerius* inſeruit Operibus Sanctorum Patrum, *qui temporibus Apoſtolorum floruerunt*, illamque doctiſſimis notis tom.1. illuſtravit.

Sunt & alia Apoſtolorum nominibus inſcripta Opera, de quibus doctiſſimi hujus ętatis Critici dubitant, an reverà prodierint ab Apoſtolis, nimirùm *Canones Apoſtolorum*, *Conſtitutiones Apoſtolicæ*, *novem Canones Antiochenæ Sinodi*, ab Apoſtolis, ut quidam autumant, habitæ. De quibus ſingillatim diſſerere non patitur ea, quam mihi hoc in Opere præfixi brevitas. Quamobrèm è Tabula manum ſubduco, & huic Operi Colophonem impono, attexendo ad ipſius calcem Tabulam quatuor in columnas diſtributam, quam doctiſſimus *P.Martianay* Congreg. S. Mauri Benedictinus inſeruit Proleg.IV. in divinam Bibliothecam S.Hieronymi, ad manifeſtandas Verſuum Biblicorum quaslibet diſtinctiones cùm antiquas, tùm recentiores. Ope ſiquidèm iſtius Tabulæ quilibet Scripturæ Sacræ Studioſus numerum Verſuum, quem ſinguli divinarum Scripturarum Libri continent, quaſi uno intuitu poterit habere perſpectum.

Ver-

Versus Scripturarum Sanctarum.

I. Secundùm antiquam divisionem ante Hieronym.	II. Secundùm divisionem assignatā in Versione Hieron.	III. Secundùm divisionem Græcor. apud Niceph. Constāt.	IIII. Secundùm hodiernam Massorethicam divisionem.
Genesis Liber habet Versus			
4500	3700	4400	1534
Exodi Liber habet Versus			
3700	3000	2800	1209
Levitici Liber habet Versus			
2800	2400	2700	859
Numerorum Liber habet Versus			
3650	3000	3500	1288
Deuteronomii Liber habet Versus			
3300	2600	3100	955
Josue Liber habet Versus			
2000	1750	2100	655

Versus Scripturarum Sanctarum.

I. Secundùm antiquam divisionem ante Hieronym.	II. Secundùm divisionem assignatã in Versione Hieron.	III. Secundùm divisionem Grecor. apud Niceph. Constãt.	IIII. Secundùm hodiernam Massorethicam divisionem.
Judicum Liber habet Versus			
2000	1750	Versibus Ruth unà numeratis 2450	618
Ruth Liber habet Versus			
250	250	hìc jũcti sunt superioribus.	85
I. Liber Regum habet Versus			
2500	2300	1. & 2. Liber 2240	1. & 2. Liber 1506
II. Regum Liber habet Versus			
2000	2000	hìc jũcti sunt superioribus.	hìc jũcti sunt superioribus.
III. Regum Liber habet Versus			
2600	2500	3. & 4. Liber 2330	3. & 4. Liber 1534
IIII. Regum Liber habet Versus			
2400	2250	hìc jũcti sunt superioribus.	hìc jũcti sunt superioribus.

Versus Scripturarum Sanctarum:

I. Secundùm antiquam divisionem ante Hieronym.	II. Secundùm divisionem assignatã in Versione Hieron.	III. Secundùm divisionem Græcor. apud Niceph. Constãt.	IIII. Secundùm hodiernam Massorethicam divisionem.
Liber Isaiæ habet Versus			
3600	3580	4800	1295
Jeremiæ Liber habet Versus			
4070	4450	4000	1365
Ezechielis Liber habet Versus			
3600	3340	4000	1373
Danielis Liber habet Versus			
1600	1850	2000	157
Duodecim Prophetarum Libri habent Versus			
3110	3800	3800	1050
Job Liber habet Versus			
1600	1700	1800	1070

Versus Scripturarum Sanctarum :

I. Secundùm antiquam divisionem ante Hieronym.	II. Secundùm divisionem assignatã in Versione Hieron.	III. Secundùm divisionem Græcor. apud Niceph. Constãt.	IIII. Secundùm hodiernam Massorethicam divisionem.
Psalmorum Liber habet Versus			
5000	5000	5500	2527
Proverbiorum Liber habet Versus			
1600	1740	1708	915
Ecclesiastes Liber habet Versus			
600	800	750	222
Canticum Canticorum habet Versus			
300	280	280	117
I. Paralipomenon Liber habet Versus			
omittuntur hìc.	2040	1. & 2. Liber 5500	1. & 2. Liber 1743
II. Paralipomenon Liber habet Versus			
omittuntur hic.	2100	jũcti sunt cũ superioribus.	jũcti sunt cũ superioribus.

Versus Scripturarum Sanctarum.

I. Secundùm antiquam divisionem ante Hieronym.	II. Secundùm divisionem assignatã in Versione Hieron.	III. Secundùm divisionem Græcor. apud Niceph. Constãt.	IIII. Secundùm hodiernam Massorethicam divisionem.
Esdras & Nehemias habent Versus			
1500	omittuntùr hìc.	5500	680
Esther Liber habet Versus			
1000	700	308	166

Liber Judith, qui non est in Canone Hebræorum, habet versus 1300. juxtà antiquam divisionem ante Hieronymum, sed in Codicibus Versionis Sancti Hieronymi habet Versus 1100. & juxtà divisionem Græcorum apud Nicephorum Constantinopolitanum habet Versus 1700. Liber autem Tobiæ, juxtà antiquam divisionem, habet Versus 1000. & apud Nicephorum 800. alibi omittuntur.

In novo Testamento diversę quidèm sunt Versuum enumerationes, sed minor est inter Indices distantia, quàm sit in Libris veteris Instrumenti, sicut videre in sequenti Tabula Tetrapla.

Versus Scripturarum Sanctarum.

I. Secundùm antiquam divisionem ante Hieronym.	II. Secundùm divisionem assignatã in Versione Hieron.	III. Secundùm divisionem Græcor. apud Niceph. Constãt.	IIII. Secundùm hodiernam Massorethicam divisionem.
Matthæus habet Versus			
2600	2700	2500	2514
Marcus habet Versus			
1600	1700	2000	1590
Lucas habet Versus			
2900	3800	2600	2677
Joannes habet Versus			
2000	1700	2800	omittuntur hìc.
Actus Apostolorum habet Versus			
2600	3600	2800	omittuntur hìc.
Epistola Pauli Apostoli ad Romanos habet Versus			
1040	911	omnes Vers. omn. Epistolar. vide infra.	920

Versus Scripturarum Sanctarum.

I. Secundùm antiquam divisionem ante Hieronym.	II. Secundùm divisionem assignatã in Versione Hieron.	III. Secundùm divisionem Græcor. apud Niceph. Constãt.	IIII. Secundùm hodiernam Masforethicam divisionem.
Epistola I. ad Corinthios habet Versus			
1060	980	....	870
Epistola II. ad Corinthios habet Versus			
....70	292	....	590
Epistola ad Galatas habet Versus			
350	213	....	293
Epistola ad Ephesios habet Versus			
375	317	....	312
Epistola ad Philippenses habet Versus			
omittuntur hìc.	350	....	208
Epistola ad Colossenses habet Versus			
250	208	....	208

Versus Scripturarum Sanctarum.

I. Secundùm antiquam divisionem ante Hieronym.	II. Secundùm divisionem assignatã in Versione Hieron.	III. Secundùm divisionem Græcor. apud Niceph. Constãt.	IIII. Secundùm hodiernam Masforethicam divisionem.
Epistola I. ad Thessalonicenses habet Versus			
omittuntur hìc.	213	....	193
Epistola II. ad Thessalonicenses habet Versus			
omittuntur hìc.	108	....	106
Epistola I. ad Timotheum habet Versus			
280	230	....	230
Epistola II. ad Timotheum habet Versus			
289	172	....	102
Epistola ad Titum habet Versus			
140	67	....	97
Epistola ad Philemonem habet Versus			
50	34	....	37

Versus Scripturarum Sanctarum.

I. Secundùm antiquam divisionem ante Hieronym.	II. Secundùm divisionem assignatâ in Versione Hieron.	III. Secundùm divisionem Græcor. apud Niceph. Constāt.	IIII. Secundùm hodiernam Masforethicam divisionem.
Epistola ad Hebræos habet Versus			
hìc Barnabæ nom. 850.	700	Epist. S.Pauli omnes simul xiiii. V. ccc. fortè V̄. ccc.	703
Epist. 7. canon. simul sumptæ habent Versus apud Niceph.			
		1300	
Apocalypsis Joannis habet Versus			
1200	1800	1500	omittuntur hic.

Ad brevem hujus Tetraplæ Tabulæ expositionem observandum est primò, quòd prima Versuum Scripturæ Sacræ enumeratio, quæ est secundùm antiquam divisionem ante S.Hieronymum, descripta fuit à doctissimo P.Martianay ex vetustissimo Catalogo Codicis M.S. San-Germanensis, qui complectitur Epistolas S.Pauli græcè ac latinè, litterisque uncialibus exaratas. Scriptor quidem hujus Manuscripti Codicis attexuit in fine ante Epistolam ad Hebræos Catalogum omnium divinorum Librorum veteris ac novi Testamenti, adnotans è Regione numerum Versuum uniuscujusque Voluminis. Verùm cùm hic Scriptor nonnullos Libros veteris Testamenti & aliquot Epistolas Pauli prætermiserit, hunc defectum suis in locis hac in Tabula nota-

tavit *P.Martianay* hoc modo: *omittuntur hic*, supple, Versus hujus Libri, qui non recensetur in pervetusto illo Indice sacrorum Librorum.

Alteram Versuum enumerationem, quæ est in secunda columna, adinvenit eruditus *P.Martianæus* in MM.SS. Codicibus Versionis Hieronymianæ.

Tertiam Versuum enumerationem, quæ est in tertia columna, tribuit *Pater Martianæus* Nicephoro Patriarchæ Constantinopolitano, cujus Canonem edidit doctissimus *Pithæus* in Opusculo de Latinis sacrorum Bibliorum Interpretibus.

Ultimam Versuum Scripturæ Sacræ enumerationem, quæ est in quarta columna, *P.Martianæus* acceptam refert Roberto Stephano, qui græcam novi Testamenti Editionem elegantissimis Typis adornavit.

Observandum est secundo, in his quatuor Versuum sacrarum Scripturarum Indicibus immensum apparere discrimen ab hodierna, quæ extat in Editione nostra vulgata, Versuum Scripturæ Sacræ enumeratione, quam Joannes Morinus lib.2. Exercit.17. cap.4. adscribit optimo jure doctissimo nostro Cardinali Hugoni. Ille quippe Cardinalis, ut testantur S.Antoninus 3.part.Hist. tit.19. cap.5. paragr.2. Bellarminus lib.de Script.Eccles. Sixtus Senensis, Alta Mura, Natalis Alexandre, & alii, primus fuit, qui decimotertio sæculo sacros Libros in capita distinxit, & quamvis his Capitibus nullos adnotaverit Versus, occasione tamen Concordantiarum, quas ipse, ejusque socii Dominicani meditabantur, & summo, indefessoque labore perfecerunt, his Capitibus à se distinctis aliquid simile Versibus addidit *Hugo*. Cùm enim locorum citationes per solius Capitis mentionem, maximum tędium quærentibus hæc loca adferre potuissent, hoc opportunum remedium excogitarunt & adhibuerunt Cardinalis Hugo, ejusque in eodem labore socii, videlicet columnas cujuslibet Capitis sacrorum Librorum per has litteras diviserunt A. B. C. D. E. quarum una Capitis numero apposuerunt, ut pro Versus numero, sicut nunc fit

fit, addita littera locum Scripturæ Sacræ in hac columnæ parte quærendum indicaret, v.g. nunc ita citamus, cap.3. verſ.1. vel verſ.2. vel verſ.3. tunc autem cap. 3. littera A. vel B. vel C. ſed de ſacrarum Scripturarum Verſuum diſtinctione & antiquitate plura legi poſſunt apud jam citatos auctores *Morinum* & *Martianæum*, necnon apud *Richardum Simonium* cap.XXXIII. Hiſtor.Crit. novi Teſtamenti. Nobis verò hæc de Scriptura Sacra deguſtaſſe ſufficiat, finemque huic Tractatui imponamus, ex quo utinam Theologiæ Candidati hos fructus haurire ac pèrcipere poſſint, quos paucis verbis complectitur S.Thomas, hoc eſt, ut doceant perſpicuè veritatem, falſitatem intrepidè arguant, peccatores eripiant à malo, ad bonum inducant, & ad perfectionem provehant, ſeù perducant ad æternam Beatitudinem, ubi eſt veritas ſine fallacia,bonitas ſine malitia,felicitas ſine miſeria, & perpetua, ſine faſtidio, Divinæ Eſſentiæ contemplatio.

FINIS.

IN-

INDEX
MATERIARUM,
Quæ in hoc Opere continentur.

A

Tri-

B

Be-

Dio-

Epi-

F

nem

Gra-

Ter-

La-

L

N



O

Pec-

Pro-

R

quæ

Ser-

T

Tex-

Tri-

Vos-

Menda, quæ irrepserunt in editionem istius Operis.

Pag.	Lin.		Lege.
34	31	trecentas uxores & septingentas concubinas.	trecētas concubinas & septingentas uxores.
70	21	nobis	vobis
168	25	narrantur	narrant
219	22	Tridentini	Tridentinæ
224	18	Asg	Agag
239	14	in prævaricationem	in pręvaricatione
239	20	cœperunt	ceperunt
355	18	post hæc verba: *Sed cum id*	adde, *ægrè*
382	32	post hæc verba; *Neronem non IV. sed III. dumtaxat gessisse Consulatũ*	adde, *cum Messala*

Aliorum, si quæ occurrunt, & quæ hic notata non sunt, leviorum erratorum veniam, quæsò, det benevolus Lector, quem etiam monitum velim, quòd pagina 325. linea 32. dùm asserto, omnes, excepto Richardo Simonio, existimare, Authorem Prologi in septem Epistolas canonicas esse S.Hieronymum, his verbis innuere tantùm volui, inter Scriptores Catholicos primum fuisse Richardum Simonium, qui hunc Prologum abjudicaverit S.Hieronymo jejunis quidèm & frigidis conjecturis, quas Cl.P.Martianæus in suis adnotationibus in eumdem Prologum, tom.1. recentis à se adornatæ Operum S.Hieronymi Editionis data opera refellit, quamvis validiora ibidèm producat argumenta, quibus putat probari posse, Authorem istius Prologi ætate Hieronymi, & Cassiodori posteriorem esse.